BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO E[MANUELE]
8
8 G
67

Digitized by Google

A

R. P. D.
ANTONINI DIANA

Clerici Regularis, & S. Officij in Regno Siciliæ Conſultoris Digniſſimi

Selectiorum Conſcientiæ Caſuum,

Qui in Reſolutionibus Moralibus, Quinque prolixioribus partibus, varijſq; Tractatibus elucidantur,

COMPENDIVM

BREVITATE, PERSPICVITATE, & Ordine Abſolutiſſimum.

A R. D. ALEXANDRO CALAMATO Meſſanenſi nuperrimè Elaboratum,

Et nunc primùm in lucem datum.

VENETIIS, M. DC. XLII.

APVD IVNTAS.

Cum Licentia Superiorum, & Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

STVDIOSO LECTORI TYPOGRAPHI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EN tibi nouum & ſalutare virtutis omnibus optandæ donum è noſtris egreditur prælis, Studioſe & perhumane Lector. Quãobrem, vt iſtud ex vbere ſcientiarum penu enaſcens, benigno, ſicuti fertiles virorum illuſtrium partus conſueſcis, intuitu foueas, ſummis exoptamus precibus. Nam cùm multos à peruoluendis probabilium Authorum prolixioribus libris nimia temporis intercap[illegible]o in illis conſumenda procùl arceat, hìc

Digitized by Google

in addiſcenda maximi momenti doctrina à ſolida breuitate, amabili claritate, & ſcientifico ordine te reficiendum & recreandum eſſe pollicemur. In hoc enim, quod tibi de Morali Theologia, & de Selectioribus Conſcientię Caſibus exhibemus, Compēdio, quidquid præſtantiſſimus Diana multis in partibus, varijs in Tractatibus, & quàm plurimis in Reſolutionibus comprehendit, non longo, nec inani ſtudio, ſed facili, vtiliq. perlectione reperies. A te Cognitam eſſe celebris Dianæ famam, perſpectoſque, quos laudabilis eius virtus prębuerit hactenus effectus ſatis, ſuperq. confidimus. Nunc verò in iſta compendioſa illius Reſolutionum Moralium collectione quanta induſtria Reuer. D. Alexander Calamatus, Vir eadem doctrina perinſignis, quamq. in enodandis multarum difficultatum anfractibus, perſpicuitatem attulerit, ſi in meritum

huius

huius quem tibi dicamus, laborem oculos conieceris, liquidò experiere. Vbi, ſi quo in caſu fuſiùs explicando longiores Dianæ elucubrationes conſulendas eſſe iudicabis, diſtinctos cuiuſuis Partis, Tractatus, & Reſolutionis poſt allatum vbique Caſum numeros, qui optatum te doceat locum inuenies. Accipe igitur hilari animo, Peramice Lector, grauiſſimam Dianæ doctrinam, ne diligentem Calamati ſummam in recreanti breuitate facilitatem largituri, laborem aſpernere, eumque, quo in ſtudioſorum omnium vtilitatem, & publicæ rei ornamentum affici ſolemus, amorem amica animi propenſione perpendito. Vale.

Digitized by Google

AD LECTORES.

MIrabere Lector, Auctorem hunc non indoctum, non ineruditum, attamen ſtudijs partium adeò abreptum, vt in tot controuerſijs de Fori competentia Eccleſiaſtici cum ſæculari, ſeu de Immunitate Eccleſiaſtica nullam reſolutionẽ, niſi contra Principum temporalium poteſtatem in toto hoc Volumine ſis reperturus. Adde hoc, quod mirere magis, tranſcribi ab eodem controuerſias illas, quæ de eadem materia præteritis annis agitatæ fuerunt, & afferri eoſdem ſcriptores, qui contra Principum poteſtatem conati ſunt proprias opiniones tutari,

tari,

Digitized by Google

tari, eaſdemque ſiue auctoritates, ſiue rationes, ad quorum placitum hic omnia reſoluit, tranſcribi. At de auctoribus doctiſsimis, & grauiſsimis, qui contrà ſcripſerunt, & iuſtiſsimæ cauſæ, contrarijs deuictis, & confutatis, ac de falſitate conuictis veritatem demonſtrarunt, ne verbum quidem, aut mentionem inuenies. Idcircò ne putes per conceſsionem imprimendi operis, in eo contenta, aut pro veris admitti, aut ad praxim approbari, ſed tantummodò rationibus impreſſorum, ſeu mercaturæ conſultum. Sit itaque in promptu D. Apoſtoli conſilium, Omnia probate, quod bonum eſt tenete.

Digitized by Google

INDEX TRACTATVVM,

Quos in Compendium redegimus.

PARS PRIMA.

1 DE Immunitate Eccleſiarum, ſuper Bullam Greg. XV.
2 De Immunitate Eccleſiaſtica.
3 De Comitijs, ſeu Parlamento Regni Siciliæ, & Neapolis.
4 De Denunciationibus faciendis ex edicto Dominorũ Inquiſitorum, & de ſollicitatione facta in Confeſsione iuxta Bullas Clem. VIII. Pauli V. & Greg. XV.
5 De Abſolutione ab Hæreſi, & alijs deli-

Digitized by Google

delictis pertinentibus ad Tribunal S. Officij.
6 De Paupertate Religioſa ſuper Bullam Clem. VIII. de largitione munerum.
7 De Circumſtantijs non neceſſariò in Confeſſione explicandis.
8 De Contractibus.
9 De Ieiunio.
10 De Legibus.
11 De Bulla Cruciatæ.

PARS SECVNDA.

12 De Horis Canonicis.
13 De Opinione probabili.
14 De Celebratione Miſſarum. Et alij tres Tractatus Miſcellanei Signati numero 15. 16. & 17.

PARS TERTIA.

1 De Immunitate Eccleſiaſtica.

2 De

Digitized by Google

2 De Dubijs Regularium.
3 De Abſolutione largienda moribundo ſenſibus deſtituto.
4 De Sacramentis.
5 & 6. Miſcellaneorum.

PARS QVARTA.

1 De Immunitate Eccleſiaſtica.
2 De irregularitate.
3 De conſcientia Dubia.
4 Miſcellaneus.
5 De Confeſſarijs ſollicitantibus.
6 De Tortura in S. Officio ſuſpectis vehementer de Hæreſi inferenda.
7 De Officio, & poteſtate Inquiſitorum.
8 Decreta, & Conſtitutiones recentiorum Pontificum pertinentes ad Sanctum officium, qui tamen non eſt in Compendium redactus.

PARS

Digitized by Google

F

PARS QVINTA.

1 De Immunitate Eccleſiaſtica.
2 De Poteſtate, & Priuilegijs S. R. E. Cardinalium.
3 De caſibus occurrentibus tempore mortis.
4 De Homicidio, & reſtitutione propter ipſum.
5 De Paruitate Materiæ.
6 De Mutis, Surdis, & Cæcis.
7 De Scandalo.
8 De Eleemoſyna.
9 De Excommunicatione.
10 De Suſpenſione, & Interdicto.
11 De Sigillo Confeſſionis.
12 De Indulgentijs, & Iubilæo.
13 Et 14. Miſcellanei.

FINIS.

Digitized by Google

SERIES TITVLORVM, SEV INDEX SVMMARIVS huius Operis.

A

ABortus. fol. 1
Abſolutio ab hæreſi. 1
Abſolutio moribundi. 4
Aduocatus. 10
Aequiuocatio. 11

B

BEneficium. fol. 12
Bigamia. 17
Bulla Cruciata. 19

C

CArdinalium facultas. fol. 38
Charitas. 50

Cele-

Digitized by Google

Celebratio Miſſarum. 52
Comitia, ſeu Parlamentum. 69
Conſcientia dubia. 72
Conſecratio, & Benedictio. 85
Conſilium. 86
Contractus, & Cambium. ibid.
Correctio fraterna. 105

D

DEnuntiatio. fol. 107
Detractio. 117
Dubia Regularium. 119
Duellum. 138

E

ECcleſiaſtici, & Clerici. fol. 142
Eleemoſyna. 169
Epiſcopus. 178
Excommunicatio. 180

F

FAma. 206
Feſtum. 207
Fides Chriſtiana. 209
Furtum. 212

Homi-

Digitized by Google

H

Homicidium. 214
Horæ Canonicæ. 222

I

Ieiunium. fol. 229
Immunitas Eccleſiarum. 236
Inimicus. 241
Inuidia. 242
Inquiſitorum facultas. ibid.
Irregularitas. 269
Iudex. 286
Iuramentum. 288

L

Leges. fol. 290
Ludus. 297
Luxuria. 299

M

Magiſtratus. fol. 302
Metus mortis. 303

N

Nuptiæ. fol 304

Offi-

O

Officium. fol.305
Opinio probabilis. ibid.

P

Paupertas Religioſa. fol.307

R

Reliquiæ Sanctorum. fol.314
Reſtitutio. 315
Reus. 319

S

Sacramentum Baptiſmi. fol.322
Sacramentum Confirmationis. 331
Sacramentum Euchariſtiæ. 333
Sacramentum Pœnitentiæ. 342
Sacramentum Extremæ vnctionis. 376
Sacramentum Ordinis. 380
Sacramentum Matrimonij. 389
Scandalum. 411
Sepultura. 414
Simonia. 415
Sodomia. 418
Sterilitas. 420

Digitized by Google

T

TEſtamentum, legatum. fol. 420
Teſtis. 425

V

VIrgo. fol. 426
Votum. 427

FINIS.

R. P. ANTONINI DIANA COMPENDIVM

A R. D. Alexandro Calamato elaboratum.

ABORTVS.

1 NOn licet fœminæ prægnanti, etiã ante fœtus animationem, procurare abortum, ad vitandum periculum vitæ, vel grauis infamiæ. Tamen ſi poſt fœtus animationem mater periculosè ægrotaret, nec vllum aliud eſſet remedium, poſſet ei præberi medicamentum, directè tendens ad curationem, licet indirectè, & per accidens ſequatur mors fœtus; quia mater ius habet ad tuendam vitam per eiuſmodi medicamenta. Si verò conclamata ſit ſalus matris, & fœtus, poſſunt applicari remedia ad ſalutem matris, licet cum interitu fętus. 3. *p. tract.* 5. *Miſcell. reſ.* 11.

2 Mulieres ſtatim mingentes poſt copulam, ad impediendam conceptionem, ſecundum quoſdam peccant cõtra ordinem naturæ, & generationis. Alij hoc fruſtrà fieri volunt: ego puto eas contra conſcientiam erroneam peccare, ſi crederent ita mingendo peccare. *ibid. reſ.* 15.

Abſolutio ab hæreſi, & alijs delictis pertinentibus ad Tribunal S. Inquiſitionis.

1 COnfeſſarius virtute alicuius Iubilæi non poteſt ab hæreſi occulta abſoluere pœnitentem, modò non

Digitized by Google

ſit purè mentalis: nam ab eiuſmodi hæreſim non incurritur excommunicatio. Sic habet ſtylus curiæ Rom. & ita fuit à Gregorio XIII. declaratum. 1.*par.tract.*5.*reſ.*1.

2 Ne Epiſcopus quidem poteſt vi Concilij Trident. hæreticum occultum abſoluere, quia per Bullas Cœnæ ſubſequentes, hæc facultas Epiſcopis adempta eſt. *ibid. reſ.*2.*&* 4.*p.tract.*4.*Miſcell.reſol.*239.*&* 5.*p.tr.*13.*reſ.*43.

3 Sacri tamen Inquiſitores poſſunt abſoluere ab hæreſi, non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ; ita vt quilibet Inquiſitor poſſit eamdem facultatem cuilibet Confeſſario impertiri. 1.*par. tract.*5.*reſ.*3.

4 Hæreticus occultus, qui non potuit ab Epiſcopo ſeu Inquiſitore obtinere abſolutionem, ad maiorem pœnitentiarium Romam mittat. Poteſt interim ad vitandam infamiam, aut ſcandalum, ſi Sacerdos eſt, celebrare; ſin autem laicus, Euchariſtiam ſumere, eliciendo priùs actum contritionis. At ſi ſe id poſſe diffidit, confiteatur, & a Confeſſario abſoluatur. *ibid. reſ.*4.*&* 4.*p.tract.*4.*Miſcell.reſ.*242.

5 Poteſt quilibet Confeſſarius, imò quilibet Sacerdos etiam præſente Confeſſario approbato, & Confeſſarius approbatus præſente alio ſuperiore, abſoluere hæreticum in articulo mortis; tunc enim ceſſat omnis reſeruatio caſuum & cenſurarum. Debet tamen ægrotus, ſi ſuperuixerit, ſe ſiſtere Epiſcopo, vel Inquiſitori, vt denuò abſoluatur. 1.*p.tr.*5.*reſ.*5.*&* 5.*p.tr.*3.*reſ.*60.

6 Prælati Regulares non poſſunt ab hæreſi occulta ſuos ſubditos abſoluere: Poteſt tamen hæreticus regularis non ſolùm ab Inquiſitore abſolutionem obtinere, ſed ex licentia ſuperioris ſe ſubijcere Epiſcopo, & ab illo (iuxta quorumdam Doctorum ſententiam) ab excommunicatione occultæ hæreſeos abſolui, etiam renitente ſuperiore. *ibid.reſ.*6.

7 Cri-

7 Crimina ſpectantia ad Tribunal ſanctæ Inquiſitionis ſunt ſortilegium, maleficium, ſuperſtitio, magia, adoratio dæmonum, ſollicitatio in confeſſione, blaſphemia hæreticalis, lectio librorum hæreticorum, defenſio eorum, & id genus alia, quæ ſi quis committat, modò non habeat errorem in intellectu, & de rebus fidei benè ſentiat, poterit (vt plerique cenſent) a quocumque Confeſſario virtute Bullæ Cruciatæ abſolui; hæc enim Bulla ſolam excipit hæreſim. *ibid. reſ.* 7.

8 Item Regulares vi ſuorum priuilegiorum poſſunt (vt nonnullorum fert opinio) abſoluere ab iiſdem caſibus Inquiſitioni reſeruatis, modò abſit hæreſis: ſi enim poſſunt abſoluere a reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, quidni poterunt a reſeruatis inferiori Tribunali? Auctor tamen nihil definit. *ibid. reſ.* 8.

9 Hæreticus iam iamque comburendus, tametſi ante mortem non fateatur publicè veritatem, poteſt abſolui: neque vllum inde exiſtit ſcandalum, cùm nemo neſciat ſolere reos crimen negare, quod tamen plerumque ſacramentaliter Sacerdoti confitentur. *ibid. & part.* 4. *tract.* 4. *Miſcell. reſ.* 242 *&* 5. *par. tract.* 3. *reſ.* 78.

10 Abſolutus ſiue ab inſtantia Iudicis, ſiue definitiuè, item de eodem crimine pleniore ſuperueniente probatione poterit condemnari; & ita obſeruatur in praxi. 4. *par. tract.* 8 *reſ.* 10.

11 Damnatus ad mortem, & iam exiſtẽs, vt vulgò dicitur, in Capella, ſi inueniatur hæreticus, non eſt petenda facultas ab Inquiſitoribus illum abſoluendi, licèt hoc poſſit fieri ſine rei manifeſtatione; exiſtit enim in articulo mortis. Immò Confeſſarius non tenetur adire Superiorem pro illo abſoluendo, etiamſi Prælatus, & ſubditus eſſent in eadem domo. 5. *par. tr.* 13. *reſ.* 12.

Abſolutio moribundi.

1 MOribundus qui nutibus tantùm petit a Confeſſario abſolutionem eſt abſoluendus. Ratio eſt, quia ſi neceſſitas facere poteſt, vt mutila confeſſio interdum ſufficiat ad ſacramentalem abſolutionem obtinendã, cùm integra fieri nequeat; ſanè poterit eadem neceſſitas facere, vt ſufficiat confeſſio facta in genere de proprijs peccatis, quando ad ſpeciem, & numerum deſcendi non poteſt. Neque Deus a nobis exigit aliam confeſſionem, quam quæ nobis hic, & nunc poſſibilis eſt. *par. 3. tract. 3. reſ. 1.*

2 Moribundus, qui vſu ſenſuum amiſſo pectus tundit, oculos ad cœlum tollit, & alia edit pœnitentiæ ſigna, eſt abſoluendus ſub conditione, licèt dubium ſit num hæc ſigna ex dolore, an ex mortis anguſtijs oriantur. Quia in illo articulo hæc pectoris tunſio cenſetur tacita confeſſio peccatorum. Idem dicendum de eo, qui genibus ſacerdotis aduolutus, peccata confeſſurus ſubita apoplexia corripitur. Si tamen id contingeret ſacerdoti in fine introitus, qui ſano corpore Miſſam inchoaſſet, non videtur abſoluendus, quia illa generalis confeſſio non fuit ſacramentalis. *ibid. reſ. 2. & 3.*

3 Moribundus, qui abſente Confeſſario confeſſionem petijt, vel ſigna pœnitentiæ dedit, aliquo id teſtante, eſt ſacramentaliter abſoluendus. Quia hoc ipſo quòd petit ſacerdotem, & oſtendit ſe dolere de peccatis, ſanè fatetur ſe peccaſſe, petitque vt adſtantes tamquam ſuæ voluntatis interpretes id ſacerdoti renuntient, ab eoque pro ſe abſolutionem petãt: neque requiruntur plures teſtes, ſed vnus ſufficit. *ibid. reſ. 4. & 5.*

4 Si verò teſtes abſente infirmo ſenſibus deſtituto, renun-

nuntient ſacerdoti illum petijſſe confeſſionem, vel ſigna contritionis oſtendiſſe, non poteſt ſacerdos illum ſacramentaliter abſoluere, etiamſi adhuc viuum inueniat. Quia moribundus confitetur per nuntium abſenti ſacerdoti, quæ confeſſio Clementis VIII. Decreto damnatur: cùm enim confeſſio ſit actus perſonalis, neque ſacerdos poteſt abſoluere abſentem, neque pœnitens confiteri abſenti. Contrarium tamen etiam eſt probabile. *ibid. reſ.* 7.

5 Si Sacerdos excepit confeſſionem alicuius in mortis periculo conſtituti, nec illum abſoluit, & paulò poſt ſuperueniens inuenit illum ſenſibus deſtitutum, viuum tamen, poteſt illum abſoluere, dummodo nõ conſtet ægrum mutaſſe voluntatem. *ibid. reſ.* 6.

6 Si infirmus amiſſo rationis vſu, nullum anteà dedit pœnitentiæ ſignum, nullo modo eſt abſoluẽdus, licèt alioquin benè vixerit. Quia abſolutio eſt actus iudicialis: at iudicium non exercetur, vbi nulla præceſſit accuſatio; ergo. Contrarium tamen etiam eſt probabile. *ibid. reſ.* 8. & 4. *par. tr.* 4. *Miſcell. reſ.* 92. Vbi addit, quòd neque ſub conditione ſit abſoluẽdus. *Et* 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 56. *Verſ. obſeruat.*

7 Notandum in caſibus ſupradictis, in quibus dictum eſt moribundum poſſe abſolui, Sacerdotem non tantùm poſſe, ſed etiam ratione charitatis teneri illum abſoluere. *ibid. reſ* 9.

8 Quilibet Sacerdos etiam hæreticus, aut ſchiſmaticus, aut excommunicatus non toleratus habet poteſtatem abſoluendi in articulo mortis quoslibet pęnitentes a quibuſuis peccatis, & cenſuris. Ita Conc. Trid. ſ. 14. c. 7. *part.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 235. & 5. *part. tr.* 3. *reſ.* 57.

9 Immò in tali caſu pœnitens non ſolùm licitè a talibus Sacerdotibus expetit abſolutionem, ſed etiam per ſe loquendo tenetur, modò non timent ſubuerſionem ob

communicationem cum tali Sacerdote, & non appareat ob communicationem cum eo, profiteri aliquem errorẽ dicti Sacerdotis. *ibid. verſ. Notandum. Et 5. par. tr. 3. reſ. 58.*

10 Opinio probabilis eſt aſſerere in articulo mortis poſſe quemlibet Sacerdotem abſoluere moribundum præſente quolibet confeſſario approbato, vel parocho, vel Superiore; quia ſimplices Sacerdotes pro articulo mortis, quo ad iuriſdictionem pares ſunt alijs cõfeſſoribus approbatis. *4. par. tr. 4. reſ. 161. & 5. par. tract. 3. reſ. 60. & tr. 9. reſ. 67.*

11 Quidam in platea accepit vulnus lethale, ſi confeſſarius illum audiat, non poſſet mederi, ſi medetur, non poteſt confiteri, quid faciendum? debet Sacerdos vnum ſaltem peccatum ſecretò audire, & ſtatim illum abſoluere, vt medici poſteà illi medeãtur, & poſteà integram confeſſionem audiat, & denuo abſoluat. Si verò medici nolint a medicamentis deſiſtere, & interim periculum ſit mortis infirmi, ſufficit ex probabili, vt alta voce dicat ſe peccatorem eſſe, & tunc poteſt confeſſarius illum abſoluere. *5. par. tr. 3. reſ. 56.*

12 Non ſolùm conſtituti in articulo, ſed etiam in periculo mortis poſſunt abſolui a quocumque Sacerdote ab omnibus caſibus, vt dictum eſt ſupra, *num.* 8. *& 9. par. 5. tr. 3. reſ. 59.*

13 Damnati ad mortem cenſendi ſunt in artic. mortis, itaut poſſint abſolui modo, quo alij moribundi. *5. par. tr. 3. reſ. 61. & tr. 13. reſ. 12.*

14 Damnati ad triremes, & remigantes non videntur eſſe in articulo, cùm periculum non ſit proximum; et ſi aliquando contingit, Sacerdos in triremibus ire ſolet confeſſiones periclitantium excepturus, & ſæpe triremes ad portum accedunt in quo eſt Sacerdotum copia. *ibid. reſol. 62.*

Idem

Digitized by Google

Idem dic de militibus. *ibidem.*

15 Prægnantes non exiſtunt in articulo, niſi quando nunquam pepererunt, vel partum difficilem expertę ſunt. *ibid. reſ. 63.*

16 Bannitus, qui impunè vbique poteſt occidi, cenſeri debet in periculo conſtitutus, & abſolui poteſt ab omni peccato, & cenſura per quemlibet Confeſſarium; ſecus ſi haberet ſaluum conductum? *ibid. reſ. 64.*

17 Tunc verè cenſenda eſt non adeſſe copia ſuperioris habentis facultatem in cenſuras, & peccata reſeruata, vt poſſit conſtitutus in articulo mortis abſolui a quacumque Sacerdote, quando nec conſtitutus in eo periculo poteſt perſonaliter ſuperiorem adire, neque eum commodè accerſere, quia aut non veniet, aut magna nota erit. Neque tenetur per ſcriptum, aut per Confeſſarium ad Superiorem miſſum facultatem abſoluendi illi impetrare. *ibid. reſ. 65.*

18 Sacerdos ſimplex, qui iam cępit audire confeſſionem moribundi, ſuperueniente poſteà Confeſſario approbato, non tenetur deſiſtere ab auditione, etiam in eorum ſententia, qui tenent ſimplicem ſacerdotem non poſſe abſoluere moribundum præſente Confeſſario approbato, aut Prælato, quia iura fauent rei inceptæ, voluntque ab eo perfici, a quo cępta eſt. Immò licèt pœnitens, ſuperueniente legitimo Confeſſario, cupiat denuò confiteri, quia v.g. in priore confeſſione mentitus ſit; & proinde inualidè abſolutus; poteſt detecto eo mendacium, iterùm ab eodem Sacerdote ſimplice abſolui, quia is habuit iuriſdictionem ad priorem illam confeſſionem, quæ non cenſetur finita, dùm abſolutio non eſt validè præſtita. Secus dicendum, ſi æger validè confeſſus ſit, & velit poſteà aliqua peccata oblita confiteri. *ibid. reſ. 66.*

19 Cùm ſimplex Sacerdos abſoluit pœnitentem in ar-

ticulo mortis ab excommunicatione maiori, caueat ne abſoluat ſine præmiſſa ſatisfactione, ſi fieri debeat, & commodè poſſit, vel ſaltem cum debita cautione, quæ fiat per fideiuſſores, vel cum pignore, ſi poteſt dare, vel ſaltem iuratoria ſit; quòd ſi nihil horum fieri poſſit, vrgente neceſſitate, abſolutè abſoluat: nam his etiam omiſſis, vel oblitis valet abſolutio. Præterea imponat pœnitenti vt ceſſante morbo præſentet ſe ſuperiori, qui extra eum caſum de iure poterat abſoluere, ſecus.n.in eandem cenſuram incurreret; hoc tamen non imponat ſub iuramento, *ibid.reſ.67.*

20 Si neceſſitas articuli mortis maximè vrgeat, poteſt abſoluens vnico verbo dicere, Abſoluo te, intelligendo abſoluere priùs a cenſuris, & poſteà a peccatis, *ibi.verſ.Nota.*

21 Poſt ſeptennium completum abſoluendus eſt puer ſaltem ſub conditione, niſi conſtet non habere vſum rationis, maximè in articulo mortis; quia ſtat pro illis præſumptio de vſu rationis. *ibid.reſ.68.*

22 Abſolutio a reſeruatis, quæ a quolibet Sacerdote poteſt impendi in articulo poteſt dari a prima die infirmitatis, quę ponit infirmum in tali periculo; idque ſiue periculum mortis quis adeat propria ſponte, ſiue cauſa aliqua vrgente, ſeu mortali neceſſitate coactus. *ibid.reſ.69.*

23 Sacerdos pro audienda confeſſione moribundi; ſi non ſit alius, poteſt relinquere Miſſam inchoatam, ſeruante interim aliquo Euchariſtiam, & ſecum deferat aliquam formam conſecratam, & extremam Vnctionem ad infirmum, cuius confeſſio ſi fuerit ita longa, vt nequeat media hora perfici, tranſacta dicta media hora Sacerdos abſoluat moribundum, eo monito, quod poſt ſacrum iterum veniet, & de nouo audiet, & abſoluet, & communicet, & extremam Vnctionem conferat, remiſſis Pſalmis Pęnitentialibus ad Eccleſiam poſt Miſſam. *ibid.reſ.70.*

24 In

Digitized by Google

24 In periculo mortis, vt in peſte, bello, aut naufragio conſtituti, cùm ſemper dubitandum ſit de eorum contritione: debent etiam publicè, vel per interpretem confiteri, & ſufficeret vnum ſolum peccatum declarare, omiſſis grauioribus; maius eſt enim periculum ſalutis æternæ, quàm infamiæ. Immò ſi periculum imminens non permittit, vt peccatum aliquod declarent, ſufficit vt omnes ſigno aliquo ſignificent ſe peccaſſe, & omnes ſimul abſoluantur a Confeſſario dicente. Ego vos abſoluo a peccatis veſtris. *ibid. reſ.* 71.

25 Nullus tenetur in articulo mortis confiteri per interpretem. Si verò probabiliter credat conſtitutus in articulo, immò dubitet an habeat contritionem, tenebitur ex charitate per interpretem confiteri, ne ſe exponat periculo damnationis, & tunc poteſt ſubticere peccata maioris infamiæ. *ibid. reſ.* 72.

26 Neque quis in articulo mortis tenetur confiteri laico, cùm non adeſt Sacerdos, licèt hoc fieri poſſit aliquando ad maiorem humilitatem, & contritionem, ad placandam iram Dei, & ad redimendam aliquam partem pœnæ peccatis debitæ; non eo tamen ſenſu, & animo, vt ſit verè confeſſio Sacramentalis, & laicus det abſolutionem, cùm hoc ſit hæreticum, & prorſus inepta reputanda eſt quorũdam nautarum confeſſio, qui in tempeſtatibus, & periculis extremis, deficiente Sacerdote, alij alijs peccata confitentur, cùm neque valida ſit, neque ad capiendum conſilium neceſſaria, & ideò hic abuſus omninò euellendus, & eis ſuadendum, vt in eo periculo de ſalute curent, per veram contritionem. *ibid. reſ.* 73.

27 Tempore peſtis poteſt Sacerdos audire aliquot peccata, & confeſſione non finita moribundum abſoluere, & hoc præcipuè ſi Confeſſarius audiendo alicuius moribundi

Digitized by Google

di integram confeſſionem, alij ſine confeſſione morerentur. *ibid. reſ.* 74.

28 Sacerdos ferens infirmo Euchariſtiam, qui dicit ſe velle reconciliari, & in reconciliatione inueniat illum multas confeſſiones inualidas feciſſe, ſi infirmitas ſit periculoſa, excipiat per mediam horam craſſam confeſſionem peccatorum illius, & deinde abſoluat, monens vt in craſtinum iterùm ſe præparet, vel alia data opportuna occaſione; ſi verò infirmitas non ſit adeò periculoſa, & confeſſio nō ſperetur fieri poſſe per dimidiam horam, tunc Confeſſarius curet, vt eliciat actum veræ contritionis, & communicet, monens illum de obligatione, quam habet integrè confitendi eo, vel ſequenti die, accerſito Confeſſario prætextu alicuius negotij. *ibid. reſ.* 75.

29 Quilibet Confeſſarius, immò etiam ſimplex Sacerdos modo ſupra explicato *num.* 10. poteſt tempore mortis abſoluere ab omni excommunicatione; neque tenetur ipſe Confeſſarius, vel infirmus per literas, vel per Confeſſarium adire Superiorem, etiamſi poſſet. Et quantum attinet ad abſolutionem, nullum diſcrimen eſt inter articulum, & periculum, dummodò tale ſit periculum, quòd neceſſariò adeundum ſit, & ex quo veriſimili coniectura ſequatur mors. 5. *par. tr.* 9. *reſ.* 67.

Aduocatus.

1 ADuocatus non tenetur de culpa leui; quia nemo tenetur in officio eſſe prudentior, & diligentior quàm paſſim homines eiuſdem conditionis eſſe ſolent; & ideò Aduocatus non tenetur eſſe cautior, aut diligentior, quàm paſſim boni Aduocati eſſe ſolent: vnde ſi contingat eum cauſa cadere eò quòd non præſtitit quod doctiſſimus,

Digitized by Google

mus, & diligentiſſimus præſtitiſſet, tamen ſi bona fide præſtitit quod ſolent diligentes, & doctis in ſimilibus cauſis, non tenetur ad reſtitutionem, 2.*par. tr.* 15. & 1. *Miſc. reſ.* 59.

2 Poteſt in foro conſcientiæ cliens paciſci cũ Aduocato de quota litis; & qñ abeſt præſumptio fraudis, ceſſat obligatio legis id prohibentis. Quare qui iuſtam cauſam Aduocato probo committit, poteſt in conſcientia illi promittere tertiam, aut quartam lucri partem, ad exacuendam eius induſtriam, & diligentiam, & vt ſe liberet moleſtia ſępius illum adeundi, *ibid. tract.* 16. & 2. *Miſcell. reſ.* 47.

3 Surdus, mutus, & cęcus vtroque orbatus oculo, non poſſunt exercere munus aduocationis, niſi eſſet in propria cauſa. Et mutus ſcripto conſilium dans non peccat, neque venialiter, dummodo iuriſperitiam, vel negotiatorum experientiam habeat. 5.*par. tr.* 6. *reſ.* 27.

4 Aduocatus excommunicatus non poteſt licitè fungi aduocationis officio, niſi quando eſt toleratus, & inducitur a fidelibus; & quando non eſt toleratus, non poteſt licitè admitti, ſi tamen a Iudice de facto admittatur, & ei non obijciatur excommunicatio, patrocinia ab ipſo facta valida ſunt, quia nullibi imitantur, & tunc poterit pro illis ſtipendium accipere, non verò pro factis poſtquàm ei obiecta eſt excommunicatio, & repelluntur, quia tunc fiunt irrita ad deciſionem cauſæ. 5.*par. tr.* 9. *reſ.* 114.

Aequiuocatio.

POteſt aliquis ex iuſta cauſa abſque mendacio aliqua verba vſurpare, etiamſi ex ſua ſignificatione non ſint ambigua, & in alium ſenſum detorquere, aliquo addito mente proferentis retento: non quidem ad fallendum,

ſed

Digitized by Google

ſed ad occultandam veritatem, quam non expedit manifeſtare. Sic Sacerdos interrogatus de peccato in confeſſione audito, poteſt reſpondere ſe nihil tale in confeſſione audiſſe, ſubintelligendo tanquam priuatum hominem. Item, qui aliqua bona abſcondit ſibi neceſſaria, ne a creditore capiantur, & ſic cogatur mendicare, poteſt interrogatus a Iudice iurare ſe nulla habere abſcondita, ſubintelligendo quæ manifeſtare teneatur. Item poteſt Confeſſarius proferre verba abſolutionis abſque intentione, ad fugiendam mortem ſibi a pęnitente intentam, ni abſoluat. Item poteſt quis iurare latroni daturum ſe pecunias abſque intentione dandi, vtendo hac retentione mentali *Dabo ſi tenear*. Item adultera rogata a marito an adulterium admiſerit, poteſt negare, concipiendo mente alium diem ab eo quo illud admiſit. Item veniens ex loco, qui falsò creditur peſte infectus, rogatus poteſt iurare ſe inde non venire, ſub intelligendo tamquam ex loco peſtilenti, &c. eiuſmodi autem æquiuocationibus vti addito etiam iuramento abſque cauſa, non eſt peccatum mortale; quia huic iuramento deeſt ſola diſcretio, ſeu iudicium, modò ne id fiat in fraudem tertij, aut in Iudicio dùm Iudex iuridicè interrogat. *3. par. tract. 6. Miſcell. reſ.* 30.

Beneficium.

1 PAtronus laicus, qui non eſt primus fundator beneficij, non tenetur ſub peccato mortali præſentare digniorem, etiã quoad beneficia curata; quia Conc. Trid. vult præſentatos examinari, & in Parochialibus iuriſpatronatus Eccleſiaſtici eligendum eſſe digniorem ab approbatis examinatoribus in concurſu. 2. *part. tract.* 15. *&* 1. *Miſcell. reſ.* 37.

2 Om-

Digitized by Google

2 Omnia beneficia, quæ curam animarum non habēt, poſſunt conferri dignis, prætermiſſis dignioribus: Concil. enim Trid. ſola Epiſcopalia, & curata beneficia decernit dignioribus eſſe conferenda. *ibid. reſ.* 38.

3 Epiſcopatus, & alia beneficia curam animarum habentia ſunt dignioribus conferenda, in concurſu competitorum; alioquin violatur iuſtitia diſtributiua, & committitur peccatum acceptionis perſonarum. Qui verò ius habent conferendi beneficia per prouiſionem liberam, vt Reges, & Sum. Pontif. non tenentur eligere digniores, niſi ſint in promptu, ſed ſufficit ſi eligant dignos. *ibid. reſ.* 40. Qui verò reſignat, poteſt reſignare digno cui voluerit; hic enim nullus eſt concurſus, & collator acquieſcendo reſignationi non peccabit. *ibid. reſ.* 41.

4 Regulares tenentur ad prælaturas eligere digniores; ſunt enim prælaturę regulares beneficia Eccleſiaſtica, curam animarum habentia. Quòd ſi ad ſolum Generalem pertinet electio ſuperorum, debet eligere digniorem, vel æquè dignum, poſt ſufficientem & exactam diligentiam circa cognitionem perſonarum. *ibid. reſ.* 61. *&* 5. *par. tract.* 14. *reſolut.* 11.

5 Eccleſiaſtici valdè nobiles, aut inſignis eruditionis, cęteris paribus, poſſunt plus alijs minùs nobilibus, aut minùs doctis imponere ex redditibus Eccleſiæ: debent tamen ſumptus eſſe moderati, vt non excedant decentem Eccleſiaſticorum modeſtiam. Vnde ſequitur Principum filios non poſſe tantum expendere de bonis Epiſcopatus, quantum poſſunt de bonis patrimonialibus; nam alia ſuſtentatio conueniens eſt Principi ſæculari, alia Eccleſiaſtico. *ibid. tract.* 16. *&* 2. *Miſcell. reſ.* 24.

6 In Religionibus ante electionem Prælatorum haberi poſſunt tractatus conſultorij, vt ſciatur quis ſit dignior,

vel

vel digniſſimus : tractatus autem ambitioſi, pactionales, conditionales, &c. omninò ſunt eliminandi. *ibid. reſ.* 35.

7 Qui Beneficij Eccleſiaſtici collatorem iam determinatum ad conferendum alteri, precibus vel muneribus inducit, vt ſibi vel amico minùs digno conferat, non tenetur ad reſtitutionem; quia relinquit collatorem in ſua libertate: neque facit iniuriam alteri, etiam ſi ex odio id faciat; quia odium non eſt peccatum contra iuſtitiam, ſed contra charitatem. 3*.par.tr.*5. *Miſcell.reſ.* 53.

8 Qui ſe agnoſcit minùs dignum, poteſt ſe offerre ad obtinendum beneficium, relinquendo totum iudicium electori, ſiue collatori, ſecundùm quoſdam; quod magis verum eſt in dubio de digniore. Si autem in concurſu eligatur, prætermiſſo digniori, poteſt beneficium, aut cathedram acceptare. Cęterùm in concurſu poteſt aliquando eligi dignus, relicto digniori. 1. Si dignior eſt extraneus. 2. Si minùs dignus eſt acceptior. 3. Si dignior eſt implicatus negotijs externis. 4. Si eſt periculum ne eligatur indignus. 5. Si minùs dignus eſt magis expertus. Item Patronus laicus poteſt præſentare minùs dignum, relicto digniore. *ibid. reſ.* 110. Examinatores autem non tenentur indicare digniorem, niſi Epiſcopus id poſtulet, vt faciat electionem Eccleſiæ vtiliorem. *ibid. reſ.* 111.

9 Ad obtinendum ſimplex beneficium, ſufficit annum 14. eſſe inchoatum. *ibid. tr.* 6. *Miſcell. reſ.* 64.

10 Quoties dubium eſt de beneficio, an ſit curatum, vel ſimplex, ſimplex eſt reputandum, quia tot ſunt qualitates ad beneficium curatum requiſitæ, vt meritò præſumi non debeant, niſi probentur 4. *par. tr.* 3. *reſ.* 74.

11 Beneficium vel tenuiſſimum, duorum ſcilicet ducatorum, eſt ſufficiens ad gaudendum beneficio fori. *ibid. tract.* 4. *reſ.* 51.

12 Be-

12 Beneficiarius, ſi incidat in excommnnicationem, non priuatur fructibus, redditibus, ſeu diſtributionibus beneficij, quia perceptio eorum non eſt communicare cum fidelibus, nec excommunicatio priuat illos iure aliquo peculiari. *ibid. reſ.* 54.

13 Acceptatio beneficij ab excommunicato, qui tempore collationis, & electionis non erat excommunicatus, valida eſt: quia iura ſolùm irritant collationem, & electionem, non verò acceptationem. Imò ad vitandum periculum infamiæ, ſeu ſcandali excommunicatus occultus in electione vel collatione beneficij, non tenetur ſuam excõmunicationem prodere, & poteſt ſine vllo ſcrupulo acceptare beneficium; debet tamen poſteà petere quamprimũ diſpenſationem. *ibid. reſ.* 56. & 5. *par. tr.* 9. *reſ.* 102.

14 Si eo tempore, quo debet fieri prouiſio per concurſum, non adſint examinatores Synodales, de quibus loquitur Conc. Trid. non poteſt Epiſcopus deputare alios abſq; Synodi celebratione. 3. *par. tr.* 5. *reſ.* 64. Quòd ſi quotannis Synodus non fiat, examinatores ſemel deputati munus ſuum debent exercere, donec noua Synodus habeatur: ſi autem elapſo anno aliqui ex eis mortui fuerint, officium omnium expirat. *ibid. verſ. Nota.*

15 Concurſus alicuius beneficij vitiatur ex eo quòd cum examinatoribus Synodalibus adhibeantur alij non Synodales. *ibid. reſ.* 65.

16 In acceptione perſonarum quoad beneficia conferenda probabile eſt dari paruitatem materiæ, & poſſe fieri abſque peccato mortali; vt quando munus, ad quod quis eligendus eſt, non eſt magni momenti; vel quando licèt ſit magni momenti, exceſſus tamen dignitatis paruus, & modicus eſt; tunc enim ſi quis prætermiſſo digniore eligeret minùs dignum, non eſſet grauis violatio iuſtitiæ diſtribu-

tiuæ,

tiuæ. 5. *part. tract.* 5. *reſol.* 13.

17 Collatio beneficij facta excommunicato inualida eſt, etiamſi ſit toleratus; quia quilibet excommunicatus, etiam ſi ſuam excommunicationem ignoret, vt quia oblitus eſt ſe eam incurriſſe, aut falsò putat ſe validè abſolutũ eſſe, eſt inhabilis ad beneficia acquirenda. Qui verò bona fide beneficium accepit in excommunicatione, eique deſeruiuit, etſi poſtea re cognita teneatur illud relinquere, poteſt tamen retinere fructus interim perceptos, qui reſpondet congruæ ipſius ſuſtentationi. Secus eſt de eo, qui nouit ſuam inhabilitatem; quia quæcumque facit, iniuſtè facit. *ibid. tr.* 9. *reſ.* 99. & *reſ.* 104.

18 Collatio beneficij facta excommunicato, qui neſcit ſe excommunicatum ignorantia probabili, valida eſt, ſicut & electio. Itidemque collatio beneficij facta ab excommunicato tolerato, valida erit. *ibid.*

19 Collatio beneficij facta ſuſpenſo, vel interdicto ſatis probabiliter non cenſetur inualida, quia id non planè colligitur ex Canonibus. *ibid. reſ.* 100.

20 Licet probabilius ſit excommunicatum cui facta eſt collatio beneficij, non poſſe poſt abſolutionem retinere, vel acceptare illud ſine noua collatione; tamen probabile etiam contrarium eſt; cum his tamen limitationibus 1. vt impedimentum ſit occultum, 2. vt id in nullius cedat præiudicium, 3. vt ſi ſciens ſuum impedimentum acceptaret collationem beneficij, non ſolum impetret diſpenſationem illius impedimenti prioris, ſed etiam illius, quod incurrit per talem acceptationem. *ibid. reſ.* 101.

21 Excommunicatus eſt inhabilis ad recipiendas penſiones, quæ ſunt beneficium Eccleſiaſticum, quia dantur titulo ſpirituali, non verò in his, quæ ſunt beneficium ſæculare, quia dantur titulo ſæculari. *ibid. reſ.* 103.

22 Præ-

22 Præſentatio facta a patrono Laico non tolerato valida eſt, ſecùs facta a Clerico. Epiſcopus tamen non tenetur eam admittere, etiamſi perſona præſentata digna ſit, & ſola præſentantis excõicatio obſtat. *ibid.reſ.*105.

23 Deſignatio beneficij ab excommunicato facta in fauorem tertiæ perſonæ valida eſt, quia non eſt præſentatio; neque electio, neque inſtitutio beneficij. *reſ.*106.

24 Conferens beneficium excommunicato præter excommunicationem maiorem incurrit etiam ipſo iure ſuſpenſionem a collatione eiuſdem beneficij: a collatione verò aliorum beneficiorum non eſt ipſo iure ſuſpenſus, ſed poſt binam monitionem ſuſpendi debet. *ibid.reſ.*107.

25 Probabile eſt electionem excommunicati excommunicatione minori ad beneficium factum ab electoribus, qui illam ignorarint, non eſſe inualidam. Imò eligentes ſcienter excommunicatum minori excommunicatione, non ſunt priuati voce. *ibid. reſ.* 132.

26 Qui poſt collationem beneficij impeditur iniuſtè accipere poſſeſſionem, poteſt pecunia redimere hanc vexationem, quia tota ſpiritualitas poſſeſſionis beneficij eſt ratione tituli, in quo is habet ius ad rem acquiſitam per collationem. *ibid.tract* 14.*reſ.*3.

27 Epiſcopi poſt reſignationem alicuius beneficij factam in eorum manibus, poſſunt illud conferre ſuis, vel reſignantis familiaribus, affinibus, &c. dummodò reſignantes illos præſentauerint poſt factam renunciationem, relinquendo in Epiſcopi voluntate prouiſionem beneficij, ſecùs ſi ante. 5.*par.tr.*14.*reſ.*26.

Bigamia.

1 BIgamus non eſt, ita vt amittat priuilegium fori, ſi quis fœminam priùs a ſe cognitam ducat poſteà

in vxorem, quia talis viri caro non eſt diuiſa, nec poteſt cenſeri diuiſa ratione vxoris, quæ alteri fuerit permixta. 4 *par. tr.* 1. *reſ.* 27. *verſ. Notandum.*

2 Qui tempore erat in minoribus conſtitutus, & poſteà viduam duxit, non amittit ex bigamia priuilegium fori; quia habilitas perſonæ circa priuilegium, cõſideratur ſolùm tempore commiſſi delicti. *ibid.*

3 An Clericus ſit bigamus, Iudex laicus non poteſt cognoſcere. *ibid. reſ.* 71.

4 Si bigamus eſt præuentus a curia ſæculari, debet remitti ad curiam Eccleſiaſticam (Inquiſitorem videlicet) quæ torquet ipſum ſuper intentione, & abiurare facit; deinde tenetur illum remittere ad curiam ſæcularem, quę ipſum punit pro bigamia; quando verò eſt præuentus a curia Eccleſiaſtica, in totum punitur ab ipſa, & non poteſt ampliùs curia ſæcularis ſe intromittere. *ibid. tr.* 7. *reſ.* 4.

5 Bigami in Inquiſitione Romana tamquàm ſuſpecti vehementer de hæreſi torquentur, & abiurant de vehementi: In Inquiſitione verò Hiſpanica, abiurant tantùm de leui, quia tales vt plurimum præſumuntur contrahere binas nuptias ex luxuria, vel cupiditate lucrandæ dotis. Vnuſquiſque ſequatur praxim Inquiſitionis ſuæ. *ibid. verſ. Igitur.*

6 Bigami præter abiurationem alijs etiam pœnis plectuntur: nam perſonæ viles fuſtigantur, & ad triremes per quinquennium mittuntur. Honeſtiores verò, & mulieres per idem tempus delegantur alijs pœnitentijs ſpiritualibus impoſitis, niſi adſit aliqua præſumptio in fauorem rei, nempe quia propter longam abſentiam vnius coniugis dicebant defunctum eſſe, tunc enim loco fuſtigationis; & triremium damnandus eſt ad exilium, & pœnam pecuniariam, *ibid. verſ. Quibus verò.*

7 Si

Digitized by Google

17 Si quis habens viuam vxorem deueniat ad actum proximum contrahendi cum alia, v. g. faciendo contractum dotis, denunciationes in Eccleſia, &c. in curia Romana abiurat de leui, & punitur exilio, vel carceribus, ſeu alijs pęnis arbitrarijs, & priùs torquetur ſuper intentione: at hoc non procedit in Inquiſitione Hiſpanica. *ibidem verſ. Sed hìc erit.*

8 Bigamus eſt ſuſpectus de fide, quamuis nullam vxorem carnaliter cognoſcat: non item ſi contraheret ſponſalia cum duabus, quamuis eas carnaliter cognoſcat, quia non contrahit matrimoniũ. *ibi. verſ. Notandum eſt tamen.*

9 Iiſdem pęnis quibus bigami, plectendus eſt, qui cõſulit aliquem, vt binas nuptias contrahat. *ibid. ver. Notandum eſt etiam.* Et coniugati, qui ſine vxoris licentia in sæculo degentis ſuſcipiunt ordines ſacros. *verſ. Nota ſecundo.*

10 Antequàm in crimine Bigamiæ procedatur ad capturam, præcedere debet plena probatio, vt conſtet reum vno eodemque tempore duas vxores habere: & licet reus ſeipſum detulerit, nihilominus per legitimos teſtes delictum probandum eſt, aut per teſtimonium authenticum de libro Parochi, vbi adſcribi ſolent nuptiæ. Teſtes autem ſatis eſt, vt dicant mulierem habitam fuiſſe pro vxore rei, illumque eam tractaſſe, vt communiter ſolent aliæ vxores tractari. *ibid. verſ. Nota primo.*

11 Bigamiæ irregularitas non poteſt tolli per Bullam Cruciatæ, quia hæc Bulla non tollit eam irregularitatem, quæ eſt pura inhabilitas, & quæ ob defectum lenitatis, & repreſentationis contrahitur. 4. *par. tr.* 2. *reſ.* 81.

Bulla Cruciatæ.

1 POteſt quis frui gratijs, & indultis per Bullam Cruciatæ conceſſis, extra Regna, vbi Bulla nõ promulgatur;

gatur; excepto vſu carnium, & lacticiniorum. *par.* 1. *tr.* 11. *reſ.* 1. Imò etiam qui proficiſcitur extra Regna Hiſpaniarum, vel Siciliæ, breui tamen reuerſurus, poteſt vti priuilegio Bullæ, circa eſum lacticiniorum. 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 20.

2 Qui habet Bullam Cruciatæ, non tenetur tempore interdicti audire ſacrum. Quia nemo tenetur vti priuilegio ſibi conceſſo; alioquin non eſſet priuilegium, ſed onus. Si tamen audiat, tenetur ſub veniali preces ad Deum fundere pro vnione Principum Chriſtianorum ad infideles debellandos. *ibid. reſ.* 2.

3 Per priuilegium huius Bullæ licèt in ieiunijs alicuius Iubilæi vti lacticinijs. Quia Iubilæum non requirit ſtrictius ieiuuium, quàm ieiunium Quadrageſimæ. *ibid. reſ.* 3.

4 Cui per priuilegium Bullæ licet edere carnes, cenſetur diſpenſatus a ieiunio; Quia abſtinentia a carnibus eſt de ſubſtantia ieiunijs. *ibid. reſ.* 4.

5 Regulares, & Presbyteri ſęculares ſuſcipientes Bullam, poſſunt diebus Dominicis Quadrageſimæ vti lacticinijs. Quia ſecundùm ius commune dies Dominici non appellantur dies Quadrageſimales. *ibid. reſ.* 5.

6 Non eſt neceſſe, vt qui ſuſcipit Bullam ad conſequendas Indulgentias ſit in gratia, quia Bulla hoc non dicit. *ibid. reſ.* 6.

7 Confeſſarius approbatus in vna diœceſi, poteſt per Bullam, vel Iubilæum in alia confeſſiones audire abſque noua Ordinarij loci approbatione, & poteſt a quocumque eligi in Confeſſarium: Bulla enim aliud non requirit, niſi vt Confeſſarius ſit ab Ordinario approbatus. *ibid. reſ.* 7. Imò qui habet beneficium curatum, poteſt vbique eligi in Confeſſarium, beneficio Bullæ: quilibet enim habens curam animarum, per Concil. Trid. eſt abſolutè approbatus. *ibid. reſ.* 8.

8 Appro-

Digitized by Google

8 Approbatus ab Epiſcopo cum limitatione, ad confeſſiones virorum, non autem mulierum, poteſt nihilominus eligi priuilegio Bullæ, non ſolùm a viris, ſed etiam a fęminis: quia hic Confeſſarius eſt ſimpliciter approbatus; illa autem limitatio non fuit appoſita ex defectu ſcientiæ, ſed ætatis. *ibid. reſ.* 9.

9 Confeſſarius in vno tantùm oppido ex defectu ſcientiæ approbatus non eſt per Bullam eligibilis: quia eſt approbatus cum reſtrictione propter inſufficientiam, vt qui eſt approbatus ad audiendas confeſſiones puerorum, & ruſticorum tantùm. *ibid. reſ.* 10.

10 Qui ad certum tempus eſt approbatus, tranſacto illo tempore per Bullam eſt eligibilis: cenſetur enim ſimpliciter approbatus, niſi poſteà ex cauſa ab ordinario reprobetur. *ibid. reſ.* 11. Atſi non ex propria culpa, neque ex crimine inducente infamiam, ſed ex maleuolentia Ordinarij, ſeu officialis, aut propter inobedientiam arcetur a confeſſionibus audiendis, idque conſtiterit, probabile eſt illum virtute Bullæ eſſe eligibilem. *ibid. reſ.* 12.

11 Confeſſarius regularis ab Epiſcopo approbatus, ſeu a ſuo Prælato prohibitus, eſt eligibilis per Bullam Cruciatæ, niſi habeat alios defectus: quia habet poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis: neque peccabit mortaliter ſic abſoluens, niſi ex vi ſuarum Conſtitutionum obligetur ad peccatum mortale. *ibid. reſ.* 13.

12 Regulares non poſſunt ſine licentia Prælatorum virtute Bullæ eligere Confeſſarium, qui illos a cenſuris, & caſibus reſeruatis abſoluat, niſi ille Confeſſarius ſit ex approbatis, & deputatis ab eorum Prælatis, ad eorum confeſſiones audiendas; alioquin corrueret diſciplina regularis. Extat Clementis VIII. Bulla innouata ab Vrbano VIII. an. 1630. 19. Iunij, qua declarat non poſſe

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Regulares virtute Bullę Cruciatę eligere Conſeſſarium extra Ordinem pro caſibus reſeruatis. Vnde ſaltem dum viuit Vrbanus, contrarium quorumdam non eſt probabile, nec tutum in praxi. *ibid. reſ.* 14. *& in Addit. in fin.* 3. *par. reſ.* 9. Nouitij tamen poſſunt ſumere Bullam, & virtute illius ſibi Confeſſarium eligere ad caſus reſeruatos, & edere lacticinia ſicut cęteri ſęculares: non enim quoad onera, cenſentur religioſi. *par.* 1. *tr.* 11. *reſ.* 15.

13 Qui peccat ob ſpem abſolutionis virtute Bullæ obtinendæ, gaudet illius priuilegio. Idem dicendum de Iubilæo. *ibid. reſ.* 16.

14 Poteſt quis per Bullam abſolui a cenſuris & caſibus reſeruatis ante & poſt ipſius ſuſceptionem incurſis. Idem dicendum de votis, ſeu commutandis, ſeu diſpenſandis. Quia verba Bullæ ſunt generalia, neque reſtringenda. *ibid. reſ.* 17.

15 Qui virtute Bullæ eligit Confeſſarium, & fictè confitetur peccata reſeruata, itavt eius confeſſio ſit irrita, poteſt a quocumque Confeſſario abſolutionem ab illis obtinere; quia cenſetur reſeruatio ſublata. Deinde virtute Bullę poteſt quis abſolui a caſibus reſeruatis extra confeſſionem: ergo ad tollendam reſeruationem virtute Bullę non requiritur vt confeſſio ſit valida; quare ſic abſolutus poteſt deinde illa peccata reſeruata cuilibet Confeſſario approbato confiteri, & ab eo validè abſolui. *ibid. reſ.* 18. *& in Addit. in fin.* 3. *par. reſ.* 16. *&* 4. *p. tract.* 4. *reſ.* 124.

16 Peccata reſeruata, in confeſſione per obliuionem omiſſa poſt adhibitam ſufficientem conſcientię diſcuſſionem, virtute Bullę non remanent ampliùs reſeruata: quia licet pęnitens explicitè non petat abſolutionem a reſeruatis; cenſetur tamen interpretatiuè petere, quia venit ad confeſſionem eo animo, vt ab omnibus peccatis abſoluatur:

tur:

tur: quapropter Confeſſarius cenſetur hic & nunc velle eum ab omnibus peccatis, quoad poteſt, abſoluere, & conſequenter tollere reſeruationem. Idem eſt de excommunicatione, niſi exigat ſatisfactionẽ partis. *par.* 1. *tr.* 11. *reſ.* 19.

17 Per Bullam Cruciatę datur facultas eligendi Sacerdotem, qui poſſit ſine licentia Parochi conferre hęc tria Sacramenta; Pœnitentiam, Euchariſtiam, & extremam Vnctionem. *ibid. reſ.* 20.

18 Commutatio votorum, quę fit virtute Bullę, fieri debet in eleemoſynam: ad ſubſidium temporale belli contra infideles, ſaltem ſecundùm partem. Tamen vota pauperum commutari poterunt in ſubſidium aliquod ſpirituale, cuiuſmodi ſunt orationes ad bellum illud promouendum. *ibid. reſ.* 21.

19 Qui vigore Bullę fuit abſolutus ab excommunicatione ſine ſatisfactione partis, fuit validè abſolutus; tenetur tamen ſatisfacere. *ibid. reſ.* 22. Quòd ſi non poteſt ſatisfacere in totum; ſatisfaciat in partem; & ſi non poteſt ſatisfacere ſine graui iactura famę, vel bonorum, poteſt licitè abſolui, modò creditor non patiatur ęquale damnũ. In his autem, & eiuſmodi caſibus, in quibus non poteſt pœnitens ſatisfacere, non ſufficit vt det cautionem iuratoriam, ſed debet dare pignoratoriam, vel ſaltem fideiuſſoriam; ſi hanc non poſſit, iuratoria ſufficit. *ibid. reſ.* 24.

20 Licèt percutiens clericum vel monachum, faciat iniuriam toti Eccleſię, vel monaſterio; tamen ſatisfaciendo percuſſo, cenſetur ſatisfacere parti; atque adeò virtute Bullę poteſt abſolui: quia eius eſt condonare quem pręcipuè tangit iniuria. *ibid. reſ.* 23.

21 Virtute Bullę poteſt quis extra confeſſionem a cenſuris abſolui. Idem dicendum de Iubilęo. Quia nulla eſt neceſſaria connexio inter abſolutionem a peccatis, & ab-

Digitized by Google

ſolutionem a cenſuris; & ſępè vſu venit vt pęnitens non ſit paratus vt ſtatim confiteatur, & tamen expediat illum ſtatim a cenſura abſolui. *ibid. reſ. 25.*

22 Nominatim denuntiatus, vel publicus percuſſor clerici, vel alius, cuius excommunicatio deducta eſt ad forum contentioſum, poteſt virtute Bullę abſolui: quę tamen abſolutio valębit tantùm in foro interiori; nam ita abſolutus debedit ſe gerere in publico, tamquam excommunicatus ad vitandum ſcandalum; poterit tamen priuatim Miſſam audire, Sacramenta obire, &c. Quod intelligendum eſt de cenſuris ab homine latis, ſuper quas aſſerit Summus Pontif. non cadere abſolutionem virtute Bullæ in foro exteriori. vnde infertur abſolutionem virtute Bullę a cenſuris a iure latis, valere etiam in foro exteriori, & iudiciali. *ibid. reſ. 26. & 5 par. tract. 9. reſ. 13.*

23 Probabilius eſt per Bullam Cruciatę non eſſe diſpenſabilem irregularitatem omnem prouenientem ex delicto: quia eiuſmodi irregularitas non includitur ſub nomine cenſurę à qua licet per Bullam abſoluere. Contraria tamen ſententia non caret probabilitate. *ibid. reſ. 27.*

24 Confeſſarius per Bullam Cruciatę poteſt abſoluere a quibuſcumque caſibus Summo Pontifici reſeruatis, non ſemel, ſed toties quoties, dummodò tamen ſint occulti; quia iam non ſunt reſeruati Summo Pontifici, ſed iure ordinario competunt Epiſcopis, vt definit Concil. Trident. Reſtrictio autem illa quę eſt in Bulla (*ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis*) poſita eſt quoad caſus publicus; quia Bulla ſolos caſus excipit Pontifici reſeruatos: at caſus occulti iam non ſunt Papales, ſed Epiſcopales. *ibid. reſ. 28.*

25 Poteſt Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ abſoluere a caſibus contentis in primo Canone Bullæ Cœnæ: quia excipitur ſola hæreſis formalis. *ibid. reſ. 29.* Quare

abſol-

Digitized by Google

abſolui poſſunt legentes libros hæreticos, non tamen animo hæretico; de libris chiromanticis; & magicis non eſt dubium, cùm non ſint hæretici. *ibid. reſ.* 30.

26 Qui legit librum hæretici auctoris, qui non tractat de religione ex profeſſo; vt librum auctoris Catholici cum ſcholijs, & commentarijs hæreticorum, licèt copioſis, non videtur incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ; ita vt per Bullam Cruciatæ ſit abſoluendus. *ibid. reſol.* 31. 32. Neque qui audit legentem librum hæreticum, ſecundùm quoſdam: audire enim non eſt legere, & verba legis pœnalis ſunt accipienda in propria ſignificatione. *ibi. reſ.* 33. Neque qui legit retinet, imprimit epiſtolam alicuius hæretici, aut Concionem, in qua hæreſim doceat, aut aliam chartam ſolutam, nec in formam tractatus redactam. *ibid. reſ.* 34. Nec qui legit librum hæreticum in Gallia, Anglia, aut alibi, vbi Bulla Cœnæ nō eſt recepta. *ib. reſ.* 35. Neque ſi quis latinæ linguæ rudis, aut illius idiomatis, quo liber hæreticus conſcriptus eſt, illum legat, incurret excōmunicationem; nam lectionem comitari debet intelligētia verborum, alioquin ea lectio nihil habet periculi. *ibid. reſ.* 36. Neque qui libros hæreticos comburunt propria auctoritate, nec Inquiſitoribus tradunt; quia dum illos comburunt, non retinent. *ibid. reſ.* 37.

27 Qui imponunt gabellas ſuper rebus, quæ emuntur, non ad negotiationē, ſed ad vſus vitę neceſſarios, non incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ita vt ſint priuilegio Cruciatæ abſoluendi: quia hæ gabellæ non ſunt iniuſtæ, cùm in illis, quantum fieri poteſt, ſeruetur æqualitas. *ibid. reſ.* 38.

28 Vt per priuilegium Bullæ poſſint vota commutari, non requiritur aliqua iuſta cauſa; quia hoc priuilegium confertur cum onere dandi eleemoſynam in ſubſidium

belli

belli contra infideles. *ibid. reſ. 39.* Poteſt autem hæc commutatio fieri in minus bonum, alioquin nullum eſſet priuilegium Bullæ; non tamen in longè minus, vt volunt quidam, *ibid. reſ. 40.* Nec tantùm vota, ſed etiam iuramenta ſoli Deo facta, virtute Bullæ commutari poſſunt; quia in vtriſque ſoli Deo obligatio acquiritur. *ibid. reſ. 41.* Non tamen poteſt Confeſſarius priuilegio Bullæ vota diſpenſare: quia maior poteſtas requiritur ad diſpenſandum, quàm ad commutandum. *ibid. reſ. 42.*

29 Poteſt Confeſſarius beneficio Bullæ commutare vota iuramento firmata: quia licèt votum & iuramentum ſint duo vincula ſpecie diuerſa; tamen moraliter, & in ordine ad Deum, & ad virtutem religionis cenſentur quaſi vnum vinculum. *ibid. reſ. 43.*

30 Peccaret Confeſſarius, qui ſine nulla iuſta cauſa nollet virtute Cruciatæ commutare vota pœnitentis: eſſet enim infidelis diſpenſator, quippe debet vti priuilegio ſibi conceſſo in fauorem pœnitentis. Non ita Religioſi, ſi nolint virtute priuilegiorum commutare vota, quia non obſtringuntur vti priuilegijs. *ibid. reſ. 44.*

31 Commutatio votorum per Bullam Cruciatæ extra confeſſionem ſacramentalem fieri poteſt. Idem dicēdum ſi fiat per priuilegium Regularium, vel per Iubilæum aliquod, *ibid. reſ. 45.*

32 Si quis iurauerit ſe, v. g. nūquam imposterùm alea luſurum, aut ſi ludat, ſe certam pecuniam eleemoſynæ nomine daturum, poteſt vi Bullæ Cruciatæ obtinere diſpenſationem etiam quoad pœnam pecuniariam, ex iuramenti, ſeu voti violatione incurſam: quia pęna illa non debetur, niſi ex vi iuramenti, ſeu voti: ergo facultas conceſſa ad commutandum votum, extenditur etiam ad pœnam. *ibid. reſ. 46.*

33 Poteſt

Digitized by Google

33 Poteſt vi Cruciatæ commutari votum emiſſum in fauorem tertij v.g ſacelli alicuius, vel pauperum, dummodò illud non fuerit acceptatum: quia eiuſmodi votum nō tribuit vllum ius ijs, in quorum fauorem fuit emiſſum. *ibid.reſ.*47.

34 Ad commutandum votum in bonum æquale Confeſſarius non indiget priuilegio Cruciatæ *ibid.reſ* 48.

35 Poſſunt per Bullam Cruciatæ commutari vota poſt Bullam ſuſceptam emiſſa, etiam ſi quis feciſſet votum de non petenda commutatione. *ibid.reſ.*50. & 51.

36 Poteſt Confeſſarius in finem anni differre commutationem voti, etiamſi annus Cruciatæ tranſeat, dicendo pœnitenti: Commuto tibi hoc votum in id, quod poſteà iudicauero tibi iniungendum, nec peccabit pœnitens ſi votum illud violauerit antequàm Confeſſarius quidquam iniunxerit: quia idem obligatio illius voti eſt extincta, & translata in aliud, quod pœnitens in genere acceptauit. *ibid.reſ.*52.

37 Per Bullam Cruciatæ poſſunt commutari vota pœnalia etiam verè conditionalia Religionis, ſeu caſtitatis, etiam poſt impletam conditionem: quia qui ſic vouit, nō elegit votum vt tale eſt; ſed potiùs vel ex pœnæ metu, vel ex amore rei ſub conditione poſitæ, non ex affectione Religionis, &c. quod eſt contra perfectam rationem voti Religionis, & Caſtitatis. *ibid.reſ.*53. & 54.

38 Poteſt item priuilegio Bullæ commutari votum ingrediendi religionem arctiorem, in votum ingrediendi laxiorem: erogata tamen aliqua eleemoſyna in ſubſidium belli. *ibid.reſ.*55.

39 Poteſt Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ commutare omnia vota, quæ poteſt Epiſcopus commutare vt Epiſcopus, idem eſt de Iubilæo; non autem vt Sedis Apoſtoli-

ſtolicæ delegatus. *ibid. reſol.* 56.

40 Priuilegio Bullæ Cruciatæ poteſt commutari votũ caſtitatis emiſſum ad certum tempus. *ibid. reſ.* 57. Item votum non petendi debitum etiam de vtriuſque coniugis conſenſu; quia non eſt votum integræ caſtitatis. *ibid. reſ.* 58. Item votum non nubendi, niſi tale votum fuiſſet emiſſum in fauorem alterius coniugis id petentis propter filiorum bonum: cùm enim in hoc caſu votum ſit factum in fauorem tertij, Confeſſarius non poteſt illud commutare, niſi alter coniux remittat ius, quod acquiſiuit, & acceptauit. *ibid. reſ.* 59. Item votum virginitatis, quando conſtat non eſſe votum caſtitatis, ſed ſolius integritatis corporis ſeruandæ, quæ conſiſtit in abſtinentia a primo luxuriæ actu, per quem virginitas amittatur: ſi tamen is, qui vouit, dubius eſt de ſua intentione, non poteſt vti beneficio Bullæ: quippe tale votum cenſetur votum caſtitatis abſolutum. *ibid. reſ.* 60. Item votum non fornicandi, non committendi actum mollitiei, &c. Eiuſmodi enim vota non ſunt perfectæ caſtitatis. *ibid. reſ.* 61. Item votum caſtitatis coniugalis *ibid. reſ.* 62. Item votum diſiunctiuum; cuius altera pars eſt reſeruata, vt ſi quis diceret: Voueo caſtitatem, vel ſacros Ordines: poteſt enim is, qui vouit, eligere eam partem, quam poteſt Confeſſarius per Bullam Cruciatæ commutare, etiamſi facta ſit impoſſibilis, ita vt iam non poſſet adimpleri. *ibid. reſ.* 74. Imò ſi vouens ſtatuat ad ſacros ordines non promoueri, & reliquam partem voti eligat, modò non accedat noua promiſſio, poteſt adhuc illud propoſitum pro vouentis arbitrio mutari, neque ex vi voti ita obligatur ad caſtitatem, quin Confeſſarius poſſit votum illud beneficio Bullæ Cruciatæ commutare. *ibid. reſ.* 63. *&* 65 Item votum ſuſcipiendi ſacros Ordines; quia non eſt votum caſtitatis; ſed votum aſſumendi ſtatum cui

annexa

Digitized by Google

annexa eſt caſtitas.*ibid.reſ.64.*

41 Si quis obſtrictus voto caſtitatis, ad nuptias tranſeat, non poteſt Confeſſarius virtute Bullæ tale votum commutare, vt poſſit petere debitum. Poteſt quidem Epiſcopus commutare, ſed iure ſpeciali, & vi conſuetudinis; neque relaxat ſimpliciter votum, ſed ſolùm ex parte, nempe ad petendum debitum, ideòque mortua coniuge obligatio voti reuiuiſcit. *ibid. reſ.66.*

42 Quando quis diuerſis votis varia ad caſtitatem pertinentia promiſit, poſſunt ſingula, vi Bullæ, atque adeò omnia commutari, licet ex omnibus ſimul iunctis conſurgat obligatio ad perfectam caſtitatem: quia vota poſteriora ſe habent per accidens ad priora; niſi vouens intendat ea coniungere, tunc enim tenetur obſtrictus voto indiſpenſabili perfectæ caſtitatis. *ibid.reſ.67.*

43 Poteſt virtute Cruciatæ commutari votum caſtitatis emiſſum ab altero coniugum poſt matrimonium conſummatum, ſine mutuo conſenſu: neque enim eſt votum omnimodæ caſtitatis, cùm alteri petenti teneatur reddere debitum: illo tamen matrimonio ſoluto, qui ita vouit tenetur ſeruare votum ſimplicis caſtitatis, niſi obtineat a Summo Pontifice diſpenſationem.*ibid.reſ.70.*

44 Omnia vota præter votum caſtitatis, religionis, & tranſmarinæ peregrinationis, virtute Bullæ commutari poſſunt. *ibid. reſ.68.* Imò ſi vota illa Summo Pontifici reſeruata, fuerint commutata in aliud quidpiam, illud poterit iterùm per Bullam commutari; quia per commutationem extinguitur priùs votum reſeruatum ratione materiæ: ergo aliud votum in alia materia non erit reſeruatũ, quin poſſit priuilegio Bullæ commutari. *ibid.reſ.71.* Item ſi votum caſtitatis, ſeu religionis quis emiſit cum intentione obligandi ſe tantùm ſub peccato veniali, votum illud

erit

Digitized by Google

gatur; excepto vſu carnium, & lacticiniorum. *par.* 1. *tr.* 11. *reſ.* 1. Imò etiam qui proficiſcitur extra Regna Hiſpaniarum, vel Siciliæ, breui tamen reuerſurus, poteſt vti priuilegio Bullæ, circa eſum lacticiniorum. 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 20.

2 Qui habet Bullam Cruciatæ, non tenetur tempoee interdicti audire ſacrum. Quia nemo tenetur vti priuilegio ſibi conceſſo; alioquin non eſſet priuilegium, ſed onus. Si tamen audiat, tenetur ſub veniali preces ad Deum fundere pro vnione Principum Chriſtianorum ad infideles debellandos. *ibid. reſ.* 2.

3 Per priuilegium huius Bullæ licèt in ieiunijs alicuius Iubilæi vti lacticinijs: Quia Iubilæum non requirit ſtrictius ieiuuium, quàm ieiunium Quadrageſimæ. *ibid. reſ.* 3.

4 Cui per priuilegium Bullæ licet edere carnes, cenſetur diſpenſatus a ieiunio; Quia abſtinentia a carnibus eſt de ſubſtantia ieiunijs. *ibid. reſ.* 4.

5 Regulares, & Presbyteri ſęculares ſuſcipientes Bullam, poſſunt diebus Dominicis Quadrageſimæ vti lacticinijs: Quia ſecundùm ius commune dies Dominici non appellantur dies Quadrageſimales. *ibid. reſ.* 5.

6 Non eſt neceſſe, vt qui ſuſcipit Bullam ad conſequendas Indulgentias ſit in gratia, quia Bulla hoc non dicit. *ibid. reſ.* 6.

7 Confeſſarius approbatus in vna diœceſi, poteſt per Bullam, vel Iubilæum in alia confeſſiones audire abſque noua Ordinarij loci approbatione, & poteſt a quocumque eligi in Confeſſarium: Bulla enim aliud non requirit, niſi vt Confeſſarius ſit ab Ordinario approbatus. *ibid. reſ.* 7. Imò qui habet beneficium curatum, poteſt vbique eligi in Confeſſarium, beneficio Bullæ: quiſlibet enim habens curam animarum, per Concil. Trid. eſt abſolutè approbatus. *ibid. reſ.* 8.

8 Appro-

8 Approbatus ab Epiſcopo cum limitatione, ad confeſſiones virorum, non autem mulierum, poteſt nihilominùs eligi priuilegio Bullæ, non ſolùm a viris, ſed etiam a fęminis: quia hic Confeſſarius eſt ſimpliciter approbatus; illa autem limitatio non fuit appoſita ex defectu ſcientiæ, ſed ætatis. *ibid. reſ.* 9.

9 Confeſſarius in vno tantùm oppido ex defectu ſcientiæ approbatus non eſt per Bullam eligibilis: quia eſt approbatus cum reſtrictione propter inſufficientiam, vt qui eſt approbatus ad audiendas confeſſiones puerorum, & ruſticorum tantùm. *ibid. reſ.* 10.

10 Qui ad certum tempus eſt approbatus, tranſacto illo tempore per Bullam eſt eligibilis: cenſetur enim ſimpliciter approbatus, niſi poſteà ex cauſa ab ordinario reprobetur. *ibid. reſ.* 11. At ſi non ex propria culpa, neque ex crimine inducente infamiam, ſed ex maleuolentia Ordinarij, ſeu officialis, aut propter inobedientiam arcetur a confeſſionibus audiendis, idque conſtiterit, probabile eſt illum virtute Bullæ eſſe eligibilem. *ibid. reſ.* 12.

11 Confeſſarius regularis ab Epiſcopo approbatus, ſeu a ſuo Prælato prohibitus, eſt eligibilis per Bullam Cruciatæ, niſi habeat alios defectus: quia habet poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis: neque peccabit mortaliter ſic abſoluens, niſi ex vi ſuarum Conſtitutionum obligetur ad peccatum mortale. *ibid. reſ.* 13.

12 Regulares non poſſunt ſine licentia Prælatorum virtute Bullæ eligere Confeſſarium, qui illos a cenſuris, & caſibus reſeruatis abſoluat, niſi ille Confeſſarius ſit ex approbatis, & deputatis ab eorum Prælatis, ad eorum confeſſiones audiendas; alioquin corrueret diſciplina regularis. Extat Clementis VIII. Bulla innouata ab Vrbano VIII. an. 1630. 19. Iunij, qua declarat non poſſe

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Regulares virtute Bullę Cruciatę eligere Confeſſarium extra Ordinem pro caſibus reſeruatis. Vnde ſaltem dum viuit Vrbanus, contrarium quorumdam non eſt probabile, nec tutum in praxi. *ibid. reſ.* 14. *& in Addit. in fin. 3. par. reſ.* 9. Nouitij tamen poſſunt ſumere Bullam, & virtute illius ſibi Confeſſarium eligere ad caſus reſeruatos, & edere lacticinia ſicut cęteri ſęculares: non enim quoad onera cenſentur religioſi. *par.* 1. *tr.* 11. *reſ.* 15.

13 Qui peccat ob ſpem abſolutionis virtute Bullæ obtinendæ, gaudet illius priuilegio. Idem dicendum de Iubilæo. *ibid. reſ.* 16.

14 Poteſt quis per Bullam abſolui a cenſuris & caſibus reſeruatis ante & poſt ipſius ſuſceptionem incurſis. Idem dicendum de votis, ſeu commutandis, ſeu diſpenſandis. Quia verba Bullæ ſunt generalia, neque reſtringenda. *ibid. reſ.* 17.

15 Qui virtute Bullæ eligit Confeſſarium, & fictè confitetur peccata reſeruata, ita vt eius confeſſio ſit irrita, poteſt a quocumque Confeſſario abſolutionem ab illis obtinere; quia cenſetur reſeruatio ſublata. Deinde virtute Bullę poteſt quis abſolui a caſibus reſeruatis extra confeſſionem: ergo ad tollendam reſeruationem virtute Bullę non requiritur vt confeſſio ſit valida; quare ſic abſolutus poteſt deinde illa peccata reſeruata cuilibet Confeſſario approbato confiteri, & ab eo validè abſolui. *ibid. reſ.* 18. *& in Addit. in fin.* 3. *par. reſ.* 16. *&* 4. *p. tract.* 4. *reſ.* 124.

16 Peccata reſeruata, in confeſſione per obliuionem omiſſa poſt adhibitam ſufficientem conſcientię diſcuſſionem, virtute Bullę non remanent ampliùs reſeruata: quia licet pęnitens explicitè non petat abſolutionem a reſeruatis; cenſetur tamen interpretatiuè petere, quia venit ad confeſſionem eo animo, vt ab omnibus peccatis abſoluatur:

tur:

Digitized by Google

tur: quapropter Confeſſarius cenſetur hic & nunc velle eum ab omnibus peccatis, quoad poteſt, abſoluere, & conſequenter tollere reſeruationem. Idem eſt de excommunicatione, niſi exigat ſatisfactionē partis. *par.* 1. *tr.* 11. *reſ.* 19.

17 Per Bullam Cruciatę datur facultas eligendi Sacerdotem, qui poſſit ſine licentia Parochi conferre hęc tria Sacramenta; Pœnitentiam, Euchariſtiam, & extremam Vnctionem. *ibid. reſ.* 20.

18 Commutatio votorum, quę fit virtute Bullę, fieri debet in eleemoſynam: ad ſubſidium temporale belli contra infideles, ſaltem ſecundùm partem. Tamen vota pauperum commutari poterunt in ſubſidium aliquod ſpirituale, cuiuſmodi ſunt orationes ad bellum illud promouendum. *ibid. reſ.* 21.

19 Qui vigore Bullę fuit abſolutus ab excommunicatione ſine ſatisfactione partis, fuit validè abſolutus; tenetur tamen ſatisfacere. *ibid. reſ.* 22. Quòd ſi non poteſt ſatisfacere in totum; ſatisfaciat in partem; & ſi non poteſt ſatisfacere ſine graui iactura famę, vel bonorum, poteſt licitè abſolui, modò creditor non patiatur ęquale damnū. In his autem, & eiuſmodi caſibus, in quibus non poteſt pœnitens ſatisfacere, non ſufficit vt det cautionem iuratoriam, ſed debet dare pignoratoriam, vel ſaltem fideiuſſoriam; ſi hanc non poſſit, iuratoria ſufficit. *ibid. reſ.* 24.

20 Licèt percutiens clericum vel monachum, faciat iniuriam toti Eccleſię, vel monaſterio; tamen ſatisfaciendo percuſſo, cenſetur ſatisfacere parti; atque adeò virtute Bullę poteſt abſolui: quia eius eſt condonare quem pręcipuè tangit iniuria. *ibid. reſ.* 23.

21 Virtute Bullę poteſt quis extra confeſſionem a cenſuris abſolui. Idem dicendum de Iubilęo. Quia nulla eſt neceſſaria connexio inter abſolutionem a peccatis, & ab-

Digitized by Google

ſolutionem a cenſuris; & ſępè vſu venit vt pęnitens non ſit paratus vt ſtatim confiteatur, & tamen expediat illum ſtatim a cenſura abſolui. *ibid. reſ. 25.*

22 Nominatim denuntiatus, vel publicus percuſſor clerici, vel alius, cuius excommunicatio deducta eſt ad forum contentioſum, poteſt virtute Bullę abſolui: quę tamen abſolutio valębit tantùm in foro interiori; nam ita abſolutus debedit ſe gerere in publico, tamquam excommunicatus ad vitandum ſcandalum; poterit tamen priuatim Miſſam audire, Sacramenta obire, &c. Quod intelligendum eſt de cenſuris ab homine latis, ſuper quas aſſerit Summus Pontif. non cadere abſolutionem virtute Bullæ in foro exteriori. vnde infertur abſolutionem virtute Bullę a cenſuris a iure latis, valere etiam in foro exteriori, & iudiciali. *ibid. reſ. 26. & 5 par. tract. 9. reſ. 13.*

23 Probabilius eſt per Bullam Cruciatę non eſſe diſpenſabilem irregularitatem omnem prouenientem ex delicto: quia eiuſmodi irregularitas non includitur ſub nomine cenſurę à qua licet per Bullam abſoluere. Contraria tamen ſententia non caret probabilitate. *ibid. reſ. 27.*

24 Confeſſarius per Bullam Cruciatę poteſt abſoluere a quibuſcumque caſibus Summo Pontifici reſeruatis, non ſemel, ſed toties quoties, dummodò tamen ſint occulti; quia iam non ſunt reſeruati Summo Pontifici, ſed iure ordinario competunt Epiſcopis, vt definit Concil. Trident. Reſtrictio autem illa quę eſt in Bulla (*ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis*) poſita eſt quoad caſus publicus; quia Bulla ſolos caſus excipit Pontifici reſeruatos: at caſus occulti iam non ſunt Papales, ſed Epiſcopales. *ibid. reſ. 28.*

25 Poteſt Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ abſoluere a caſibus contentis in primo Canone Bullæ Cœnæ: quia excipitur ſola hæreſis formalis. *ibid. reſ. 29.* Quare abſol-

abſolui poſſunt legentes libros hæreticos, non tamen animo hæretico; de libris chiromanticis, & magicis non eſt dubium, cùm non ſint hæretici. *ibid. reſ.* 30.

26 Qui legit librum hæretici auctoris, qui non tractat de religione ex profeſſo; vt librum auctoris Catholici cum ſcholijs, & commentarijs hæreticorum, licèt copioſis, non videtur incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ; ita vt per Bullam Cruciatæ ſit abſoluendus. *ibid. reſol.* 31. 32. Neque qui audit legentem librum hæreticum, ſecundùm quoſdam: audire enim non eſt legere, & verba legis pœnalis ſunt accipienda in propria ſignificatione. *ibi. reſ.* 33. Neque qui legit retinet, imprimit epiſtolam alicuius hæretici, aut Concionem, in qua hæreſim doceat, aut aliam chartam ſolutam, nec in formam tractatus redactam. *ibid. reſ.* 34. Nec qui legit librum hæreticum in Gallia, Anglia, aut alibi, vbi Bulla Cœnæ nõ eſt recepta. *ib. reſ.* 35. Neque ſi quis latinæ linguæ rudis, aut illius idiomatis, quo liber hæreticus conſcriptus eſt, illum legat, incurret excõmunicationem; nam lectionem comitari debet intelligẽtia verborum, alioquin ea lectio nihil habet periculi. *ibid. reſ.* 36. Neque qui libros hæreticos comburunt propria auctoritate, nec Inquiſitoribus tradunt; quia dum illos comburunt, non retinent. *ibid. reſ.* 37.

27 Qui imponunt gabellas ſuper rebus, quæ emuntur, non ad negotiationẽ, ſed ad vſus vitę neceſſarios, non incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ; ita vt ſint priuilegio Cruciatæ abſoluendi: quia hæ gabellæ non ſunt iniuſtæ, cùm in illis, quantum fieri poteſt, ſeruetur æqualitas. *ibid. reſ.* 38.

28 Vt per priuilegium Bullæ poſſint vota commutari, non requiritur aliqua iuſta cauſa; quia hoc priuilegium confertur cum onere dandi eleemoſynam in ſubſidium

belli

Digitized by Google

belli contra infideles. *ibid. reſ.39.* Poteſt autem hæc commutatio fieri in minus bonum, alioquin nullum eſſet priuilegium Bullæ; non tamen in longè minus, vt volunt quidam. *ibid. reſ.40.* Nec tantùm vota, ſed etiam iuramenta ſoli Deo facta, virtute Bullæ commutari poſſunt; quia in vtriſque ſoli Deo obligatio acquiritur. *ibid. reſ.41.* Non tamen poteſt Confeſſarius priuilegio Bullæ vota diſpenſare: quia maior poteſtas requiritur ad diſpenſandum, quàm ad commutandum. *ibid. reſ.42.*

29 Poteſt Confeſſarius beneficio Bullæ commutare vota iuramento firmata: quia licèt votum & iuramentum ſint duo vincula ſpecie diuerſa; tamen moraliter, & in ordine ad Deum, & ad virtutem religionis cenſentur quaſi vnum vinculum. *ibid. reſ.43.*

30 Peccaret Confeſſarius, qui ſine nulla iuſta cauſa nollet virtute Cruciatæ commutare vota pęnitentis: eſſet enim infidelis diſpenſator, quippe debet vti priuilegio ſibi conceſſo in fauorem pœnitentis. Non ita Religioſi, ſi nolint virtute priuilegiorum commutare vota, quia non obſtringuntur vti priuilegijs. *ibid. reſ.44.*

31 Commutatio votorum per Bullam Cruciatæ extra confeſſionem ſacramentalem fieri poteſt. Idem dicēdum ſi fiat per priuilegium Regularium, vel per Iubilæum aliquod, *ibid. reſ.45.*

32 Si quis iurauerit ſe, v. g. nūquam impoſterùm alea luſurum, aut ſi ludat, ſe certam pecuniam eleemoſynæ nomine daturum, poteſt vi Bullæ Cruciatæ obtinere diſpenſationem etiam quoad pœnam pecuniariam, ex iuramenti, ſeu voti violatione incurſam: quia pęna illa non debetur, niſi ex vi iuramenti, ſeu voti: ergo facultas conceſſa ad commutandum votum, extenditur etiam ad pœnam. *ibid. reſ.46.*

33 Poteſt

33 Poteſt vi Cruciatæ commutari votum emiſſum in fauorem tertij v.g ſacelli alicuius, vel pauperum, dummodò illud non fuerit acceptatum: quia eiuſmodi votum nō tribuit vllum ius ijs, in quorum fauorem fuit emiſſum. *ibid. reſ.* 47.

34 Ad commutandum votum in bonum æquale Confeſſarius non indiget priuilegio Cruciatæ *ibid. reſ* 48.

35 Poſſunt per Bullam Cruciatæ commutari vota poſt Bullam ſuſceptam emiſſa, etiam ſi quis feciſſet votum de non petenda commutatione. *ibid. reſ.* 50. *&* 51.

36 Poteſt Confeſſarius in finem anni differre commutationem voti, etiamſi annus Cruciatæ tranſeat, dicendo pœnitenti: Commuto tibi hoc votum in id, quod poſteà iudicauero tibi iniungendum, nec peccabit pœnitens ſi votum illud violauerit antequàm Confeſſarius quidquam iniunxerit: quia idem obligatio illius voti eſt extincta, & translata in aliud, quod pœnitens in genere acceptauit. *ibid. reſ.* 52.

37 Per Bullam Cruciatæ poſſunt commutari vota pœnalia etiam verè conditionalia Religionis, ſeu caſtitatis, etiam poſt impletam conditionem: quia qui ſic vouit, nō elegit votum vt tale eſt; ſed potiùs vel ex pœnæ metu, vel ex amore rei ſub conditione poſitæ, non ex affectione Religionis, &c. quod eſt contra perfectam rationem voti Religionis, & Caſtitatis. *ibid. reſ.* 53. *&* 54.

38 Poteſt item priuilegio Bullæ commutari votum ingrediendi religionem arctiorem, in votum ingrediendi laxiorem; erogata tamen aliqua eleemoſyna in ſubſidium belli. *ibid. reſ.* 55.

39 Poteſt Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ commutare omnia vota, quæ poteſt Epiſcopus commutare vt Epiſcopus, idem eſt de Iubilæo; non autem vt Sedis Apo-

ſtoli-

Digitized by Google

ſtolicæ delegatus. *ibid. reſol.* 56.

40 Priuilegio Bullæ Cruciatæ poteſt commutari votũ caſtitatis emiſſum ad certum tempus. *ibid. reſ.* 57. Item votum non petendi debitum etiam de vtriuſque coniugis conſenſu; quia non eſt votum integræ caſtitatis. *ibid. reſ.* 58. Item votum non nubendi, niſi tale votum fuiſſet emiſſum in fauorem alterius coniugis id petentis propter filiorum bonum: cùm enim in hoc caſu votum ſit factum in fauorem tertij, Confeſſarius non poteſt illud commutare, niſi alter coniux remittat ius, quod acquiſiuit, & acceptauit. *ibid. reſ.* 59. Item votum virginitatis, quando conſtat non eſſe votum caſtitatis, ſed ſolius integritatis corporis ſeruandæ, quæ conſiſtit in abſtinentia a primo luxuriæ actu, per quem virginitas amittatur: ſi tamen is, qui vouit, dubius eſt de ſua intentione, non poteſt vti beneficio Bullæ: quippe tale votum cenſetur votum caſtitatis abſolutum. *ibid. reſ.* 60. Item votum non fornicandi, non committendi actum mollitiei, &c. Eiuſmodi enim vota non ſunt perfectæ caſtitatis. *ibid. reſ.* 61. Item votum caſtitatis coniugalis. *ibid. reſ.* 62. Item votum diſiunctiuum; cuius altera pars eſt reſeruata, vt ſi quis diceret: Voueo caſtitatem, vel ſacros Ordines: poteſt enim is, qui vouit, eligere eam partem, quam poteſt Confeſſarius per Bullam Cruciatæ commutare, etiamſi facta ſit impoſſibilis, ita vt iam non poſſet adimpleri. *ibid. reſ.* 74. Imò ſi vouens ſtatuat ad ſacros ordines non promoueri, & reliquam partem voti eligat, modò non accedat noua promiſſio, poteſt adhuc illud propoſitum pro vouentis arbitrio mutari, neque ex vi voti ita obligatur ad caſtitatem, quin Confeſſarius poſſit votum illud beneficio Bullæ Cruciatæ commutare. *ibid. reſ.* 63. & 65 Item votum ſuſcipiendi ſacros Ordines; quia non eſt votum caſtitatis; ſed votum aſſumendi ſtatum cui

annexa

Digitized by Google

annexa eſt caſtitas. *ibid. reſ.64*.

41 Si quis obſtrictus voto caſtitatis, ad nuptias tranſeat, non poteſt Confeſſarius virtute Bullæ tale votum commutare, vt poſſit petere debitum. Poteſt quidem Epiſcopus commutare, ſed iure ſpeciali, & vi conſuetudinis; neque relaxat ſimpliciter votum, ſed ſolùm ex parte, nempe ad petendum debitum, ideòque mortua coniuge obligatio voti reuiuiſcit. *ibid. reſ.66*.

42 Quando quis diuerſis votis varia ad caſtitatem pertinentia promiſit, poſſunt ſingula, vi Bullæ, atque adeò omnia commutari, licet ex omnibus ſimul iunctis conſurgat obligatio ad perfectam caſtitatem: quia vota poſteriora ſe habent per accidens ad priora; niſi vouens intendat ea coniungere, tunc enim tenetur obſtrictus voto indiſpenſabili perfectæ caſtitatis. *ibid. reſ.67*.

43 Poteſt virtute Cruciatæ commutari votum caſtitatis emiſſum ab altero coniugum poſt matrimonium conſummatum, ſine mutuo conſenſu: neque enim eſt votum omnimodæ caſtitatis, cùm alteri petenti teneatur reddere debitum: illo tamen matrimonio ſoluto, qui ita vouit tenetur ſeruare votum ſimplicis caſtitatis, niſi obtineat a Summo Pontifice diſpenſationem. *ibid. reſ.70*.

44 Omnia vota præter votum caſtitatis, religionis, & tranſmarinæ peregrinationis, virtute Bullæ commutari poſſunt. *ibid. reſ.68*. Imò ſi vota illa Summo Pontifici reſeruata, fuerint commutata in aliud quidpiam, illud poterit iterùm per Bullam commutari; quia per commutationem extinguitur priùs votum reſeruatum ratione materiæ: ergo aliud votum in alia materia non erit reſeruatũ, quin poſſit priuilegio Bullæ commutari. *ibid. reſ.71*. Item ſi votum caſtitatis, ſeu religionis quis emiſit cum intentione obligandi ſe tantùm ſub peccato veniali, votum illud

erit

Digitized by Google

erit per Bullam commutabile, etiam factum cum intentione ſe obligandi, vt ſolus Papa poſſit commutare; quia tale votum non eſt ex reſeruatis Papæ. *ibid. reſ.* 72. Item votum caſtitatis, ſeu religionis emiſſum propter leuē metum, poteſt per Bullam Cruciatæ commutari: quia non eſt omninò liberum, ac proinde non cenſetur reſeruatum, imò probabile eſt votum ex leui metu eſſe irritum. *ibid. reſ.* 73.

45 Votum vouendi caſtitatem, ſeu religionem, eſt commutabile per Bullam; quia non eſt votum caſtitatis, nec religionis. *ibid. reſ.* 76.

46 Votum Religionis Melitenſis non poteſt priuilegio Bullæ commutari: quia Equites Melitenſes ſunt verè religioſi, itaut per profeſſionem huius religionis dirimatur matrimonium ratum. *ibid. reſ.* 77. Votum autem Religionis D. Iacobi Calatrauæ, & Alcantaræ poteſt; quia ſub opinione eſt an ſit reſeruatum, necne. *ibid. reſ.* 78.

47 Votum perſeuerandi in religione non videtur indigere priuilegio Bullæ; quia eiuſmodi votum non obligat, ſi is qui vouit, iudicet tempore nouitiatus, eam religionem ſibi non eſſe accommodatam. Sed eſto, votum illud obliget, poteſt tamen per Bullam commutari; quia eſt diuerſum à voto religionis. *ibid. reſ.* 79.

48 Votum religionis per Bullam commutari poteſt, vt tempore præſcripto ex iuſta cauſa non impleatur, dummodò non ita differatur vt ſit periculum ne non poſſit impleri: quia hæc commutatio non attingit ſubſtantiam voti, ſed tantùm circumſtantiam temporis. *ibid. reſ.* 80. Poteſt autem Confeſſarius vi Bullæ commutare qualitatem adiunctam ſubſtantiæ voti Religionis, ſeu caſtitatis. *ibid. reſol.* 83.

49 Votum caſtitatis emiſſum cum licentia alterius cõiugis,

iugis, abſque animo ingrediendi religionem, per Bullam eſt commutabile. At ſi vterque communi conſenſu continentiam vouit per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, non poteſt illud votum per Bullam commutari; ſic enim vouentes obligant ſe ad votum abſolutè, atque integræ caſtitatis. *ibid.reſ* 82.

50 Qui beneficio Bullæ obtinuit commutationem voti, poteſt redire ad prius votum, omiſſo eo, in quod facta eſt commutatio, licèt facta fuerit in melius: quia hæc commutatio facta eſt in fauorem vouentis; ergo poteſt ei renuntiare. *ibid.reſ.*85.

51 Votum religionis, ſeu caſtitatis emiſſum ab eo, qui eſt ſub alterius poteſtate, ſecundùm Gutierrez, eſt per Bullam commutabile; negant plures alij. *ibid.reſ.*84.

52 Per Bullam Cruciatæ ſuſpenduntur altaria priuilegiata Conuentibus quibuſdam conceſſa ad liberationem animarum à Purgatorio: oppoſita tamen ſententia eſt æquè probabilis. *ibid.reſ.*86. *& in Addit. in fin. 3. par. reſ.* 22. Non ſuſpenduntur autem priuilegia conceſſa iure communi, & conſuetudine approbata. 1. *par. tr.* 11. *reſ.* 87. Neque Indulgentiæ Regularium. *ibid. reſ.* 88. Superiores Ordinum ſeu mendicantium, ſeu non mendicantium, non obſtante Bulla Cruciatæ, frui poſſunt omnibus facultatibus & priuilegijs a Sede Apoſtolica obtentis. *ibid.reſ.*89.

53 Si elapſo anno non promulgetur ſecunda Bulla, poterit quis frui priuilegio primæ Bullæ, quoad noua promulgetur. *ibid.reſ.*91. Et ſi ante elapſum annum promulgetur ſecunda, poterit quis vti priuilegio primæ, donec annus abſoluatur. *ibid.reſ.*93.

54 Qui ſub finem anni quo expirat Cruciata, cœpit confiteri, nec potuit iuſtas ob cauſas abſolui, poteſt elapſo anno virtute Bullæ præcedentis abſolui; quia confeſ-

ſio

ſio fieri cępta eſt tempore idoneo. *ibid.reſ.* 94.

55 Si amicus ſumat Bullam Cruciatæ nomine alterius, qui iam habet, poteſt hic illam non acceptare, & alicui applicare. *ibid. reſ.* 95. Si autem Bulla abſque culpa amittatur, vel rumpatur, vel comburatur, valebit tamen, neque erit opus aliam ſumere. *ibid.*

56 Per clauſulam Bullæ Cœnæ, vel per Iubilæum anni Sancti Bulla Cruciatæ non ſuſpenditur: quia priuilegia illius Bullæ conceduntur per modum contractus; quæ autē ſic conceduntur, non cenſentur a Pontifice reuocari. *ibid. reſol.* 97.

57 Non poſſunt ſub mortali Prælati regulares prohibere ſubditos ne ſumant Bullam Cruciatæ, ſed debent cōcedere facultatem illam ſumendi; poſſunt tamen illam facultatem coarctare quoad talem vſum. *ibid. reſ.* 99.

58 Priuilegia Regularium commutandi vota, & in eis diſpenſandi, & abſoluendi a reſeruatis, non ſuſpenduntur per Bullam Cruciatæ; imò neque per Iubilæum anni Sancti. Quia cùm hæc priuilegia non ſpeciali alicui Monaſterio, ſed toti Religioni ſint conceſſa, & ordinentur ad bonū commune fidelium, non ſuſpenduntur per verba generalia, ſi de illis ſpecifica mentio non fiat. *ibid. reſ.* 100. & in Addit. in fin. 3. *par. reſ.* 23.

59 Valet Bulla, quam meretrix de turpi quæſtu ſumit: quia licèt turpiter faciat peccando, non tamen turpiter accipit pretium peccati. At ſi ex furto ſumatur Bulla, non valet; vult enim Summus Pontif. hanc eleemoſynam fieri de proprijs bonis. 1. *par. tract.* 11. *reſ.* 101.

60 Ad lucrandas indulgentias Bullæ Cruciatæ poſſunt ex vno loco quinque altaria viſitari; vel ſi nō fuerint quinque altaria, idem altare erit quinquies viſitandum: licèt alij putent non eſſe opus loco dimoueri, ſed eodem loco fi-

xum

Digitized by Google

xum poſſe illud quinquies viſitare, dummodo qualibet viſitatione finita, ſaltem corpus, & caput inclinet in ſignum diſtinctæ viſitationis. *ibid. reſ.* 102. *& in Addit. in fi.* 3. *par. reſol.* 25.

61 Quando non licet Eccleſiam ingredi propter turbã, poteſt quis conſequi Indulgentias Bullæ orãdo pro foribus. 1. *par. tract.* 11. *reſ.* 103. Poſſunt autẽ hæ indulgentiæ eõdẽ die ſæpius obtineri *ibi. reſ.* 104. *&* 5. *par. tr.* 12. *reſ.* 2.

62 Ad haſce Indulgentias lucrandas ſufficit, vt ſuſcipiens Bullam confeſſus fuerit Quadrageſima præterita, & habeat propoſitum confitendi Quadrageſima futura. *ibid. reſ.* 105.

63 In articulo mortis, indulgentia Bullæ eſt ſub conditione impertienda moribundo: ita enim fieri iubet Cõmiſſarius Bullæ; vel dicat confeſſarius: Concedo tibi omnes gratias, quas concedere poſſum virtute huius Bullæ. Cæterùm quando clericus haberi non poteſt, laicus poteſt concedere indulgentiam Bullæ: *ibid. reſ.* 106. *&* 5. *part. tr.* 3. *reſ.* 133.

64 Ad indulgentias Bullæ conſequendas non eſt neceſſaria confeſſio ſine conſcientia peccati mortalis. Quia non ſolet præcipi confeſſio, niſi de peccatis mortalibus. *ibid. reſ.* 107.

65 Moribundo ſenſibus deſtituto, qui petijt antea confeſſionem, poteſt indulgẽtia Bullæ applicari. *ibid. reſ.* 108. Quamuis anteà id non petierit. 5. *par. tract.* 3. *reſ.* 133.

66 Per Bullam Cruciatæ lucratur quis indulgentiam plenariam ſemel in vita, & ſemel in morte: in bello autem toties quoties confitetur. *ibid. reſ.* 109.

67 Commiſſarius Cruciatæ poteſt diſpenſare ſuper qualibet irregularitate; præterquàm ratione homicidij voluntarij, aut ſimoniæ, vel apoſtaſiæ a fide, vel hæreſis,

Digitized by Google

vel propter malam Ordinum ſuſceptionem, *ibid. reſ.* 110. Etiam ſuper irregularitate publica contracta ex delicto. *ibid. reſ.* 111. Nec non ſuper irregularitate proueniente ex homicidio caſuali, & ex iniuſta mutilatione membrorum, quia Bulla excipit tantùm homicidium voluntarium. *ibid. reſ.* 112.

68 Poteſt etiam Commiſſarius diſpenſare pro ſolo cõſcientię foro in affinitate conſurgenti ex copula fornicaria in primo, & ſecundo gradu vtriuſque lineæ tranſuerſalis, & rectæ, & prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam, legitimam decernere, concurrentibus hiſce conditionibus. 1. vt matrimonium cum illo impedimento ſit jam contractum, nec omiſſæ fuerint culpabiliter denuntiationes, ſeruataq. ſit forma Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. 2. vt impedimentum ſit occultum, ideſt, vt non ſit publicum. 3. vt ad fuerit bona fides ſaltem ex parte alterius contrahentis ignorantis illud impedimentum. 4. vt coniux qui ignorauit impedimentum, certior fiat de prioris conſenſus nullitate, non tamen de impedimento, niſi in genere. *ibid. reſ.* 116. 117. 118. *&* 119.

69 Quando virtute Bullæ Cruciatæ conceditur facultas edendi carnes ex licentia vtriuſque medici, non intelligitur quando cauſa eſt manifeſta, aut dubia, ſed quando eſt ſolùm ſufficiens ad petendam diſpenſationem, non tamen ad edendas carnes abſque illa. 3 *part. tract.* 5. *Miſcell. reſol.* 70.

70 Per Bullam Cœnæ Domini non derogatur facultas Bullæ Cruciatæ quoad abſolutionem a reſeruatis in eadẽ Bulla Cęnæ, excepta tamen hæreſi, quia expreſsè in Bulla Cruciatæ conceditur abſolutio a caſibus Cœnæ, excepta hæreſi. *par.* 4. *tract.* 4. *Miſcell. reſ.* 18

71 Si quis latroni iurauit dare, v. g. tot pecunias ne oc-

cidere-

cideretur, poteſt ſuum iuſiurandum a Confeſſario commutari vigore Bullæ Cruciatæ. *ibid. reſ.* 19.

72 Princeps qui ſecunda vice vult ſumere Bullam Cruciatæ, non tenetur ſoluere decem tarenos, ſed octo argenteos iuxta taxam, nulla enim eſt diſtinctio pretij in prima, vel ſecunda vice. 5. *par. tr.* 13. *reſ.* 53.

73 Viduæ, quæ mortuis maritis nullo modo manent dominæ, vel vſufructuariæ, non tenentur pro ſumenda Bulla contribuere decem tarenos, ſecùs ſi manſiſſent vſufructuariæ, quia reuera dominæ ſunt vaſſallorum; filij verò ipſarum, dùm proprijs bonis non vtuntur, non tenentur hanc maiorem eleemoſynam contribuere, ſicut nec titulos ſumunt per cognomina, vel loca, & vaſſallos non habent, non tenentur ſoluere dictam ſummam. *ibid. verſ. Nota.*

74 Vxores Ducum, Comitum, Marchionum, Conſiliariorum, Regiorum, Commendatorum Maiorum tenentur ſoluere octo drachmas eo ipſo, quòd ſint vxores virorum, qui octo argenteos contribuere tenentur. Sicut & illa, quæ ratione dotis eſt domina vaſſallorum, licèt ſit vxor alterius, & ita non habeat bonorum adminiſtrationem; tenetur tamen pro Bulla contribuere octo argenteos. *ibid. verſ. Et tandem.*

75 Poteſt Confeſſarius virtute Iubilæi commutare iuramentum ſoluendi vſuras, & iuramenta metu iniuſto extorta, & vota in fauorem tertij facta, nondum tamen acceptata. 5. *par. tract.* 12. *reſ.* 56.

76 Confeſſarius, qui habet facultatem diſpenſandi iuramento, poteſt etiam diſpenſare in iuramentis promiſſorijs Deo factis. *ibid. reſ.* 57.

77 Indulgentia, ſublata peccati fictione, non ſortitur effectum ſuum, quia omnes Indulgentiæ conceduntur

C 2 homi-

hominibus confeſſis, vel contritis; ergo nihil operantur in illis, qui ſunt in peccato, quia non ſunt contriti. *par.* 4. *tr.* 4. *Miſcell. reſ.* 94.

78 Quando duobus diebus immediatis occurrunt duo Iubilæa, quorum quodlibet requirit confeſſionem, & communionem, non eſt neceſſarium bis confiteri, aut ſumere Euchariſtiam, ſi pœnitens perſeueret in gratia tempore vtriuſque Indulgentiæ, quia confeſſio, & communio requiruntur in ordine ad dipoſitionem animæ, vt exiſtens in gratia poſſit lucrari Indulgentiam. *ibid. reſ.* 166.

79 Per Bullam Cruciatę lucratur quis in diebus ſignatis, qui vocantur ſtationes, omnes Indulgentias plenarias Vrbis Romæ. 5. *par.* *tr.* 12. *reſ.* 2.

80 Si quis viſitet Oratorium domi ſuæ pro Miſſa celebranda approbatum, lucratur Indulgentiam Bullæ Cruciatæ, cum onere viſitandi Eccleſias, vel Altaria, quia nomine Eccleſiæ abſolutè compræhenditur etiam Oratorium. Et licèt ſic viſitans Oratorium priuatum quinquies, non tenetur intrare, vel exire quinquies Oratorium, tamen probabile eſt, requiri aliquem motum corporalem etſi modicum, & benè compoſitum, vt ſi poſt ſingulas viſitationes profundè caput inclinaret: per hanc enim inclinationem viſitationes ſatis diſtinguerentur. *ibid. reſ.* 43.

81 Per Bullam Cruciatæ poteſt quis abſoluere a Cenſuris latis contra cauſantes, procurantes, vel conſulentes abortum. *ibid.* *tr.* 9. *reſ.* 40.

82 Confeſſarius, qui habet generalem facultatem abſoluendi à Cenſuris v. g. virtute Bullæ Cruciatę, poteſt abſoluere a ſuſpenſione etiam contracta ob defectum tituli, vel ob malam ordinum ſuſceptionem, quia hæ ſunt Cenſuræ, nec excluduntur dictæ ſuſpenſiones. Si verò quis cum dicta ſuſpenſione celebret, non videtur poſſe abſolui ab

irre-

Digitized by Google

irregularitate incurſa, per Bullam etiam Cruciatam ex probabiliori ſent. *4.par.tr.4.reſ* 115.

83 Cùm Confeſſarius virtute Iubilæi habeat facultatem diſpenſandi, & commutandi vota, extenditur hæc facultas ad vota etiam iuramento firmata; quia vtrumque ſeparatum diſſolui poſſet, ergo & coniuncta. Immò ſi facultas hæc eſſet limitata ad vnicum votum, poſſet tunc etiam auferri iuramentum de eadem materia illi concomitanter adiunctum. *5.par.tr.12.reſ.57.*

84 Licèt probabilius ſit Confeſſarium virtute Iubilæi non poſſe commutare vota peregrinationis in Hieruſalē, ad limina Apoſtolorum, & ad D. Iacobum in Compoſtellam, quamuis expreſsè non excipiantur; tamen contrarium etiam ſua probabilitate non caret; & erit certum primò ſi Pontifex concederet abſolutè generalem facultatem commutandi, vel diſpenſandi vota reſeruata. Secundò ſi Pontifex in facultate diſpenſandi in omnibus votis, exciperet votum caſtitatis, & Religionis, in tali caſu vota illa tria peregrinationis intelligerentur conceſſa, quia exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis. *ibid. reſ.* 58.

85 Non videtur Confeſſarius poſſe vi Iubilæi diſpenſare, vel commutare votum perpetuæ caſtitatis, vel Religionis, quando non eſt tota materia voti. *ibid.reſ.60.*

86 Cùm votum caſtitatis, aut Religionis fuit a Summo Pontifice commutatum in materiam non reſeruatam, puta in Eleemoſynas, in Confeſſiones menſtruas, & cetera, poteſt Epiſcopus, & Confeſſarius vi Iubilæi hanc materiam commutationis non reſeruatam in aliam commutare. *ibid.verſ. Notandum.*

87 Poteſt Epiſcopus, & Confeſſarius vi Iubilæi commutare votum perpetuæ caſtitatis, vel Religionis, metu etiam leui extortum. Immò votum etiam ſolemne ex me-

tu leui iniuſtè incuſſo editum, in foro conſcientiæ eſt irritum. *ibid. reſ.* 61.

88 Si excommunicatus poſſit parti ſatisfacere, & non ſatisfaciat, Confeſſarius tamen delegatus a Bulla Cruciatæ, vel Priuilegio illum abſoluens, validè abſoluit, quia verbis illis: *ſatisfacta parte*, non limitatur delegato poteſtas, ſed admonetur, vt ſeruet formam iuris communis, quam etiam delegans ſeruare debet. Vnde is, qui abſque dicta ſatisfactione, aut cautione abſoluit excommunicatum, tenetur ad reſtitutionem damni inde ſecuti parti læſæ, quia abſoluens non debet abſoluere ante prædicta. 5. *par. tr.* 9. *reſol.* 12.

89 Confeſſarius abſoluens per Bullam Cruciatæ, aut Iubilæum a Cenſuris, numquam abſoluit ad reincidentiã. Ad hoc autem vt quis conſequatur Iubilæum, poteſt abſoluere eum cautione, vel iuramento de ſatisfaciendo parti, ita vt ſi poſt tranſactum Iubilæum, non ſatisfecerit, reincidat in cenſuras, a quibus abſolutus fuerat in foro exteriori. *ibid. reſ.* 25.

90 Per Bullam Cruciatæ poteſt abſolui excommunicatio incurſa ob duellum, quia Bulla Cruciatæ non reuocatur, niſi per expreſſam derogationem, quæ non continetur in motu proprio Clem. VIII. 5. *p. tr.* 14. *reſ.* 104.

91 Regulares poſt Bullam Vrbani VIII. prohibentur vſu Cruciatæ, quoad articulum eligendi Confeſſorem, a quo abſoluantur a reſeruatis ſuo Superiori. 4. *par. tr.* 40. *reſol.* 43.

Cardinalium facultas.

1 CArdinalitia dignitate nulla maior eſt in Eccleſia Dei poſt Pontificem Maximum, quia Cardinales ſunt membra, & pars corporis Pontificis, & cum ipſo cor-

pus

Digitized by Google

pus vnum myſticum conficiunt. Patet hoc ex Epiſtola Eugenij Papæ IV. *par.5.tract.2.reſ.1.*

2 Cardinalatus non eſt de iure Diuino, ſed de iure poſitiuo inſtitutus, ideò non eſt Ordo, & poteſt a Pontifice extingui; ſicut etiam poteſt extinguere Patriarchas, & Archiepiſcopos, quia poteſt in iure humano diſpenſare. *ibid. reſ.2.*

3 Cardinales, licèt non ſint Epiſcopi, habent ius præſentiæ, & iudicij in Conſilijs generalibus, cùm tamquàm Senatores, & Conſules, atque Vrbis Patritij habeantur, & euulgentur. Imò præferri debēt Epiſcopis, & Patriarchis. *ibid. reſ.3.*

4 Quamuis Summus Pontifex nulla neceſſitate cogatur, vt definiat ardua Eccleſiæ negotia cum conſenſu Cardinalium, ſed per ſe ſolus id poſſit; tamen conuenientiſſimum eſt Pontificem in arduis negotijs Cardinalium conſilium adhibere, atque ita ad hoc de neceſſitate adſtringi. *ibid. reſ.4.*

5 Probabile eſt etiam poſt Conc. Trid. poſſe Cardinales Presbyteros conferre primam Tonſuram, & minores ordines in ſuis titulis, & hoc ſaltem ex conſuetudine, quæ licèt dare non poſſit ad hoc iuriſdictionem, eſt tamen ſignum eam habere à Papa. *ibid. reſ.5.*

6 Poſſunt item concedere Indulgentias centum dierum, & hoc tùm ex conſuetudine, tùm ex tacito conſenſu Summi Pontificis. *ibid. reſ.6.*

7 Inſuper poſſunt in Eccleſijs Titularibus cognoſcere cauſas clericorum etiam criminales, & ſi clericus erit depoſitione dignus, ſententiam ferre, actum tamen degradationis Epiſcopo committere debere, cùm hæc ſit Ordinis. *ibid. reſ.7.*

8 Cardinales Epiſcopi non excuſantur à reſidentia,

Digitized by Google

quamuis Romæ Summo Pontifici aſſiſtant, & hoc ex Decreto Conc. Trid. & ex Bulla Vrb. VIII. Excipe illos ſex, qui habent Epiſcopatus Vrbi proximos. *ibid. reſ.* 8.

9 Mortuo Pontifice non poſſunt Cardinales leges condere, & alia iuriſdictionalia facere ex Clement. Ne Romani de elect. *niſi in ijs, quæ ad electionem Pōtificis,* defenſionem Eccleſiæ, & quæ ad obuiandum imminentibus periculis ſpectant. *ibid. reſ.* 9.

10 Quilibet Cardinalis poteſt ſibi eligere confeſſariū, cui confiteatur, quamuis ab Epiſcopo non approbatum. Imò etiam quicumque de familia Cardinalium poteſt ſibi de eorum licentia eligere confeſſarium. *ibid. reſ.* 10.

11 Per promotionem alicuius ad Cardinalatum vacant omnes Eccleſiæ, & omnia beneficia, quæ ante habebat cuiuſcumque nominis, & tituli ſint, niſi fuerit data retentio, quæ conceſſa intelligatur, & data ad Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias, ad Monaſteria etiam commendata, ad Prioratus, & ad cætera omnia beneficia, quæ videntur conuenire dignitati Cardinalatus. Ad alia verò, quæ videntur repugnare dignitati, & gradui Cardinalatus, puta Decanatus, Canonicatus, & ſimilia beneficia non extenduntur. *ibid. reſ.* 11.

12 Cardinales in ſuis titulis poſſunt excommunicare, ſuſpendere, & interdicere, & vti Pontificijs inſignibus, & benedicendi ſolemnem ritum more Epiſcoporum exercere, licèt non ſint Epiſcopi. Imò eorum etiam Vicarij poſſunt fulminare cenſuras, & reliqua facere, quæ ſunt iuriſdictionis Epiſcopalis. *ibid. reſ.* 12.

13 Poſſunt etiam conferre beneficia in ſuis Eccleſijs titularibus, ſi tamen ſint in Vrbe; nam in eorum abſentia ſolus Papa confert. *ibid. reſ.* 13. Poſſunt item recipere reſignationes beneficiorum exiſtentium in ſuis titulis, licèt habeant

beant

Digitized by Google

beant Archiepiſcopatum, Epiſcopatum, Abbatias vel prioratus in commendam,& ſibi retinere facultatem conferendi beneficia in menſibus Papę,ex eius indulto,quamuis Epiſcopatui renunciauerint. *ibid.reſ.* 14. Pręſentari inſuper poſſunt ad beneficia iuriſpatronatus, licèt id non poſſint Epiſcopi ſine diſpenſatione. *ibid.reſ.* 15.

14 Dubium valdè eſt, an Cardinales compræhendantur in generali conſtitutione Pontificia imponente Cenſuras, & pœnas, cùm in varias diuiſi ſint partes auctores, alijque affirment, alij negent, alij media via procedant. A nobis ſequenda, quæ probabilis videbitur, lectis ijs, quæ auctor citat in *reſ.* 16. *&* 17.

15 Cardinales ex omni natione eligi poſſunt. *ibid.reſ.* 18. Cardinales autem Epiſcopi non poſſunt eligi, niſi trigeſimum annum expleuerint: Diaconi vigeſimum ſecundum, & hoc de iure ordinario. Summus enim Pontif. poteſt minores ætate creare Cardinales. *ibid. reſ.* 19. quorum numerus a Sixto V. redactus eſt ad 70. qui non neceſſariò eſt ſemper æquandus, vbi pauciores poſſunt ad munera omnia ſufficere. *ibid. reſ.* 22.

16 Non poſſunt Cardinales ingredi monaſteria Monialium, niſi in caſibus neceſſarijs. *ibid. reſ.* 20.

17 Non tenentur Cardinales impedire nominatum a Pontifice pro Epiſcopo, ſi alium digniorem arbitrentur, ſed ſolùm obligantur ad interrogata reſpondere, & illum approbare, ſi ita credant. *ibid. reſ.* 21.

18 Lites, & cauſæ inter Cardinales vertentes per ſolum Summum Pontificem ſunt decidendæ. *ibid. reſ.* 23. Neque poſſunt Cardinales condemnari, niſi fuerint conuicti per 72. teſtes, ſi ſint Epiſcopi, per 64. ſi ſint Presbyteri, ac tandem per 27. Si fuerint Diaconi. *ibid. reſ.* 24.

19 Poſſunt Cardinales habere priuatum carcerem ad

ſuos

Digitized by Google

ſuos familiares coercendos, & habere familiam armatam. *ibid. reſ.25.*

20 Beneficia ſimultaneæ collationis Epiſcopis, & Capitulo vacantia in menſe Apoſtolico, prouidenda ſunt a Cardinali, ſimul cum Capitulo. Beneficia verò aliàs reſeruata ſolus Cardinalis poteſt prouidere, & non Capitulum, ſi habeat indultum a Summo Pontifice. *ibid. reſ.26.* Sicut etiam ſi habet hoc indultum poteſt Cardinalis Epiſcopus prouidere beneficia reſeruata vacantia tempore ſui anteceſſoris non Cardinalis; dummodo illud extendatur ad beneficia etiam vacantia, aliàs minimè. *ibid. reſ.27.*

21 Regula octaua Cancellariæ excipiens Cardinales, excipit omnes Cardinales ordinarios collatores etiam a curia abſentes; exceptis illis ſex Cardinalibus titularibus de Vrbe, quorum Cardinalatibus Epiſcopatus annexus eſt. Horum enim beneficia vacantia, in abſentia reſeruantur Sedi Apoſtolicæ. *ibid. reſ.28.*

22 Condemnatus ad mortem, triremes, vel alias pœnas, ſi obuiàm habet Cardinalem, eſt liberandus, & abſoluendus; hoc enim priuilegium habent ob eorum dignitatem. *ibid. reſ.29.*

23 Cardinales vt plurimum non poſſunt eſſe ſuſpecti, niſi ſint iudices alterius Cardinalis. Probabile tamen etiã eſt ex iuſta, & ea quidem magna cauſa poſſe Cardinalem vt ſuſpectum recuſari, etiamſi ſit iudex delegatus. *ibidem reſ.30.*

24 Cardinali de aliqua re teſtanti, ex conſuetudine, Romanæ Curiæ credendum eſt, etiam in præiudicium tertij, etiam ſine iuramento. Item credendum eſt Cardinali de eo, quòd dicit factum a Papa viuę vocis oraculo, quamuis agatur de præiudicio tertij: Item creditur aſſertioni Cardinalis confirmanti ſtatutum de ſpeciali mandato Se-

dis

dis Apoſtolicæ, vel aſſerenti ſe eſſe legatum, etiamſi literas legationis non exhibeat, creditur circa ordinariam poteſtatem. *ibid.reſ.*31.

25 Cardinalibus egentibus tenetur Summus Pontif. ſubuenire, quia ſunt inuiſcerati Papæ, & dicuntur pars corporis Papæ, & vna perſona cum illo. Vnde Cardinales ægritudine laborantes non poſſunt ſanguinis miſſionem pati, ſine ſpeciali licentia Papæ, vbi poteſt commodè haberi. *ibid.reſ.*33.

26 Domus Cardinalium gaudent priuilegio immunitatis. *ibid.reſ.*34.

27 Cardinales poſſunt aſſiſtere in ſuis Eccleſijs, & dare licentiam aſſiſtendi matrimonio. *ibid.reſ.*35.

28 Communis eſt Doctorum ſententia non poſſe appellari a ſententijs totius cætus Cardinalium, ſecùs autem a ſententia vnius, nam ab illa datur appellatio. *ibid.reſ.*36.

29 Quando mandatur cauſa Cardinali cum clauſula, Appellatione remota, non cenſetur excluſa appellatio iuſta. Et cauſa ſemel commiſſa Cardinali, & ab eo non deciſa, non committitur alteri inferiori a Cardinali propter illius honorem. *ibid.reſ.*37.

30 Cardinales quamuis ſint in patrimonialibus diuites, poſſunt adhuc viuere de redditibus Eccleſiaſticis, nam ad tantæ dignitatis amplitudinem retinendam, vario & ſumptuoſo ornatu in omnibus vti eos oportet. *ibid.reſ.*38.

31 Vt aliquis vxoratus ad Cardinalatum promoueatur, ſufficit ſi ſacros Ordines ſumat, & vxor Cardinalis maneat in ſæculo cùm voto caſtitatis, ſiuè vetula, ſiuè iuuenis eſſet. *ibid.reſ.*39.

32 Non videtur ex iure poſſe Cardinalem iuſtè impeditum demandare alteri vices ſuas in creãdo Summo Pontifice. *ibid.reſ.*40.

33 Car-

Digitized by Google

33 Cardinales ſoluti ſunt a legibus, quæ prohibēt duo, aut plura beneficia ſimul habere, & id pluribus de cauſis. *ibid.reſ.*41.

34 Poſſunt Cardinales in Curia conferre ſine concurſu Parochialem Eccleſiam, quæ vacauit in ſua Diœceſi, dummodo ille, cui confertur, fuerit examinatus ab examinatoribus deputatis a Papa, vel eius Vicario. *ibi.reſ.*42.

35 An Vicarius Cardinalis habens facultatem conferendi beneficia, poſſit illa conferre extra Diœceſim, necne, non eſt ita certum. *ibid.reſ.*43.

36 Poſſunt Cardinales conferre beneficia Epiſcopatuum a ſe reſignatorum etiam poſt præconizationem reſignatarij, ſi nondùm tamen fuerit adeptus poſſeſſionem. *ibid.reſ.*44. Sicut etiam Cardinalis ad Epiſcopatum aſſūptus, quamuis non fuerit poſſeſſionem adeptus, poteſt adhuc beneficia conferre. *ibid. reſ.*45. Poteſt item exercere iuriſdictionem ante poſſeſſionem adeptam & oſtenſionem literarum. *ibid.reſ.*47.

37 Cardinales, quamuis non Epiſcopi non includuntur in ſententia ſuſpenſionis, vel interdicti a Papa impoſita, quia in ſua Eccleſia ſunt dignitate Epiſcopi. *ibi.reſ.*46. Priuilegia enim conceſſa Epiſcopis extenduntur ad Cardinales. *ibid.reſ.*48. *&* 59.

38 Cardinales in Conſiſtorio non poſſunt ſine ſcrupulo tacere, quādo aliquid non benè determinatur, quod certè, & euidenter ſit contra commune Eccleſiæ bonum, licèt hoc ſibi odium pariat. In re verò dubia poteſt quis tuta cōſcientia maiori parte adhærere, cùm in dubijs prudenter aliorum conſilium ſequamur. *ibid.reſ.*49.

39 Cardinales vtrum poſſint ex licentia Summi Pontificis teſtari de bonis perceptis Cardinalitij Galeri, ſtatuendū eſt attenta cōſuetudine Romanæ Curiæ. *ib.reſ.*50.

40 Car-

40 Cardinales in teſtamentis gaudent priuilegio militum. *ibid. reſ.* 51. Imò teſtantes ex facultate Pontificis nō videntur teneri adhibere illam formulam iuris Ciuilis, aut Canonici. *ibid. reſ.* 52.

41 Facultas conceſsa Cardinalibus teſtandi, non expirat per primum teſtamentum, cùm teſtamentum non niſi morte teſtatoris confirmetur. *ibid. reſ.* 53. Neque per mortem Pontificis, qui eam conceſſit. Poteſt autem Pontifex concedere facultatem teſtandi Cardinalibus, non ſolùm in pios vſus, ſed etiam in quoslibet, dummodò liciti ſint, & honeſti. *ibid. reſ.* 54.

42 Poſſunt Cardinales a ſuis titularibus Eccleſijs exigere charitatiuum ſubſidium, quia in his habent iura Epiſcopalia. *ibid. reſ.* 55.

43 Familiares Cardinalium in eorum cauſis ſunt teſtes idonei. *ibid. reſ* 56.

44 Cardinales in ſuis titulis poſſunt commutare vltimas voluntates, in quibus poſſunt Epiſcopi reſpectu ſuorum ſubditorum. *ibid. reſ.* 57. Poſſunt item diſpenſare in voto. *ibid. reſ.* 58. Derogare inſuper fideicommiſſis ad eas Eccleſias pertinentibus. *ibid. reſ.* 61.

45 Cardinales in ſuis Titulis, quæ ſunt Monaſteria Regularium habent æqualem iuriſdictionem, quam Generales Abbates. *ibid. reſ.* 60.

46 Nullus, excepto Pontifice, vel de eius licentia poteſt conuocare Concilium Generale legitimum, & perfectum. Poſſunt tamen interdùm Cardinales, & alij à Pontifice congregare Concilium, quod licèt erit imperfectum, quia carebit prærogatiuis, & priuilegijs, quibus gaudent Concilia legitima ad certò, & infallibiliter definiendo res fidei, &c. tamen erunt laudabilia, vtpote iure congregata ad ſubueniendum extremæ neceſſitati Eccleſiæ, circa

quam

quam eſt auctoritas defendendi ſeipſam, & prouidendi ſibi de capite. *ibid. reſ. 62.*

47 Cardinales debent eligere ad Pontificatum vnum ex ſacro Collegio, non quidem neceſſariò, cùm electio in Papam alicuius extra eorum gremium ſit valida; ſed quia vſus Eccleſiæ ſic habet, ac fieri oportet. *ibid. reſ. 63.*

48 Cardinalis Religioſus ſtatim eximitur à voto paupertatis, & efficitur verus Dominus redditiuum Eccleſiaſt. inſtar Card. Secularium. *ibid. reſ. 64.* & à votis, quæ præter tria ſubſtantialia emittuntur in Religionibus, iuxta earum ſtatuta. *ibid. reſ. 65.* Et licèt teneatur portare habitum ſuæ Religionis, ſi tamen illum deponat, non incurrit in excommunicationem. *ibid. reſ. 66.*

49 Licèt per Canones interdicatur Religioſis, ne poſſint eſſe Compatres in Baptiſmo, & Confirmatione ſuſcipiendo, tamen id permiſſum eſt Epiſcopis, & Cardinalibus, quia in ipſis non ſubeſt familiaritatis nimiæ periculum, & inde incontinentiæ. *ibid. reſ. 67.*

50 Cardinales non tenentur ſoluere decimas pro generali aliquo ſubſidio à Pontifice impoſito. In materia enim odioſa Cardinales non comprehenduntur appellatione Clericorum; ſecus in materia fauorabili. *ibid. reſ. 68. & 69.*

51 Videtur Cardinales poſſe ſuccedere in feudis, prout alij laici nullum habentes impedimentum, quia tanta dignitas non debet eis detrimentum, ſed potiùs incrementum afferre. *ibid. reſ. 70.*

52 Poſſunt Cardinales in ſuis Titulis leges ferre ligantes in conſcientia, quia in illis habent iuriſdictionem Epiſcopalem. *ibid. reſ. 71.*

53 Poteſtas eligendi Summum Pontif. remanet apud Cardinales, etiamſi duo, vel vnus tantùm remaneret in

Con-

Digitized by Google

Conſiſtorio, reliquis mortuis, vel abſentibus, vel exeuntibus, vel negligentibus. *ibid. reſ.* 72.

54 Si vacaret Eccleſia tempore, quo Conc. generale eſt congregatum, electio Summi Pontif. adhuc ſpectat ad Cardinales; neque Concilium poteſt hoc auferre Cardinalibus, niſi iuſta de cauſa, quæ quidem alicuius ponderis, & momenti eſſe videatur. *ibid. reſ.* 73.

55 Cardinales in electione Pontificis habent vocem, licèt Galerus, & inſignia Cardinalitia eis tradita non ſint. ex Conſt. Pij V. *ibid. reſ.* 74.

56 Quamuis Cardinales præſentes teneantur per ſpatium decem dierum expectare abſentes pro electione Sũmi Pontificis, tamen ſi infra dictum tempus electio fiat, erit firma, & valida, dummodo eligatur Pontifex ex ipſorum omnium præſentium, vel duarum partium conſenſu. *ibid. reſ.* 75.

57 Si Cardinales ita diſtent à Romana Curia, vt inter decem dies ab obitu Pontificis non poſſint accedere, præſentes non tenentur illos expectare. *ibid. reſ.* 76.

58 Cardinales gaudent priuilegio in itinere celebrandi, vel ſibi facere celebrari ante auroram, & poſt meridiem. *ibid. reſ.* 77.

59 In pari cauſa ſententia ferenda eſt in fauorem Cardinalium. *ibid. reſ.* 78.

60 Familiares Cardinalium in abſentia gaudent fructibus ſuorum beneficiorum, quia Romanæ Eccleſię, quę cæterarum omnium eſt mater deſeruientes, alijs quoque Eccleſijs ſeruire videntur. *ibid. reſ.* 79.

61 Offendẽtes aliquo modo Cardinales, immò ſecundum aliquos, etiamſi verbum tantùm iniurioſum in eos proferant, rei ſunt lęſę maieſtatis, quicumque ſint etiam Imperator ipſe, & incurrẽt in pęnas Bullę Cęnę. *ibi. reſ.* 80.

62 Qui

62 Qui inſultum facit ad domum Cardinalis, vt ex hoc ei verecundiam tantùm inferat, incurrit in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini. *ibid. reſ.* 81.

63 Si quis eijciat Cardinales à terris, in quibus nati ſunt, aut domicilium habent, etiamſi non exerceant legationem aliquam, incurrunt in pœnas Bullæ, quamuis id efficiat ſolis verbis comminatorijs; ſed ad hoc ſecundum requiritur effectus, ideſt vt Cardinalis ob minas actu relinquat loca, vbi moratur, & recedat. *ibid. reſ.* 82.

64 Offendentes perſonas Cardinalium non gaudent immunitate Eccleſiarum, etiam poſt Bullam Gregorij XIV, *ibid. reſ.* 86. Immò mandantes offendi Cardinalem, licèt non ſequuto effectu, incidunt in excommunicationem Bullæ, & priuantur immunitate. *ibid. reſ.* 87.

65 Qui offenſionem in Cardinalem, cùm poſſit, non impedit, incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ; quia is fauere proculdubio dicetur. *ibid. reſ.* 88.

66 Si quis tantùm ſciens aliquos contra Cardinalem conſpiraſſe, & illos non denunciet, & patefaciat, incidit in excommunicationem latam a Pio V. etiamſi per correctionem fraternam ſperetur eius emendatio, quia denunciatio, vel accuſatio impoſita in pœnam delinquentis, & ob commune bonum, facienda eſt, ſiue delinquens priuata correctione emendetur, ſiue non. *ibi. verſ. Sed difficultas.*

67 An non reuelantes crimen læſæ maieſtatis in Cardinales perpetratum gaudeant, vel non, immunitate Eccleſiarum, dubium eſt. Vnde ſi caſus acciderit, Epiſcopus debet ſtatim Summum Pontificem certiorem facere, & delinquentem interim cautè cuſtodire. *ibid. reſ.* 90.

68 Qui recipit, vel defendit interfectores Cardinaliũ, vel vt amicos, vel vt formaliter criminoſos, ſi recipiat, vel defendat poſt cõmiſſum crimen, nõ incidit in excõicationẽ

Bullæ,

Bullæ, neque in cenſurã latam in Can. Felicis de pœnis in 6. quia hic non impendit conſilium, auxilium, vel fauorem ad illud præſtandum; ſecùs ſi receptet, aut defendat ante commiſſum crimen; & receptores in tali caſu non videntur amittere immunitatem Eccleſiaſticam, dummodo receptatio, non redundet in fauorem delicti, ſed tantùm hoſpitij gratia facta ſit. *ibid.reſ.91*.

69 Si quis percutiat Cardinalem percuſſione leuiſſima, incidit in excommunicationem Bullę Cœnæ. *ibid. reſol.92*.

70 Cardinales ſeipſos percutientes non incurrunt cenſuras Bullæ, quia quod fauore alicuius inductum eſt, non debet in ipſius damnum retorqueri. *ibi. reſ.84*.

71 Cardinales in electione Pontificis poſſunt relinquere digniorem, & eligere dignum, quando pars ſufficiens vult eligere illum in Papam. Et Cardinalis dignus acceptans Pontificatum, non peccat, quamuis videat in electione prætermiſſum digniorem. *ibid.reſ.85*.

72 Cardinalis deponens in facto proprio facit pluſquàm ſemiplenam probationem. 2. Atteſtatio Cardinalis facta in fauorem ſui Cardinalatus, quãuis non plenè probet, facit tamen magnum adminiculum. 3. Fides ſimplex extraiudicialis, & ſine iuramento facta per Cardinalem, licèt non probet concludenter, multam tamen vim habet. *ibid.reſ.93*.

73 Quando Domini ſunt diſcordes in præſentando, vel eligendo, poſſunt Cardinales, ſicut & Epiſcopi, prouidere Eccleſijs Iuriſpatronatus. *ibid.reſ.94*.

74 Quamuis omnes Prælati teneantur in ſua conſecratione Summo Pontifici iurare fidelitatem; ad id tamen non tenentur Cardinales, cùm ſint ipſi ſpecialia membra Pontifici reſpectu aliorum, & ſic Pontifici vnita, vt ſi Papa

Digitized by Google

ab illis fidelitatis iuramentum peteret, quodammodo à ſe ipſo petere videretur. *ibid. reſ. 95.*

75 An Declarationes Congregationis Cardinalium ſint deciſiuæ, & pro negatiua, & pro affirmatiua parte ſunt plures Doctores; vnde videtur optandum a Summo Pontifice id ita definiri, vt in poſterùm ampliùs locus non eſſet Doctorum opinionibus adhærere. *ibid. reſ. 96.*

Notabilia quædam de Cardinalibus ex ſacræ Rotæ deciſionibus, in quibus fusè tractantur, collecta, vide *ibid. reſ. 97.*

Charitas Dei, & proximi, & ſui ipſius.

1 PRobabile eſt præceptum Dilectionis Dei obligare paulò poſt vſum rationis, quando quis iam aduertit, & ſecum reputat rationes, quas habet amandi Deum, & de ipſo cogitat, de eius bonitate, & excellentia, ac beneficijs, &c. Quod ita intellige, non quaſi peccemus ſtatim mortaliter habita ſufficienti Dei cognitione, ſi non eliciamus actum dilectionis, ſed quòd ſecluſa omni ignorantia, & inaduertentia ſine graui peccato nequeamus eum valdè diù differre. Imò ſi certò ſciat ſe huic præcepto non ſatiſfeciſſe, poteſt ſequi opinionem negatiuam, neque non adeſſe pro illo tempore tale peccatum. 5 *par. tr.* 14. *reſ.* 105.

2 Probabile eſt etiam inſtante morte teneri nos Deum diligere, & hoc partim per ſe, cùm hoc præceptum imponatur nobis intrãtibus, & exeuntibus in vitam, partim per accidens ratione proprij periculi. *ibid. verſ. Dico ſecundò.*

3 Obligatio diligendi Deum adeſt in vitæ decurſu; at hoc non ſingulis annis, ſed videtur quis poſſe differre hunc actum dilectionis abſque peccato ad tres, vel quatuor annos. *ibid. verſ. Dico tertiò.*

4 Alij etiam ſunt caſus, in quibus obligamur ad dilectionem

ctionem Dei, per accidens tamen, ideòq. eius omiſſio non eſſet ſpeciale peccatum. 1. Diebus feſtis. 2. cùm ſuſcipitur Baptiſmus. 3. cùm quis tenetur ad contritionem. 4. cùm quis inſigne beneficium à Deo accepit, vel eſt cauſa ſubeundi martyrij. 5. cùm blaſphemantibus, aut contemnentibus nomen Dei eſt reſiſtendum. 6. cùm grauem tentationem non poſſumus vitare, niſi diligendo Deum. In tentatione verò odij Dei obligantur per ſe lege charitatis illum diligere. 7. Quando opus eſt adminiſtrare aliquod Sacramentũ, nec poſſumus cõfiteri. *ibid. verſ. Nota etiam.*

5 Ea neceſſitas cenſenda eſt extrema, in qua quis teneatur cum vitæ periculo opem ferre alienæ ſaluti, cùm phyſicè eſt impoſſibilis alicui ſalus, niſi me illi opitulante: ſi verò ille ſuis viribus, adiutis gratia Dei, poſſet ſalutem adipiſci, quamuis difficillimè, & ægrè, ille nòn eſt in extrema neceſſitate opis alienæ; quod intellige per ſe, & ex vi præcepti charitatis. Secùs autem dicendum, cùm quis ex voto, aut ex officio tenetur ad ſubueniendum alijs. Vt ſunt Epiſcopi, Canonici, & Sacerdotes Curati, & Beneficiati, qui omnes tenentur in qualibet extrema neceſſitate populi, & ſuorum ſubditorum illis ſubuenire, etiam cùm vitę periculo. 5. *par. tract.* 13. *reſ.* 24.

6 Poteſt quis abſque peccato deſiderare ſibi mortem, vt a magnó periculo temporali, v. g. ægritudine, interna afflictione, paupertate, &c. liberetur. Cùm quis poſſit prudenter cenſere maius malum aliquam afflictionem, quàm mortem; non erit ergo contra charitatem ſibi debitam velle mori potiùs, quàm illud pati. *ibid. tr.* 14. *reſ.* 92.

7 Non videtur peccatum inuertere ordinem in ſuccurrendo Patri, matri, filio, & vxori, quia omnes iſtæ coniunctiones, ex quibus oritur obligatio dilectionis, magnæ ſunt, & non eſt tàm ingens vnius ad alteram exceſſus, vt

reatum peccati mortalis inducat, ſi prętermittatur; quamuis laudabilius eſſet eum ſeruare. Secùs dicendum de ordine inter parentes, & cæteros, licèt ex accidenti poſſit quilibet iſtorum ius ſuum amittere, & diminuere iniurijs, & ingratitudine in alterū, & augere beneficijs, & obſequijs. *ibid. reſ. 93.*

CELEBRATIO MISSARVM Iuxta decreta Vrbani VIII.

1 EPiſcopi in Concilij Trid. non poſſunt Miſſas in fundatione appoſitas reducere ad minorem numerum; quia Concilium loquitur tantùm de Miſſis defunctorum, & anniuerſarijs in aliqua Eccleſia relictis. Poſſunt tamen Miſſas ante Concilium impoſitas reducere ad minorem ſummam. Hæc autem reductio, vbi decretum Concil. eſt receptum, facienda eſt in Synodo; vbi non eſt receptum, minimè. Abbates verò, & Generales Religionum non poſſunt abſque Capitulo minuere numerum Miſſarum. Porrò hæc facultas moderandi Miſſas comprehendit etiam anniuerſaria, & officia pro defunctis. Olim licuit Regularibus, diſpenſante Generali, vnius Miſſæ celebratione, cum nouem collectis, ſatisfacere pro nouem Miſſis: nunc non licet, ſacra Congregatione id vetante. *par. 2. tract. 14. reſ. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.*

2 Si is, qui petit Miſſam, non det ſtipendium iuſtum ab Epiſcopo, vel conſuetudine taxatum, poteſt Sacerdos à diuerſis tot parua ſtipendia accipere quæ iuſtè eleemoſynæ ęquiualeant, & vnum tantùm pro omnibus Miſſę ſacrificium offerre; illi enim fit iniuria. *ibid. reſ. 7.*

3 Non poteſt Sacerdos (ſacra Congregatione id vetante) pro vna Miſſa tot ſtipendia accipere, quot ſufficiant

ad

ad eius ſuſtentationem. Quia Miſſæ ſacrificium non eſt inſtitutum ad vitam Sacerdotis ſuſtentandam, cùm nullus Sacerdos promoueatur, quin habeat patrimonium ſufficiens. *ibid. reſ.* 8.

4 Sacra Congregatio omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui certam eleemoſynam accepit pro celebranda Miſſa, ne eamdem Miſſam alteri celebrandam committat, parte eleemoſynæ ſibi retenta. Hoc tamen ſacræ Congreg. decretum non extenditur ad Capellas quibus pingue ſtipendium eſt additum, neque enim datur tantùm pro Miſſis dicendis. Qui verò ab amico accepit duplex ſtipendium pro celebranda Miſſa, ſi intuitu amicitię accepit, poteſt per alium Sacerdotem ſatisfacere dato ei iuſto ſtipendio. Sin accepit pręcisè, & ſimpliciter pro Miſſa, nihil ſibi debet retinere; niſi Sacerdos, cuius opera vſus eſt, ſpontè id condonet. *ibid. reſ.* 10. 11. 12. & 13.

5 Sacerdos pauper qui hodie non accepit eleemoſynã pro Miſſa celebranda, non poteſt illam celebrare & applicare primo occurrenti daturo ſtipendium. Id enim repugnat veteri Eccleſię conſuetudini, damnaturque decreto Cardinalium, ex mandato Clementis VIII. Quando tamen ex fundatione alicuius Capellę datę Miſſę ſingulis hebdomadis celebrandę, poteſt Sacerdos antecedente hebdomada illas celebrare. *ibid. reſ.* 15. & 16.

6 Si quis reliquit ſtipendium pro certo numero Miſſarum, ſi augetur ſtipendium Sacerdotibus pręſtandum, tenetur hęres illam eleemoſynam ſupplere. *ibid. reſ.* 17.

7 Epiſcopus non poteſt compellere obtinentem Capellam, vt ipſemet celebret, licèt in fundatione Capellę dicatur Capellanum debere celebrare, niſi expreſsè caueatur à teſtatore vt Capellanus per ſe ipſum hoc agat. Hîc

Digitized by Google

notandum Capellam ex ſe non eſſe ſacerdotalem, proindeque ſimplici clerico annor. 14. poſſe conferri. *ibid. reſ.* 18. & 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 227.

8 Probabile eſt Sacerdotem nullo impedimento prohibitum non peccare mortaliter non celebrando, modò communicet in Paſcha, nec adſit ſcandalum, aut contemptus. *ibid. reſ.* 19.

9 Si feſtum Annuntiationis incidat in diem Sabbati maioris Hebdomadę, poſſunt plures Miſſę in Eccleſijs celebrari. *ibid. reſ.* 21.

10 Sacerdos excommunicatus celebrans non pręmiſſa confeſſione, ſciens ſe obſtringi vinculo peccati, & cenſurę, non committit duplex peccatum. *ibid. reſ.* 22.

11 Sacerdos in peccato mortali miniſtrans alijs Eucharistiam non peccat mortaliter. Quia eſt tantùm veluti applicans actiua paſſiuis: in alijs autem Sacramentis Sacerdos ſimul conficit, & miniſtrat. *ibid. reſ.* 23.

12 Sacerdos celebrans in peccato mortali non peccat tripliciter, indignè conſecrando, offerendo, & ſumendo Chriſti Corpus: quia tres iſti actus ſunt ſibi inuicem ſubordinati. *ibid. reſ.* 24.

13 Sacerdos differens ad longum tempus celebrationem Miſſarum, quas ſuſcepit celebrandas, peccat mortaliter. *ibid. reſ.* 25.

14 Parochus debet diebus Dominicis, & feſtis, quibus populus tenetur audire Miſſam, celebrare per ſe, vel per alium. Non tenetur tamen pro populo Miſſas applicare, & proinde poteſt ſine ſcrupulo ſtipendium pro illis Miſſis accipere. *ibid. reſ.* 26.

15 Si Capellanus ægrotauerit per aliquot dies, puta 10. aut 15. non obligatur ad Miſſas per alium celebrandas. *ibid. reſ.* 27.

16 Sa-

Digitized by Google

16 Sacerdos, qui tenetur quotidie celebrare, poteſt in hebdomadam vnam Miſſam omittere; non tamen eo die Miſſam pro alio celebrare accepto ſtipendio. *ibid reſ.28.*

17 Sacerdos obligatus ad celebrandum in certo Templo, Oratorio, vel Altari, peccat mortaliter, alibi celebrando, niſi paruitas materię excuſet, ſi v. g. bis térue in anno in hoc altari non celebret; non tamen tenetur ad reſtitutionem, niſi defunctos aliquo ſuffragio fraudauerit. *ibid. reſ. 29. & 4. par. tr. 4. reſ. 40.*

18 Sacerdos, qui die Dominico vel alio feſto celebrat aliam Miſſam votiuam, nõ peccat mortaliter. *ibid. reſ. 30.*

19 Sacerdos, qui certis diebus debet dicere Miſſam, v. g. de B. Virg. poteſt tamen illis diebus dicere aliam in Miſſali præſcriptam. *ibid. reſ. 31. & 3. par. tract. 6. Miſcell. reſol. 62.*

20 Poteſt Miſſa celebrari ſeſquihora, vel etiam duabus horis, ante ſolis ortum. Religioſi autem ex priuilegio poſſunt hora ſecunda poſt mediam noctem celebrare. Ad dandam verò communionem infirmo, licet etiam media nocte ſacrum facere. *ibid. reſ. 33. & 4. par. tr. 4. reſ. 236.*

21 Sacerdos poteſt inchoare ſacrum paulò poſt meridiem: Feſto tamen die ratione itineris impeditus poteſt Miſſam vna hora poſt meridiem incipere. Religioſi verò ex ſuis priuilegijs poſſunt celebrare vſque ad Nonam incluſiuè, ideſt, vſque ad tres horas poſt meridiem. *ibid. reſ. 34. & 4. par. tr. 4. reſ. 105. & 5. par. tr. 5. reſ. 58.*

22 Poteſt Sacerdos in nocte Natiuitatis tres Miſſas ante auroram celebrare. *ibid. reſ. 35.*

23 Poteſt Sacerdos ſine ſcrupulo facere ſacrum ante matutini officij recitationem. Quia preces matutinæ, & ſacrificium Miſſæ nullam habent connexionem, neque vllum ordinem. *ibid. reſ. 36.*

Digitized by Google

24 Probabile eſt poſſe Sacerdotem deficientibus particulis, hoſtiæ partem alteri porrigere: Quia ſic fidelium vtilitati conſulit, nec vllam facit iniuriam Sacramento. *ibid.reſ.37.*

25 Sacerdos ſine iuſta cauſa extra Eccleſiam celebrans peccat mortaliter ratione honoris,& reuerentiæ tanto Sacramento debitæ. *ibid.reſ.38.& 4.par.tract.4.reſ.106.& reſol.213.*

26 Sacerdos in nocte Natiuitatis ſi nolit tres Miſſas celebrare, poteſt hanc vel illam pro arbitrio dicere. *ibidem reſol.39.*

27 Sacerdos regularis ſi in Canone Miſſæ pro nomine Epiſcopi reponat nomen ſui Generalis, peccat mortaliter. Quia Miſſale eſt ad vnguem obſeruãdum. *ib.reſ.40.*

28 Sacerdos cùm ſacris veſtibus ſe induit, ſi omittat orationes tunc dicendas, non peccat mortaliter, modò abſit contemptus. Quia non eſt præceptum. *ibid.reſ.41.*

29 Sacerdos ſi in Miſſa maiori quæ canitur, non legat ſummiſſa voce Epiſtolam, & Euangelium, non peccat. Quia id non pręcipitur. *ibid.reſ.42.& 5.par.tr.14.reſ.95.*

30 Vrgente graui neceſſitate, poteſt ſine miniſtro Miſſa celebrari; neque fœmina ad miniſtrandum eſt vllo modo adhibenda. *ibid.reſ.43.& 44.*

31 Sacerdos in neceſſitate celebrans cum vno lumine ex oleo, aut adipe, non peccat mortaliter. *ibid.reſ.45.*

32 Sacerdos ſine Miſſali celebrans, vbi nullum eſt, modò ſe nihil omiſſurum confidat, non peccat. *ibid.reſ.46.*

33 Nihil eſt neceſſe applicationem Miſſæ fieri actualiter, aut virtualiter tempore ſacrificij, ſufficit ſi pridie Sacerdos applicauerit, dummodò intentio non fuerit poſteà reuocata. *ibid.reſ.47.& 5.par.tract.14.reſ.65.*

34 Sacerdos ante Miſſam confeſſus, ſi poſteà peccati

ali-

Digitized by Google

alicuius mortalis omiſſi recordatur, non tenetur tūc contritionis actum elicere, ſed tantùm poſteà confiteri: Quia peccatum illud omiſſum, fuit iam in confeſſione virtualiter remiſſum. *ibid.reſ.*48.*&* 5.*par.tr.* 14. *reſ.*5.

35 Sacerdos, qui ex intentione omittit vnum aliquem Sanctorum, qui in Canone Miſſæ ponuntur, non peccat mortaliter propter paruitatem materiæ.*ibid.reſ.*49.

36 Sacerdos nouam Miſſam celebrans poteſt ſe in medio altari ad populum conuertere, & oblationes accipere, non tamen Eccleſiam circuire. *ibid.reſ.*50.

37 Sacerdos qui miſit in os aliquid ſacchari ante ſomnum, ſi dubitat an poſt mediam noctem aliquid in ſtomachum traieceret, non poteſt illo die celebrare, quia non eſt ieiunus.*ibid.reſ.*51.

38 Si quis tamen deglutiat aliquid ex proprijs vnguibus, vel papyri, vel ſanguinis manantis ex proprio vulnere, vel quid ſimile, poteſt nihilominus celebrare. Quia illa non habent rationem cibi, neque potus, neque medicinæ. *ibid.reſ.*52. *&* 5.*par.tr.*13.*reſ.*60.

39 Poteſt Sacerdos non tantùm in caſu neceſſitatis, ſed etiam deuotionis cauſa ſeipſum communione extra Miſſam ex præconſecratis, vbi non eſt alius Sacerdos, a quo accipiat Euchariſtiam, qualibet etiam diei hora, modò ſit ieiunus, & abſit ſcandalum. Quia in hoc Sacramento non requiritur, vt miniſter ſit alius à ſuſcipiente, aut ante meridiem ſuſcipiat. *ibid.reſ.*53.54.

40 Si Sacerdos celebrans nō obſeruet rubricam vnam, aut alteram Miſſalis, non videtur peccare mortaliter. Quia non obligant ſub mortali. Secùs ſi nullam ſeruaret, aut in rebus ſubſtantialibus ſacrificij delinqueret. *ibid.reſ.*55.

41 Sacerdos non debet ſine licentia Epiſcopi plures eodem die Miſſas celebrare, excepto die Natiuitatis Domini.

Digitized by Google

mini. *ibid. reſol.* 56.

42 Sacerdos in caſu neceſſitatis poteſt cum ſtola, manipulo, aut cingulo, non benedictis, aut etiam ſine aliquo ex ijs celebrare. *ibid. reſ.* 57.

43 Sacerdos ob infirmam valetudinem, operto capite ſine licentia Epiſcopi celebrare non poteſt. *ibid. reſ.* 58.

44 Sacerdos in Miſſa, *Gloria*, ſeu *Credo*, voluntariè omittens, non peccat mortaliter ex materiæ leuitate. *ibid. reſ.* 59.

45 Sacerdos non habens copiam Confeſſarij, & vrgente neceſſitate compulſus, ſi non præmittit confeſſionem antequàm celebret, cùm ſibi ſit conſcius peccati mortalis, tenetur quamprimùm confiteri. At ſi bona fide accedit ad altare abſque conſcientia peccati mortalis, ibi autem recordatur alicuius, non tenetur illo præcepto. *ibid. reſ.* 60. 61. *&* 5. *par. tr.* 13. *reſ.* 64. *& tr.* 14. *reſ.* 6.

46 Quando feſtum Annuntiationis incidit in feriam 6. Paraſceues, nulla eſt obligatio ſub peccato mortali audiendi Miſſam illius diei. Quia non eſt propriè Miſſa, neque propriè ſacrificium, cùm non fiat noua hoſtiæ conſecratio. *ibid. reſ.* 62.

47 Sacerdos iter faciens, ſi copia Confeſſarij deſit, nec adſit alius Sacerdos, qui celebret, poteſt celebrare contritus, vt ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam; ſi quidem ſibi conſcius eſt peccati mortalis. Poteſt etiam celebrare, licèt non ſit Parochus, vt alij Miſſam audiant. *ibid. reſ.* 63. 64. *&* 5. *par. tract.* 13. *reſ.* 63.

48 Sacerdos, qui habet caſus reſeruatos, a quibus præſens Confeſſarius non poteſt abſoluere, poteſt vrgente neceſſitate ſine præuia confeſſione, contritus celebrare, tenetur tamen quàm primùm confiteri. *ibid. reſ.* 65. *&* 5. *par. citata reſ.* 64.

49 Sa-

Digitized by Google

49 Sacerdos ſumpto cibo non poteſt celebrare ad communicandum infirmum morti proximum; propter reuerentiam Sacramenti. In quatuor autem caſibus Sacerdos poteſt non ieiunus ſumere, & conſecrare Euchariſtiam. 1. ſi aquam pro vino hauſit; tunc enim propter integritatem ſacrificij debet vinum conſecrare, & ſumere. 2. quando poſt hauſtum calicem, & ablutionem, videt reliquias hoſtiæ in patena, vel corporali. 3. quando poſt conſecrationem recordatur ſe non eſſe ieiunum. 4. quando poſt conſecrationem moritur Sacerdos, aut non poteſt perficere Sacrum, debet alius etiam non ieiunus ſuccedere, ſi nullus adſit ieiunus, qui poſſit ſacrificium perficere. *ibid. reſ. 66. & 5. par. tr. 3. reſ. 35.*

50 Poteſt Sacerdos celebrare in calice, & patena nondum conſecratis, & cum veſtibus nondum benedictis, ſi alius Sacerdos bona fide cum ipſis anteà celebrauit: Quia in prima celebratione iam fuerant conſecrata. *ibid. reſ. 69.*

51 Si Sacerdos ſumpto iam Chriſti Corpore videt ſe, per imprudentiam, calicem cum ſola aqua conſecraſſe, vel non infudiſſe vinum, vel non conſecraſſe, ſufficit vt vinum infundat, & incipiens ab illis verbis (*Simili modo*) calicem conſecret. *ibid. reſ. 70.*

52 Poteſt Sacerdos oblatione iam facta, paruam hoſtiam ad communicandum laicum conſecrare, modò afferatur paulò poſt oblationem. *ibid. reſ. 71.*

53 Si Sacerdos regularis applicet Miſſas contra intentionem Superioris, peccat quidem contra votum; valet tamen applicatio: Quia pendet ab intentione celebrantis. *ibid. reſ. 72.*

54 Poteſt Sacerdos regularis tempore Paſchali miniſtrare Euchariſtiam laicis, ita vt ipſi ſatisfaciant præcepto annuæ communionis; ſed ego conſulerem Regularibus,

vt

Digitized by Google

vt hoc priuilegio non vtantur. *ibid. reſ.73.*

55 Infirmus, qui ſemel in articulo mortis ſumpſit Eucharistiam per modum viatici non ieiunus, poteſt iterùm ſumere, idque poſt ſex, aut ſeptem dies. Quia eadem eſt neceſſitas. *ibid. reſ.75.77.*

56 Sacra rituum Congregatio ſtatuit Miſſam de feria priuilegiata in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis omittendam non eſſe poſt Nonam. Eccleſiæ autem Regularium non cenſentur Collegiatæ. *ibid. reſ.76.*

57 Omnis fidelis, qui non eſt notorius excommunicatus, nec notorius peccator, ſi inciderit in amentiam, debet Euchariſtiam in articulo mortis ſumere, modò abſit irreuerentia, & periculum vomitus. Extra illum articulum amentes non ſunt communicandi. *ibid. reſ 78. & 79.*

58 Sacerdos, qui tenetur in aliqua Eccleſia celebrare, pro cultu illius Eccleſiæ, vel commoditate populi tantùm, abſque obligatione applicandi ſacrificium, cùm iam accipiat ſtipendium, non poteſt pro illius applicatione aliud ſtipendium accipere. Quia cùm ſtipendium detur pro labore, qui eſt pretio æſtimabilis, vna Miſſa non meretur, niſi vnicum ſtipendium. *ibid. reſ.80. & 4. par. tr.4. reſ.16.*

59 Quando in Beatificatione alicuius, Pontifex concedit Sacerdotibus alicuius Religionis, vt poſſint de illo Miſſam celebrare, non licèt alijs Sacerdotibus, ſeu ſecularibus, de eo Beato in Eccleſia aſſignata Miſſam celebrare. Quia illud priuilegium conceditur tantùm Sacerdotibus illius Religionis; cùm illi ſoli in Bulla exprimantur. 2. *par. tract.*15. & 1. *Miſcell. reſ.*8. Licèt cum Caſtro Palao Megalius recenter doceat licere beatificatos vt beatificatos colere recitatione horarum, proceſſionibus ſolemnibus, & ſacrificio Miſſæ non ſolùm in locis & prouincijs, pro quibus eſt conceſſum, ſed etiam in alijs: quod ego non approbo.

Digitized by Google

bo. *in Addit. in fi. 3. par. reſ.* 2.

60 Qui in conſecratione omittit particulam (enim) conficit Sacramentum, & venialiter tantùm peccat: Quia abſq; illa particula manet integer ſenſus verborum. Item qui in conſecratione Calicis diceret. *Hic eſt calis*, verè conſecraret; nam licèt *calis* habeat aliam ſignificationem quam *calix*, tamen in ipſa conſecratione ex communi modò percipiēdi idem ſonat. 2. *par. tr.* 17. & 3. *Miſcell. reſ.* 14.

61 Si Sacerdos loco verborum conſecrationis. *Hoc eſt enim corpus meum*, diceret. *Hæc eſt enim caro mea*, valdè probabile eſt illum verè confecturum Sacramentū. 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 76. Si verò diceret. *Hic eſt corpus meum*, ſi ſumeret illud hìc pro aduerbio, nulla eſſet conſecratio, ſi verò ſumeret pro pronomine maſculino, ac ſi diceretur. *Hic cibus eſt corpus meum*, verè conſecraret, hæc enim eſt tantùm mutatio accidentalis. *ibid. reſ.* 77.

62 Si verò tranſponeret Sacerdos verba, & diceret. *Hoc corpus eſt meum*. Vel *Meum eſt hoc corpus*, in priori fieret conſecratio, dummodò poneret virgulam poſt pronomen *hoc*; & ſimul coniungeret alias tres voces; in poſteriori tranſpoſitione non item, quia pronomen *hoc* ſumeretur adiectiuè, non ſubſtantiuè, nec demonſtraret præſentiam Corporis Dominici. Item ſi diceret. *Eſt hoc Corpus meum*, validè conſecraret, modò non diceret id interrogatiuè, ſed abſolutè enuntiatiuè, nec pronomen hoc adiectiuè, ſed ſubſtantiuè ſumeretur. *ibid. reſol.* 78.

63 Si a Sacerdote gutta aquæ non miſceatur in vino, non eſt ex paruitate materiæ excuſandus a peccato mortali: hæc enim omiſſio non eſt indifferens, & libera, ſed cadit ſub Eccleſiæ præcepto. 5. *par. tr.* 5. *reſ.* 56.

64 Si in aliqua Eccleſia in campo non reperiatur hoſtia, ſed tātùm particula, poteſt Sacerdos cum illa celebra-

re

Digitized by Google

re in Miſſa præſertim priuata, imò vrgente neceſſitate, etiam publicè. *ibid. tract. 13. reſ. 89.*

65 Si ſunt aliquæ guttæ vini in calice ſeparatæ a toto vino, quod in ipſo calice continentur, probabiliter iudicari poſſunt non conſecratæ: quia Sacerdos illud tantùm intendit conſecrare, quod per modum vnius continui potabile exiſtit intra calicem. *ibid. reſ. 16. & 3. par. tr. 4. reſ. 32.*

66 Sacrificium Miſſæ ex opere operato remittit peccata venialia: nam ordinatur ad remittenda peccata; ſed nõ remittit mortalia ex opere operato, ergo ſaltem venialia. *3. par. tract. 4. reſ. 39.*

67 Si Sacerdos finito ſacro in Sacriſtia inueniat aliquod fragmentum in patena vel calice, non debet illud ſumere: quia quamdiu eſt in altari, eiuſmodi fragmentorum ſumptio refertur ad vnum idemque conuiuium, & ſacrificium quod nondùm cenſetur abſolutum dùm Sacerdos in altari manet; ſecùs autem ſi ab illo diſceſſerit: tamen ſi nullus alius Sacerdos eſſet poſt illum celebraturus, qui in eodem calice ieiunus accipiat, & ibi non aſſeruatur SS. Sacramentum, tunc Sacerdos non ieiunus poteſt illud fragmentum accipere. *ibid. reſ. 45. & 5. par. tr. 14. reſ. 43.*

68 Non eſt quòd Sacerdos ſit nimiùm anxius circa infuſionem aquæ in calicem; nam licèt plures guttas infundat, aqua quæ ante conſecrationem non eſt in vinum conuerſa, immediatè in Chriſti ſanguinem conuertitur in ipſa conſecratione. *ibid. reſ. 49. & 5. par. tr. 5. reſ. 56.*

69 Videtur ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, qui eodem tempore audit vnam medietatem ab vno, & alteram ab alio; quia Eccleſia præcipit, vt Miſſa audiatur: duæ autem medietates Miſſæ conſtituũt vnam Miſsam: quemadmodum ille ſatisfacit qui dùm debeat duas Miſsas audire, eas ſimul audit, dùm eodem tempore celebrantur.

2. par.

Digitized by Google

..*par. tract.* 17. & 3. *Miſcell. reſ.* 18. & 5. *par. tract.* 14. *eſ.* 52. & 71.

70 Sacerdos accipiens ſtipendium pro dicenda Miſſa piritus ſancti, vel B. Virginis, ſi poſteà dicat Miſſam illa ie currentem, non peccat mortaliter. 3. *par. tr.* 6. *Miſcell. eſol.* 62.

71 In Oratorijs priuatarum ædium poſſunt Regulaes ſacrum facere, ac Euchariſtiam laicis miniſtrare, non bſtantibus Synodis Epiſcoporum, & priuilegio Pauli IV. uod non derogatur ab Epiſcopis inferioribus Pontifici. *ar.* 4. *tr.* 4. *Miſcell. reſ.* 14.

72 Poſſunt Epiſcopi, non obſtante Concil. Trid. & onſtit. Vrbani VIII. in itinere altare viaticum habere, ac igere Oratorium in ſuis palatijs, vel rure, ibique celebra: vel audire Miſſam, non ſolùm in ſua, ſed etiam in aliena iœceſi, non tamen Romę. Quia ſic Epiſcopus non exeret iuriſdictionem contentioſam. Aduertendum tamen, uòd in Oratorio Epiſcoporum poteſt quis celebrare prętibus ipſis, non verò in eorum abſentia. *ibid. reſ.* 15.

73 In priuatis Oratorijs, in quibus ex Pontificis liceni celebratur, per Bullam Cruciatę poteſt quis eligere Sardotem, vt ibi Sacrum conficiat tempore interdicti, ac æcipuè diebus Reſurrectionis, Pentecoſtes, & alijs feſtis lemnibus; neque prohiberi poteſt talis electio ab Epiopo; quia Pontifex per Bullam concedit, vt in eis poſſit lebrari abſque limitationibus. *ibid. reſ.* 76.

74 Capellanus obligatus ſingulis diebus Miſſam pro quo celebrare, probabiliter puto, ei licere aliquando per num, ex aliqua ingruenti neceſſitate, puta quater, vel ies pro ſe ipſo, vel ſibi coniuncto celebrare; quia ſupnitur, quòd rogatus legatarius de hoc, petitionem non aſſet. Imò in die Natiuitatis Domini celebrans tres Miſſas,

Miſſas, poteſtatem habet, vt pro ſe, vel pro alijs applicet alias duas: ſic etiam in commemoratione omnium defunctorum poteſt Sacerdos Miſſæ quotidianæ addictus, non pro inſtitutore Capellaniæ, ſed pro aliquo particulari defuncto Miſſam applicare. *ibid. reſ.* 86.

75 Sacerdos, qui ſimplicis beneficio cum onere Miſſarum gaudet, poteſt pro hoc munere idoneum ſubſtitutum deputare, abſque Epiſcopi licentia, & ratio eſt, quia non ei tribuitur cura animarum. Notandum tamen, quòd ſi in inſtitutione Capellaniæ expreſsè diſponatur, vt Capellanus per ſe ipſum celebret, tunc per alium ſubſtitutum ſatisfacere non poteſt, vt declarauit ſacra Congreg. *ibidem reſol.* 87.

76 Si quis v. g. tranſiret per Monaſterium Monachorum S. Benedicti, S. Dominici, &c. nec haberet aliud Miſſale, preter illud, quo vtuntur Monachi, aliqui volunt poſſe Miſſam eo ritu celebrare: Attamen Auctor nihil determinat, quia nondùm declaratum eſt à ſacra Congregatione. *ibid. reſ.* 95.

77 Sacerdos, qui in Altari recordatur alicuius peccati mortalis, debet elicere actum contritionis, antequàm ſumat Corpus Chriſti, quia in quacumque temporis anguſtia Deus ſemper paratus eſt præbere auxilium ſuum: idem dicito de ſeculari, quando iam iam recipit Sacramentum de manu Sacerdotis. *ibid. reſ.* 98.

78 Licèt tempus celebrandi ſit ante meridiem, Sacerdos tamen poteſt paulò poſt meridiem Miſſam dicere, quia res hæc eſt moralis, & non determinata legibus. *ibid. reſ.* 105.

79 Priuilegia mendicantium celebrandi extra Eccleſiam non videntur reuocata à Concil. Trid. *ibid. reſ.* 106.

80 Si quis audiat Miſſam ſine interna attentione, an

ſatis-

ſatisfaciat præcepto, negatiua ſententia eſt probabilior, & conſulenda, ſed affirmatiuam probabilem eſſe ego docui *in 2. par. tr. 12. de Horis Canon. reſ. 2.* Vnde infertur ſatisfacere eum præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui tempore, quo Sacrum conficitur, horas Canonicas, ad quas obligatur, recitat, quia id non impedit externam moralem præſentiam neceſſariam auditioni Sacri. Imò aliqui volunt, quòd qui audit integram Miſſam, audiendo ſimul duas partes Miſſarum duorum Sacerdotum, etiam ſatisfacere, ſed hoc alij non admittunt. *ibid. reſ.* 107.

81 Sacerdos ob delictum homicidij, &c. prohibitus celebrare in loco delicti. ſ. Panormi, poterit celebrare in Eccleſijs prope Vrbem exiſtentibus, licèt ſint in ſuburbijs, quia in materia odioſa ſub appellatione Ciuitatis non veniunt ſuburbia. *ibid. reſ.* 123.

82 Audiens Miſſam è feneſtra domus, vel ſtando extra Eccleſiam, non ſatisfacit præcepto, quia non dicitur moraliter præſens. *ibid. reſ.* 154.

83 Qui habuit licentiam celebrandi in Oratorio domus ſuæ in Ciuitate Panormi v. g. ſi poſteà transferat domicilium Meſſanæ, eadem licentia poteſt ibi Miſſam celebrare, cum licentia tamen Ordinarij; quia hoc non eſt priuilegium locale, ſed perſonale. *ibid. reſ.* 208.

84 Parochus in illis diebus, in quibus tenetur Miſſam celebrare, ut populus eam audiat, non poteſt pro applicatione ſacrificij eleemoſynam accipere ab alio. Ita decreuit Sacra Congregatio. *ibid. reſ.* 232.

85 Si quis celebret Miſſam, quæ non ſit de *Requiem*, in Altari Priuilegiato pro Defunctis, non ſatisfacit; ita decreuit ſacra Congregatio. Notandum etiam hìc obiter Miſſam de *Requiem*, in Altari Priuilegiato non poſſe dici in die feſto duplici, & de præcepto, qui incidit in diem aſſi-

Digitized by Google

gnatum pro dicto Altari priuilegiato. *ibid. reſ.233.*

86 Parochus in die Natiuitatis Domini, non tenetur tres Miſſas celebrare, quia ſicuti Parochiani non tenentur eo die, niſi vnum Sacrum audire, nec Parochi plura dicere, ſecluſo ſcandalo, & contemptu. *ibid. reſ.236. & 4.par. tr.4.reſ.236.*

87 Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, ſi per menſem infirmitate, aut alio impedimento non voluntario impeditus exiſtat, non tenetur Miſſas compenſare, niſi conſtitutio aliqua, aut nota conſuetudo id non permittat, quia id poteſt de mente fundatoris præſumi. *ibid. reſ.238.*

88 An Sacerdos poſſit vna Miſſa ſatisfacere pluribus petentibus vnam Miſſam, modò ab illis non ſit acceptum ſtipendium, ſed gratis multis perſonis Miſſa promiſſa fuerit, iudicent alij. *4.par.tr.4.reſ.196. verſ.Notandum.* Sicut etiam, an ſacrificium Miſſæ pro pluribus oblatum proſit ſingulis, ac ſi pro vna tantùm offerretur. *5.p.tr.14.reſ.81.*

89 Miſſa Conuentualis poteſt applicari, & celebrari pro eo, qui dedit ſtipendium. *5.par.tr.13.reſ.51.*

90 Sacerdos, qui accepit ſtipēdium ab aliquo pro Miſſa applicanda, tenetur ei applicare fructum ex opere operantis, & orationes, aliaque, quæ in Miſſa fiunt. *ibid.tr.14. reſ.80.*

91 In priuatis Oratorijs, licèt non ſit Dominus præſens, poteſt celebrari Miſſa coram familiaribus, quia particula, & clauſula, *in ſua, & ſuorum*, accipitur aliquando diſiunctiuè, pro aut, ſeu vel. *4.par.tr.4.reſ.13.*

92 Poteſt quandoque pro communicando infirmo, vel etiam pro diebus feſtiuis celebrari Miſſa in mari, vel flumine; ſi tamen tanta tranquillitas ſit, vt nullum ſit procellæ, vel tempeſtatis indicium, vel quidquam aliud, quod poſſit nauim notabiliter mouere, & aliunde præter celebran-

brantem ſit alius Sacerdos, qui manu firmiter teneat calicem poſt conſecrationem; & huiuſmodi licentiam poteſt concedere, præter Pontificem, Epiſcopus in caſu neceſſitatis. Et licèt etiam deferre ſacram Euchariſtiam in nauigijs. 5.*par.tr.*3.*reſ.*40.

93 Sacerdos, qui ſimplici beneficio cum onere Miſſarum gaudet, poteſt pro hoc munere idoneum miniſtrum deputare: niſi ſecùs diſponatur in inſtitutione Capellaniæ. 4.*par.tr.*4.*reſ.*87.

94 Si quis petat Miſſam Aſſumptionis, Natiuitatis, &c. B. Virginis extra proprios dies, vel de Paſſione, quę in hebdomada ſancta recitatur, poteſt dici abſque peccato de communi. Non enim ex indiſcreta laicorum deuotione videntur violandæ Rubricæ Miſſalis. Attamen ſecluſo ſcandalo, & ſuperſtitione, ſi quis de facto eas celebret, probabiliter puto non peccaturum mortaliter. 3.*par.tract.*6.*reſ.* 101. & 102. & 218. & 4.*par.tr.*4.*reſ.*39.

95 Obligatus dicere Miſſas D. Gregorij, non tenetur illas dicere ſine interruptione, & omnes de *Requiē*, ſed ſalua honeſtate, & deuotione Sacerdotis, quantum fieri poteſt magis continuè celebrentur. 2.*par.reſ.*32.

96 In præcepto Pij V. non addendi aliquid in Miſſa, præter præſcripta; datur paruitas materiæ, vt ſi quis ex deuotione adderet aliquam paruam orationem, quam non recitet alta voce. 5.*par.tr.*5.*reſ.*63.

97 Laudabile non eſt Miſſam, & Officium Defunctorum ſibi applicari, decantari, & exequias celebrari, quaſi ipſe mortuus ſit, ſed tollenda prorſus hæc conſuetudo, ſi alicubi introducta. 5.*par.tr.*13.*reſ.*2.

98 Sacerdos cæcus validè poteſt celebrare, grauiter tamen peccaret, ſi id efficeret ſine Pontificis diſpenſatione. 5.*par.tr.*5.*reſ.*17

Digitized by Google

99 Contra Sacerdotem non conſecrantem panem, aut vinum, eò quòd ſit in peccato mortali, ſed habens ante ſe hoſtiam conſecrandam, extrahit è tabernaculo particulã conſecratam, & ſuper eam verba conſecrationis profert, & eam oſtendit populo, poſſunt Inquiſitores procedere, & illum debitis pœnis punire. *4.par.trac.4.reſ.12.verſ. Notandum.& 5.par.tr.13.reſ.96.*

100 Laicus, vel Eccleſiaſticus non Sacerdos Miſſam celebrantes videntur poſſe degradari, ſi Eccleſiaſticos ordines habent: & Curiæ ſæculari tradi, tamquàm Eccleſiæ Miſericordiæ indigni. Quod tamen non ſeruatur in Inquiſitione Hiſpanica. Et ad has pœnas incurrendas ſufficit ſemel vnam Miſſam celebrare, vel Sacerdotalibus veſtibus indutum Miſſam incipere licèt non perficiatur. *4.par.tr.4.reſol.12.*

101 Muti, ſurdi, & cæci tenentur diebus feſtis Miſſam audire, Verbum enim audiendi non ſumitur ſtrictè, ſed latè, pro voluntaria præſentia, qua quis Miſſæ ſacrificio intereſt. *5.par.tract.6.reſ.8.*

102 Si quis non adeſſet præſens tempore cõſecrationis, & adeſſet omnibus alijs, probabile eſt ſatisfacere præcepto audiendæ Miſſæ. Si tamen abeſſet conſecrationis, & communionis tempore, non ſatisfaceret. *ibid.tr.13.reſ.41.*

103 Pueri tenentur præcepto audiendi Miſſam, dùm perfectè incipiunt vti ratione ſufficienter ad peccatũ mortale. *ibid.reſ.77.*

104 Qui non audit Miſſam propriam diei feſti, vel Euangelium proprij ſacri, ſatisfacit pręcepto, ſufficit enim quamcumque audire. *ibid.reſ.70.*

105 Qui accedit ad audiendum Sacrum, dùm Præfatio dicitur, neque ſit aliud, tenetur illud audire. *3.part.tract.6.Miſcell.reſ.69.*

106 Qui

Digitized by Google

106 Qui audit Miſſam poſt Euangelium incluſiuè, improbabile non eſt ſatisfacere præcepto, quia omiſſio illa non videtur attingere grauitatem. *4.par.tract.4.reſ.196. & 5.par.tract.5.reſ.44.& tract.14.reſ.70.*

107 Qui audit Miſsam è feneſtra domus, non implet præceptum, quia non dicitur moraliter præſens. *4.par.cit. reſ.154.*

COMITIA, SEV PARLAMENTVM Regni Siciliæ, & Neapolis.

1 DOnatiua, quæ à Sereniſſimo Rege Siciliæ exiguntur tertio quoque anno, ad ſubueniendum neceſſitatibus regni, ſunt veræ impoſitiones neceſſariæ, & iuſtæ. *1.par.tr.3.reſ.1.*

2 Donatiuum, ſeu Gabella vt ſit iuſta, debet imponi ad publicam vtilitatem, & proportionaliter. *ibid.reſ.2.*

3 Imponitur autem iuſtè tributum alicui regno, propter bella, & ſumptus, quos Rex ſuſtinet in alijs regnis. *ibid.reſ.3.*

4 Etiam ſi Rex in egeſtatem inciderit ſua culpa; poteſt tamen iuſtè tributum imponere. Quia non eſt ex vſu regni Regem eſſe inopem. *ibid.reſ.4.*

5 Vt donatiuum, ſeu tributum ſit iuſtum, non ſufficit vt cauſa ſit iuſta; ſed debet eſſe proportionatum, itaut vires regni, & populi non excedat; quod Domini Parlamenti dijudicant: alioqui erit tyrannicum, ſi populus immoderatis vectigalibus grauetur. *ibid. reſ.5.*

6 Exteri in Parlamento raró ſunt inter Regnicolas admittendi, raró ad beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas promouendi. Quia indigenę, ſeu naturales regni maiorem curam gerunt ſuarum Eccleſiarum, & magis in ijs reſi-

dent,quàm exteri. *ibid.reſ.6.*

7 Poſſunt plures Vniuerſitates, & Barones regni conſtituere vnum, aut alterum procuratorem quos nouerint eſſe timoratæ conſcientiæ, vt intrent in Parlamentum, *ibid. reſ.7.*

8 Qui intrat in Parlamentum tamquam Procurator, non debet rogatus ſubſtituere alium procuratorem. Quia hoc cedit in damnum regni. *ibid. reſ* 8.

9 Procuratores Communitatum, & alij intrantes in Parlamentum poſſunt, & debent proponere id,quod ſpectat ad commune bonum, licèt ab eo,qui præeſt non proponatur. *ibid.reſ.9.*

10 Qui ingreditur Comitia vt Baro, & vt Procurator alicuius Communitatis, ſi habet rationes probabiles in vtramque partem, poteſt dare ſuffragium affirmatiuum, & negatiuum; id tamen raro contingit. *ibid.reſol.* 10.

11 In Comitijs credendum eſt Regi affirmanti ſe eſſe in neceſſitate,niſi moraliter conſtet de cõtrario. *ibi.reſ.*11.

12 Rex,& ſupremus Princeps habet ius,aſſignandi iuſtam pecuniæ ſummam,quæ ſibi & regno adminiſtrando ſufficiat. Imò poteſt exigere tributa noua,vel antiqua augere, quando patrimonium ſibi aſſignatũ non ſufficeret Regiæ dignitati, aut neceſſitatibus regni, ſi regnum ferre poſſit. *ibid.reſ.*12.*&* 13.

13 Quando Vaſalli, & Communitates ſunt multùm oneratæ,tunc poteſt Princeps ſuſpendere penſiones, conceſſiones,ipſaſque etiam tollere; quia publicum commodum priuato eſt anteferendum. *ibid.reſ.*14.

14 Non poteſt Rex imponere noua tributa Regno Siciliæ ob cauſas neceſſarias de iure communi tantùm; propter priuilegia ei conceſſa. *ibid.reſ.*15.

15 In Comitijs ſeu Parlamento poſtquam numerus ſuffi-

ſufficiens ſuffragatus eſt pro re iniuſta, ſi quis poſteà pro eadem re det ſuffragium, peccat quidem mortaliter, ſed non tenetur ad reſtitutionem, quia non cooperatur ad damnum. Qui verò priore loco ſententiam dixit pro re iniuſta, tenetur damnum reſarcire cuius eſt cauſa, etiamſi ſciret ſequentes in eamdem ſententiam ituros. *ibidem reſ.16. & 17.*

16 Quando quis certò ſcit in Comitijs pro re iniuſta concludendum a maiori parte, poteſt illo die abeſſe a Comitijs, niſi ſperet ſuum ſuffragium profuturum. At quando omnium ſuffragia debent concurrere ad concludendum, nullus poteſt abeſſe, vel alterum abducere: quia poteſt vnus ſuo calculo iniuſtam concluſionem impedire. *ibid. reſ* 18. *&* 19.

17 Quando dubitatur an vectigal ſit iuſtè impoſitum, & ſunt rationes vtrinque probabiles, videtur ſoluendum: quia in dubio præſumendum eſt pro Rege. Comitia verò cùm agitur de donatiuo ſeu tributo imponendo, debent ſequi probabiliorem ſententiam: quia ſunt veluti iudices inter Regem, & populum. *ibid. reſ.* 20. *&* 21.

18 Eccleſiaſtici ad cuſtodiam regni, & reparationem pontium, turrium, &c. non tenentur contribuere, niſi in ſubſidium quando non ſufficiũt bona laicorum. *ib. reſ.* 22.

19 Eccleſiaſtici vocati debent accedere ad Comitia: contrauenientes tamen regno pelli non poſſunt. *ibidem reſ.* 23.

20 Donatiuum per aliquot annos duraturum, nõ poteſt ex nunc pro tunc ad alios annos prorogari, ptopter incommoda, quæ interuenire poſſunt. *ibid. reſ.* 24.

21 Si cauſæ exigendi tributa ſint iuſtæ, poteſt Princeps per vim, & metum illa extorquere. *ibid. reſ.* 25.

22 Si populus onus tributi ferre non poteſt, nõ tenen-

Digitized by Google

tur Barones,& regni proceres contribuere; quia tenentur ad ſeruitium militare. *ibid.reſ.26.*

23 Procuratores in Comitijs non debent ſedere in eo loco, quem eorum Barones occuparent ſi adeſſent. *ibid. reſol.28.*

24 Conuocati ad Comitia Prouincialia non poſſunt donatiuum offerre Proregi ſine licentia Regis; cùm quo omnes congregati concurrere debent, & maior pars non ſufficit. *ibid.reſ.29.*

25 Qui ſubſcribit ſententiæ a maiori parte Comitiorum concluſæ, cùm ipſe contrarium ſuffragium dederit, ſi ſententia euidenter apparet iniuſta, peccat mortaliter. *ibid.reſ.30.*

CONSCIENTIA DVBIA.

1 LIcitum eſt operari cum conſcientia dubia non tãtùm practicè, ſed etiam ſpeculatiuè, quando ſufficiens diligentia adhibita fuit ad vincendum dubium ſpeculatiuum. & quando ſubeſt rationabilis cauſa ſuadens variare practicè, ſeu hìc, & nunc iudicium ſpeculatiuum. 4.*par. tract.3. reſ.* 1. Notandum tamen quòd licèt ad rectè operandum requiratur iudicium practicum moraliter certum, non tamen ita quòd excludatur omnis formido oppoſiti, ſufficit enim aſſenſus probabiliter dictans, quamuis non ſine formidine oppoſiti, hoc, vel illud honeſtè agi. *ibidem.*

2 Regula illa. *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*, non ſolùm in materia iuſtitiæ eſt vera, ſed etiam in materia aliarum virtutum; vnde benignè reſoluendi ſunt multi caſus ad alleuiandas animas. *ibid.reſ.2.*

3 An verò in dubio tutior pars ſit eligenda, diſtinguen-

guendum eſt inter incertitudinem, ſeu dubium propriè, & ſimpliciter practicum, & dubium abſtractum, quod etiam ſpeculatiuum appellatur; nam in illo quiſque debet ſequi partem tutiorem; in dubio autem abſtracto, ſeu ſpeculatiuo neceſſe non eſt ſequi partem tutiorem, quia ſequendo partem minùs tutam; ſed probabilem, poſſum formare conſcientiam, ſeu iudicium moraliter certum; licitum eſſe mihi hìc, & nunc operari ſecundùm ſcientiam ſpeculatiuã probabilem. *ibid. reſ. 3.*

4 Dubitans vtrum caſus ſit reſeruatus, poteſt illum abſoluere, quia reſeruatio eſt odioſa, & per conſequens ſtrictè interpretanda. *ibid. reſ. 4.*

5 Qui dubitat, vtrum commiſerit peccatum mortale, necne, non tenetur illud confiteri, modò pęnitens ſit in dubio puro, ſecùs autem ſi habeat aſſenſum probabilem circa factum; quod iudicet vel nullum commiſiſſe peccatum, vel ſaltem tale peccatum non eſſe mortale. Si verò poſt confeſſionem huius peccati in dubio, pęnitens habeat notitiam certam, vel probabile indicium, quòd tale peccatum fuerit mortale, obligatur illud iterùm manifeſtare in confeſſione, vt certum, & confitens hoc peccatum in dubio, tenetur confiteri illud cum alio peccato certo. *ibid. reſol. 5.*

6 In dubio, quòd quis ſit illegitimus, cenſendus eſt legitimus: expoſitus item, de cuius parentibus dubium eſt, habenbus eſt legitimus. *ibid. reſ. 6.*

7 Milites dubitantes de iuſtitia belli, ſi ſint ſubditi Principis indicentis bellum, poſſunt ſecundùm probabiliorem ſententiam ad bellum procedere; ſecùs autem ſi non ſint ſubditi. Nomine autem militum ſubditorum intelliguntur non ſolùm ſubditi indigenæ, ſed etiam alienigenæ mercede conducti, qui continuis ſtipendijs ſub eodem Principe

antea

anteà degebant tàm tempore belli, quàm pacis; ſecùs de illis, qui ſolùm tunc tempore belli conducuntur. *ibid. reſ. 7.*

8 Subditus dubius de legitima poteſtate Prælati, non tenetur illi obedire, etiam ſi ſit in poſſeſſione ſuperioritatis, & hoc probabiliter. *ibid. reſ.* 8.

9 Subditus dubitans an res præcepta ſit licita, tenetur obedire: contrariam enim ſententiam tunc puto eſſe amplectendam, ſi ſubditus ita dubitans timeret obediendo ſibi, vel tertię perſonæ aliquod magnum damnum in rebus, honore, vel fama, aut corpore. *ibid. reſ. 9.* Quòd ſi ſuperior præcipiat aliquid ſub conditione, de qua dubium eſt, an ſit adimpleta, non tenetur in hoc caſu ei obedire, quia in dubio non eſt præſumendum conditionem eſſe adimpletam. *ibid. verſ. Nota hìc etiam.* Si verò Prælatus dubius de honeſtate rei præcepta, vel de exceſſu ſuæ iuriſdictionis, imperet, ſubditus, ſi etiam ipſe dubitet, non tenetur obedire. *ibid. verſ. Notandum eſt.*

10 Dubius de voto, aut iuramento, non tenetur illa adimplere, quia nulla eſt poſſeſſio pro voto, aut iuramento, ſed tota pro libertate voluntatis. *ibid. reſ.* 10. Vnde infertur. 1. Quòd qui certus eſt ſe emiſiſſe votum Religionis ſed dubius an Religionis in communi, vel huius in particulari, poteſt quamlibet ingredi. 2. Certus, quòd vouerit ſe non acceſſurum ad aliquam fœminam, & dubitat num de acceſſu fornicario, vel vxorario ſenſerit, nō tenetur abſtinere a nuptijs. 3. Certus ſe vouiſſe caſtitatem, aut perpetuam, aut temporalem, & eſt omninò verborum voti immemor, tenetur ad ſolam temporalem, quæ minor eſt: Si verò memor ſit verborum voti, v. g. voueo caſtitatem; hæc verba perpetuitatem quamdam important. 4. Qui vouit Religionem, ſed dubitat vtrum vouerit ſe profeſſurum, non tenetur ad profeſſionem: In his enim omnibus

poſſeſ-

poſſeſſio ſtat pro libertate. 5. Qui vouit quotidie dicere Roſarium, dubitat autem an intellexerit integrum Roſarium, vel tantùm tertiam partem, poteſt hanc eligere, quia hæc etiam Roſarium appellatur. *ibid. verſ. Ex his.*

11 Dubius vtrum emiſerit votum ante vſum rationis, non tenetur adimplere. *ibid. reſ.* 11. Certus autem ſe emiſiſſe votum, v. g. caſtitatis, ſed dubitat an habuerit animũ ſe obligandi, tenetur ſeruare caſtitatem, quia poſſeſſio ſtat pro voto; tale tamen votum non cenſetur reſeruatum Pontifici, quia reſeruatio cùm ſit odioſa, eſt reſtringenda ad certos caſus. *ibid. verſ. Notandum.*

12 Qui non eſt omninò dubius, ſed magis in eam partem inclinat, quòd votum emiſerit, non tenetur illud adimplere, quia in dubio certa alterius poſſeſſio huic inæqualitati præponderat. Idem dic de dubitante in materia iuſtitiæ. *ibid. reſ.* 12. *&* 2. *par.* 4. *tract.* 15. *&* 1. *Miſcell. reſ.* 9.

13 In dubio vtrum materia voti ſit bona, vel mala, probabilius tenetur quis illud adimplere, licèt contrarium etiam ſit probabile. *ibid. reſ.* 13.

14 Dubitans, ſitne aliqua lex excommunicationem, ſuſpenſionem, vel irregularitatem imponens vſu recepta, poteſt exiſtimare non eſſe receptam; quia poſſeſſio ſtare videtur pro ſubditis ſuam libertatem retinentibus. *ibid. reſol.* 14.

15 Coniux dubitans de valore matrimonij ante diligentiam adhibitam ad aſſequendam veritatem tenetur reddere debitum, ſed non poteſt petere, ea tamen ſufficienter adhibita poteſt reddere, & petere. Contraria autem ſententia procedit, quando dubium valoris matrimonij oritur ex dubio impedimenti impotentiæ; nam tunc vterque coniux poteſt reddere, & petere. *ibid. reſ.* 15. Si verò coniux dubitans de valore matrimonij ante adhibitam

dili-

Digitized by Google

diligentiã petat debitum, alter non tenetur ei reddere, quia non habet ille ius ad petendum. *ibid. verſ. Sed difficultas.* Inſuper ſi coniux dubitans de valore matrimonij, illud ineat, non poteſt petere, ſed debet reddere debitum alteri bona fide poſſidenti: Si verò vterque mala fide contraxit, neuter poteſt petere, nec reddere, quia neutri ſuffragatur poſſeſſio mala fide incepta. *ibid. verſ. Difficultas etiam.* Tandem dubitans de valore matrimonij a ſe bona fide contracti, quia dubitat de ſeruitute alterius, poteſt ac tenetur reddere debitum. *verſ. Et tandem.*

16 Dubitans an impedimentum matrimonij habeat, facta ſufficienti diligentia, poteſt illud inire abſque diſpenſatione, quia poſſeſſio ſtat pro libertate ad contrahẽdum. *ibid. reſ.* 17.

17 In dubio, vtrùm cenſura ſit lata, vel ferenda, cenſenda eſt tantùm ferenda, quia odia ſunt reſtringenda. *ibid. reſ.* 16.

18 Si quis cęnans die Iouis dubitet, an ſit tranſacta media nox, poteſt adhuc edere carnes; quia ius, & poſſeſſio ſtat pro libertate edendi: è contrario ſi quis cœnans in die ieiunij dubitat an hora duodecima noctis ſonuerit, non poteſt edere carnes, quia poſſeſſio ſtat pro præcepto. *ibid. reſol.* 18.

19 Qui vouit ieiunare Quadrageſimam, & dubitat an voluerit vouere abſtinentiam a lacticinijs; poteſt illa comedere. *ibid. reſ.* 20. Dubitans verò quiſpiam an expleuerit viginti & vnum annos, non tenetur ieiunio, quia poſſeſſio ſtat pro libertate poſſidentis. Vel dubitans an ſit hodie dies ieiunij, non tenetur ieiunare, aut dubitans an ſit dies feſtus, non tenetur a ſeruilibus abſtinere, & Miſſam audire. *ibid. reſ.* 21.

20 Quando conſtat de lege, dubium autem eſt an in

aliquo

Digitized by Google

aliquo caſu obliget, non licèt contra illam facere, quia lex poſſidet. *ibid. reſ.*22.

21 In caſu dubio non datur locus Epijkeiæ, niſi alteri legi grauiori dubitetur contrariari, tunc enim liceret grauiorem legem exequi, omiſſa minori. *ibid. reſ.*23.

22 Dubius ob tenuitatem beneficij de onere recitandi diuinum officium, tenetur recitare; nam quando obligatio eſt certa, & excuſatio dubia, tenetur quis obedire. Contrarium tamen eſt etiam probabile. *ibid. reſ.*24.

23 Poſſeſſor bonæ fidei facta ſufficienti diligentia an res ſit ſua, adhuc tamen remanet dubius, poteſt illam retinere, & alienare, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis. *ibid. reſ.*26. & 2 *par. tract.* 15. *reſ.* 10.

24 Qui titulo emptionis, vel donationis rem furtiuam ſub dubio poſſidet, & facta diligentia dubius adhuc perſiſtit, tenetur rem diuidere inter ſe, & eos, de quibus dubitat, quia tunc pro nullo ſtat præſumptio, ac proinde omnes æquale ius habent: niſi tamẽ rem acceperit a poſſeſſore bonæ fidei, tunc enim non comparente domino poſt factam diligentiam, poterit rem retinere, & illa vti. *ibidem reſol.*27.

25 Poſſeſſor bonæ fidei, qui dubitans rem eſſe alienã, neglexit inueſtigare verum Dominum, vnde impotens factus eſt ad eum ſciendum, non tenetur probabiliter ad reſtitutionem; quia quamuis peccauerit negligendo inquiſitionem veritatis, tamen incepit poſſidere bona fide, & melior eſt conditio poſſidentis. *ibid. reſ.*29.

26 Dubitans an res ſit furtiua, poteſt illam emere, vt poſteà a vero Domino totum pretium accipiat, nec peccat in hoc, dummodo fuerit pretium iuſtum, & Dominus alias non fuiſſet ſine expenſis recuperaturus. *ibid. reſ.*33.

27 Conſulens homicidium, furtum, &c. dubitans tamen

men an ex tali conſilio ille motus fuerit ad id faciendum, non tenetur ad reſtitutionem. Si quis verò vellet ſtare in ſententia affirmatiua ille conſulens dubius an influxerit ſuo conſilios in homicidium, non tenetur reſtituere totum damnum, ſed partem pro quantitate dubij remanentis poſt peractam diligentiam. *ibid. reſ.* 28. & 3. *part. tr.* 5. *reſol.* 84.

28 Quando commodatarius, vel depoſitarius eſt dubius, vtrum res ſit ſua culpa amiſſa, non tenetur illam reſtituere, quia cùm delictum non præſumatur, ipſe eſt in poſſeſſione ſuæ innocentiæ. *ibid. reſ.* 30. Quod idem probabiliter dic de locatario, ſeu conductore. *ibid. verſ. Sed an.*

29 Quando duo dubitant de filio illegitimo, vter ipſorum ſit eius pater; vterque tenetur illum alere: qui ſi inæquales in diuitijs, & nobilitate ſint, poteſt mater a nobiliori, & ditiori plus alimentorum exigere, non verò deficiente vno, aut nolente filium alere, tenetur alter in integrum, quia filius non habet ius integrum aduerſus quemlibet. *ibid. reſ.* 31.

30 Quando debitor ſolus certus eſt de debito, ſed dubius de ſolutione, tenetur illud ſoluere, ſi verò tàm debitor, quàm creditor dubij ſunt, an ſit debito ſatisfactum, in tali caſu debitor non tenetur ad integram ſolutionem, ſed ad partem ſecundùm dubij proportionem, & id non ſine magna probabilitate. *ibid. reſ.* 32. & 3. *par. tr.* 6. *reſ.* 49

31 Dubitans an proximus extremè indigeat, tenetur ex charitate veritatem indigentiæ indagare, ne ſe ſubijciat periculo peccandi, ſi id omittat. Quod ſi ſibi conſtet, neceſſitatem extremam eſſe, imò grauem, elargiri eleemoſynam tenebitur: at manente dubietate, facta ſufficienti diligentia, non erit compellendus eleemoſynam erogare. *ibid. reſ.* 34. & 5. *par. tr.* 8. *reſ.* 39.

32 Du-

Digitized by Google

32 Dubius vtrum contraxerit excommunicationem, non eſt cenſendus excommunicatus, ſiue dubium ſit iuris, ſiue facti; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. *ibid. reſ.* 35. Eadem ratio militat in ſuſpenſione, & interdicto dubijs. *ibid. & 5. par. tr. 9. reſ.* 44. Et quando excommunicatio eſt conditionalis, & dubium eſt an cōditio fuerit impleta, non ligat, quamdiù non conſtat de impletione conditionis. *ibid. verſ. Et nota.*

33 In dubio vtrum votum ſit emiſſum ante pubertatem, aut poſt minorem ætatem, pater poteſt illud irritare. Idem dic de tutoribus, & curatoribus etiam in caſu, quo dubium ſit de tempore ſubiectionis. *ibid. reſ.* 37. Imò ſi dubium ſit an votum ſit confirmatum ab impubere tranſacto ſubiectionis tempore, adhuc Superior poteſt votum irritare. *ibid. verſ. Sed quid.*

34 Confeſſarius dubitans an habeat facultatem abſoluendi, putà quia mortuus ſit Delegatus, vel priuilegium ſit aliqualiter dubium, & adeò dubitat, quòd non poteſt intellectus in neutram partem determinari, ſed anceps, & ſuſpenſus remaneat, tunc duobus ſimul concurrentibus poteſt abſoluere. Primò vt adſit neceſſitas pœnitentis, putà ſuſcipiendi Euchariſtiam, vel per longum tempus confiteri non poſſit. Secundò vt abſolutio detur ſub conditione, ſi poſſum, & cum onere iterùm confitendi habenti certam iuriſdictionem. *ibid. reſ.* 38.

35 Subditus dubitans de iuſtitia tributi noui, non tenetur illud ſoluere, quoniam melior eſt conditio populi poſſidentis: antiquæ verò gabellæ, & tributa putari debent iuſta, & ideò in dubio ea fraudare non licèt. *ibid. reſ.* 39. Si verò ſint vtrinque rationes probabiles, an ſit ſoluendum, vide in Verbo: *Comitia, ſeu Parlamentum, num.* 17. *& 2. par. tr. 17. reſ.* 59.

Digitized by Google

36 Si Iudex ſit dubius in pari dubio iuris vtriuſque partis, tenetur fauere poſſidenti, ſi verò neuter poſſidet, diuidat inter vtrumque, quia æquum eſt vtriuſque ius. *ibid. reſ.* 40.

37 Coniux dubitans de valore matrimonij in priori bimeſtri, ſiue poſt examen, ſiue anteà, non tenetur reddere debitum, quia alter non habet ius petendi. Si verò nondùm conſumato matrimonio poſt bimeſtre tempus adhuc dubitat, non debet detinere alterum coniugem perpetuò dubium, ſed debet ei detegere dubium, vt ipſe etiam interim non petat, donec ſufficienter examinetur: quòd ſi timeat talem dubij reuelationem nocituram, tunc debet coniux dubius reddere debitum. *ibid. reſ.* 41.

38 Dubius an effectus ſit a cauſa naturali, vel à dœmone, non poteſt eo vti. *ibid. reſ.* 43. & *reſ.* 62. *vbi agit de ens almo dubio*.

39 Superior poteſt diſpenſare in dubio, ſi cauſa ſit iuſta, quia in dubio eſt in benigniorem partem inclinandũ. *ibid. reſ.* 44. Itemque ſi Epiſcopus dubitat an res egeat diſpenſatione, poteſt in lege ſuperioris diſpenſare; quia adeſt præſumptio pro libertate. *ibid. reſ.* 46. Idem dic in dubio de valore voti. *ibid. reſ.* 59.

40 Qui dubitat num diſpenſatio obtenta ſit valida, poteſt ea vti, & cenſenda eſt valida. *ibid. reſ.* 45.

41 Aduocatus ſi cauſa ſit criminalis, in dubio facti poteſt patrocinari contra reum. *ibid. reſ.* 47.

42 Si quis certus eſt ſe vouiſse, vel legaſſe Eccleſiæ v. g. aliquas menſuras tritici, ſed dubitat an intellexerit de maioribus, vel minoribus menſuris, poteſt eligere minores ex vſi tatis in eo loco; & idem dicendum eſt de nummis. Item qui vouit calicem, ſatisfacit dando argenteum; ſeu qui tantùm coppam habeat argenteam. Et qui vouit vinum

Sacri-

Sacrificij Miſſæ, ſatisfacit non dando optimum, ſed decentem pro tali vſu. Idem dicendum in ſimilibus. *ibid. reſ.* 48.

43 Dubius vtrum ante quinquennium elapſum ratificauerit profeſſionem nullam, non manet obligatus. Profeſſus verò ſi dubitet an priorem profeſſionem inualidam ratificauerit poſt tranſactum quinquennium, tenetur ſtare priori profeſſioni, quia in dubio profeſſio ſtat pro Religione. *ibid. reſ.* 49.

44 Princeps dubius de iuſtitia belli, poteſt bellum mouere, ſi ſpolietur ab altero de re dubia, quam poſſidet; vel ſi ab eo, qui poſſidet rem dubiam, non admittuntur Legati ad examinandum negotium; vel ſi in dubio, is, qui non poſſidet, videatur habere plus iuris, & petat compenſationem, nec obtineat ab eo, qui poſſidet. In caſu verò, quòd Rex, licèt dubitet, habeat tamen maiorem propenſionem, Regnum eſſe alterius Regis, debet ſaltem partem Regni reſtituere. *ibid. reſ.* 50.

45 In dubio vtrum priuilegium ſit reale, vel perſonale, diſtinguendum eſt: vel priuilegium eſt omninò fauorabile, quia nec iuri communi, nec iuri tertio contrarium eſt, & tunc in caſu dubio reputari debet reale, & extendendum eſt; Vel priuilegium iuri communi derogat tantùm, & tunc limitandum, & perſonale cenſendum. Vel priuilegium præter ius commune eſt, vergit tamen in præiudicium alterius, & tunc ea parte, qua in præiudicium vertit, ſtrictè eſt interpretandum, & perſonale cenſendum, ſi præiudicium ſit graue. *ibid. reſ.* 51.

46 Quando dubium eſt, an pueri habeant vſum rationis, præſumendi ſunt habere, ſi compleuerint ſeptennium, ſecùs antè; quia præſumptio deſumenda eſt ex communiter contingentibus. Immò quamuis conſtet puerum ante ſeptennium habere vſum rationis, non tenetur tamen

Digitized by Google

confiteri, nec abſtinere a carnibus,&c. cùm leges poſitiuæ non intendant obligare ante illam ætatem. *ibid.reſ.*52.

47 Si omnibus conſideratis de pueri capacitate dubiũ manet, tunc abſolui poteſt ſub conditione; ſaltem animo retenta; immò in mortis articulo debet, tali præſertim caſu neceſſitatis, quia in dubio inclinandum eſt in fauorem animæ. *ibid.reſ.*53.

48 In dubio vtrum peccator ſit publicus, vel occultus, danda eſt ei Euchariſtia. *ibid.reſ.*54.

49 In dubio an iuſtus metus incuſſus fuerit, & an profeſſio ſit valida, præſumendum eſt in fauorem profeſſionis, *ibid.reſ.*55.

50 Quando cauſa eſt dubia circa comeſtionem carnium in ieiunio, non opus eſt diſpenſatione, ſi agitur de nocumento notabili. *ibid.reſ.*56.

51 Dubium vtrum parentum neceſſitas ſit grauis, poteſt ingredi Religionem, idque erit etiam licitum, etiamſi vtrinque ſint rationes probabiles, vt poſſit dici vtraque pars opinabilis. *ibid.reſ.*57.

52 Dubius de obligatione præcepti introducta per cõſuetudinem, non tenetur illam obſeruare, quia in dubio nemo præſumitur velle obligari. *ibid.reſ.*58.

53 Si quis vendens res indifferentes, nulla cauſa iuſta concurrente, dubitat de malo vſu ementis, vel illud dubiũ eſt merè negatiuum, quia ſcilicet non poteſt quis prudenter, ac probabiliter ſuſpicari, an alter benè, vel malè prædictis indifferentijs ſit vſurus, & tunc licitum eſt hæc indifferentia miniſtrare; vel illud dubium eſt poſitiuum, quia ſcilicet meritò, ac prudenter dubitari poteſt de abuſu alterius, & tunc licitè poterunt miniſtrari hæc indifferentia, ſi ſit rationabilis cauſa, licèt minor ſufficiat, quàm vbi abuſus eſt certus. *ibid.reſ.*60. *&* 5.*par.tract.*7.*reſ.*38.

54 Du-

54 Dubius de emendatione alicuius rei in edicto Inquiſitorum poſiti,& præſertim hæretici, tenetur illum denunciare, etiamſi conſtet moraliter eſſe emendatum, quia decernere an ſit, vel non emendatus,iudiciũ exigit altius, quàm priuati. *ibid. reſ 61.*

55 Dubium vtrum ſuum ſuffragium concluſerit rem iniuſtam,non tenetur ad reſtitutionem. *ibid. reſ. 63.*

56 Dubitans vtrum cauſa expreſſa in narratiua alicuius reſcripti ſit finalis, vel impulſiua, cenſenda eſt impulſiua,quia ſemper præſumptio ſtare debet in fauorem actus. *ibid. reſ.64.*

57 Confitens, v.g. fornicationem, de qua dubitat, an illam aliàs confeſſus ſit, etiamſi hoc dubium in confeſſionem non explicet, confeſſio eſt valida, quia ſic confitendo non mentitur circa materiam. *ibid. reſ.65.*

58 Dubitans ſe eſſe excommunicatum, poteſt audire Miſſam,& facere alia excõmunicatis prohibita. *ibi. reſ. 66.*

59 Qui dubius eſt an poſſit maiorem partem officij recitare, non tenetur illam recitare, ſi recitatio ſit nocitura: Si verò etiam Medicus dubius eſt, an ſit grauiter nocitura recitatio, nec dùm teneris recitare probabiliùs, quia non teneris te exponere periculo grauis damni ob adimpletionem præcepti Eccleſiaſtici. *ibid. reſ. 67.*

60 Dubitans an aliquem Pſalmum, vel Horam omiſerit, non tenetur repetere, ſi probabilem coniecturam habeat ſe dixiſſe: Immò ſi timidioris conſcientiæ ſit, malè faciet repetendo, & Confeſſarius ei iniungat, vt non repetat, ſed proſequatur reliquum officium. *ibid. reſ* 68.

61 Concurrentibus duobus præceptis, & aliquis dubitaret vtrum illorum obligaret, eo quòd ſimul impleri non poſſint; conſideranda eſt vtriuſque grauitas,& natura; & ſi attentis omnibus circumſtantijs non conſtiterit magis

de obligatione vnius, quàm alterius, poteſt liberè eligi impletionem cuiuſlibet illorum: ſi verò attentis omnibus vnum credatur aliquo modo magis obligare, quàm alterum, illud implendum eſt de cuius obligatione magis conſtiterit. *ibid. reſ. 70.*

62 Qui cùm debeat adhibere correctionem fraternam, dubitat an ſit profutura, & certus eſt ſaltem non obfuturam, tenetur eam adhibere, ſecùs ſi etiam dubitaret an eſſet nocumentum allatura. *ibid. reſ.* 72. Quòd ſi peccatum ſit dubium, priuata perſona non tenetur corrigere, ſed ſpectat ad Superiorem. *verſ. Sed quid.*

63 In dubio an fideicommiſſum expiret, poteſt vltimus vocatus de bonis liberè diſpenſare. *ibid. reſ. 73.*

64 Si quis dubitet, vtrùm quo cum luſit eſſet lucraturus, ſi ipſe fraudes non adhibuiſſet, tenetur ad reſtitutionem rei acceptæ per fraudem adhibitam in ludo; non verò ad reſtitutionem rei ſuæ, quam vincenti tradidiſſet, ſi perdidiſſet. *ibid. reſ. 75.*

65 Qui rem vendidit bona fide, & poſteà dubitat an ſit aliena, non tenetur habere animum reſtituendi pretiũ vero Domino, ſi conſtiterit rem eſſe furtiuam, quia vendens non eſt factus inde locupletior. 2. *par. tr.* 15. *reſ.* 11.

66 Dubitans an proximus ſit in extrema neceſſitate, tenetur ex charitate veritatem indigentiæ indagare, ſiue in dubium inciderit quia pauper ſuam inopiam propoſuerit, ſiue alia via; aliter enim id omittens, ſe ſubijceret periculo peccandi. 5. *par. tr.* 8. *reſ.* 39.

67 In vero dubio, an habeat peccatum mortale, non poteſt quis ſumere Euchariſtiam ſine confeſſione; ſi enim contrarium eſſet verum, ſequeretur non adeſſe obligationem confitendi peccata dubia, quod nullo pacto concedi poteſt. *ibid. tr.* 14. *reſ.* 44.

68 Du-

68 Dubius in fide, non eſt cenſendus hæreticus: quia hæreſis eſt error fidei contrarius, ſeu aſſenſus contra fidem; at qui eſt dubius neutri aſſentitur parti, ſed ſuſtinet aſſenſum, ergo. 2.*par.tr.*16.*&* 2.*Miſcell.reſ.*51.

Conſecratio, & Benedictio.

1 PYxis, in qua aſſeruatur SS. Euchariſtiæ Sacramentum, non eſt neceſſariò conſecranda, aut benedicenda; quia id nullo iure præcipitur: neque eſt neceſſe in ea haberi pallam ex lino confectam, & benedictam ad Chriſti Corpus excipiendum. 2.*p.tr.*15.*&* 1.*Miſcel.reſ.*2.

2 Quando interior Calicis ſuperficies, quæ Chriſti ſanguinem tangit, iterùm deauratur, non videtur de nouo conſecrandus: cùm enim idem maneat, neque frangatur, nihil eſt cauſæ cur conſecrationem perdat; illa autem noua deauratio, quæ additur, cenſetur conſecrata hoc ipſo quòd additur rei iam conſecratæ: idem eſt de patena. *ibid.reſ.*3.

3 Eccleſia per effuſionem humani ſanguinis violata, ſi ſit conſecrata, debet reconciliari per Epiſcopum propriũ, vel per alium Epiſcopum de eius licentia, & cum aqua à ſe, vel ab alio Epiſcopo benedicta cum vino, & cinere. Si autem ſit tantùm benedicta, poteſt per ſimplicem Sacerdotem reconciliari. *ibid. reſ.*6. *&* 4. *par. tr.*4.*reſol.*91.

4 Cingulum fractum non amittit benedictionem; licèt enim vti parte longiori, aut duabus partibus ſimul nexis, abſque noua benedictione. *ibid. reſ.*4. *& par.* 5. *tract.* 13.*reſ.*92.

5 Licèt Agnos Dei conſecratos vendere ratione materiæ, ac laboris, & impenſarum in eis aſportandis. Item licèt illos retinere, poſtquàm in excommunicationem incurſum eſt, eos depingendo, non tamen ad vendendum.

Digitized by Google

Nec peccabunt Laici ſi abſque contemptu illos tangant, nam vſus obtinuit vt à Laicis etiam fœminis tangantur, *3.par.tr.6.Miſcell.reſ.12.*

Conſilium.

QVando quis decreuit committere graue aliquod peccatum, licet ei ſuadere minùs. Vt ſi viderem Petrum velle, & certò ſtatuiſſe adulterium committere, & non poſſem aliter ab hoc propoſito illum auocare, niſi ſuadendo fornicationem loco adulterij, poſſem ei ſuadere fornicationem, non quatenus ipſa peccatum eſt, ſed quatenus impedit peccatum adulterij. Quia tale conſilium non fertur abſolutè in malum, ſed in bonum, ſcilicet in fugam maioris mali; dummodo tamen nullũ creetur damnum, ſeu corporale, ſeu ſpirituale tertio. *3.par. tr. 5.Miſcell.reſ.37.& 5.par.tract.7.reſ.18.& 19.*

Contractus, & Cambium.

1 CVm pro campſario reſpondet procurator campſoris, de ipſius campſoris pecunijs, videtur cambium eſſe licitum, modò campſor non habeat peruerſam intentionem lucrandi ex dilatione ſolutionis. Neque tantùm eſt licitum inter mercatores, ſed etiam continuare licèt inter perſonas priuatas. *par.1.tr.8.reſ.1.2.*

2 Recambium eſt licitum non tantùm ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis, ſed etiam ratione emptionis, & venditionis. *ibid.reſ.5.*

3 Ex inueterata conſuetudine, pro prouiſione cambij debetur tertia pars ſcuti pro ſingulis centenis ſcutis; idemque ſumi poteſt pro prouiſionibus recambiorum, & continuationum toties quoties. Ego verò ſum auctor campſoribus, vt in continuationibus non ſumant a campſarijs integrum intereſſe cambij. *ibid.reſ.6.7.& 8.*

4 Po-

Digitized by Google

4 Poteſt campſor toties quoties recipere duas prouiſiones, vnam in loco vbi fit cambium, alteram in nundinis, per ſuum procuratorem, ſeu agentem, ob laborem eius. *ibid. reſ. 9.*

5 Campſor iure percipit maiorem prouiſionem pro magno cambio, quàm pro paruo, rõne periculi. *ibi. reſ.* 10.

6 Poſſunt campſores, id, quod ſibi debetur pro prouiſionibus, & intereſſe addere ad ſortem; ratione lucri ceſſantis. *ibid. reſ.* 11.

7 Conſuetudo campſorum de non acceptanda ſolutione ſortis, niſi ſimul ſoluantur detrimenta cambiorum, eſt licita. *ibid. reſ.* 12.

8 Campſores dantes ad cambium modo ſupradicto non ſunt in foro externo tamquam vſurarij puniendi. *ibid. reſol.* 13.

9 Campſor, qui bona fide dedit pecuniam Petro ad cambium, ſoluendam Lugduni, & poſteà comperit ipſum non habere ibi pecuniam; poteſt ab eo tantùm exigere, quantum lucri percepiſſet, ſi Petrus Lugduni ſoluiſſet. *ibid. reſol.* 14.

10 Si campſor a principio paciſcatur cum campſario certum, ac determinatum intereſſe, quod moraliter conſtet eſſe iuſtum, etiam in caſu non ſolutionis, non peccat mortaliter. *ibid. reſ.* 15.

11 Contractus maſſarij ad mercatorem eſt licitus, etiamſi vendens non ſit agricola, nec Dominus prædiorũ, neque inſolidum ſe obliget cum aliquo, qui talis ſit; ſufficit ſi habeat frumentũ in potentia morali, ſcilicet vt poſſit illud emere. *ibid. reſ.* 16.

12 Si in ſupradicto contractu venditor non tradat frumenta tempore præfixo, non poteſt emptor petere, nec accipere ſummum frumentorum pretium, ſed ex præteritis

pretijs inter ſummum & infimum debet eligere medium. Si tamen illo tempore, quo ſummum fuit frumenti pretiũ, emptor illud vendere determinaſſet, poſſet vtique ſummũ illud pretium exigere. Eiuſmodi autem contractus poteſt ſæpius renouari citra fraudem, & poſteà adijci intereſſe ad ſortem principalem, rõne lucri ceſſantis. *ibid. reſ.* 17. 18. 19.

13 Licèt vendere rem credita pecunia pretio rigoroſo, & poſteà illam ſtatim emere numerata pecunia pretio infimo, modò id non fiat ex pacto. *ibid. reſ.* 20.

14 Merces, quæ communiter venduntur credito, pluris vendi poſſunt expectata, quã præſenti pecunia. *ibid. reſ.* 21.

15 Licèt minoris emere merces anticipata ſolutione, ob lucrum ceſſans, & damnum emergens. *ibid. reſ.* 22.

16 Poſſunt merces plures vendi, 1. ob multitudinem emptorum. 2. ob affectum ad rem. 3. ob lucrum ceſſans. 4. ob damnum emergens. 5. ob periculum amittendi pretium rei, vel recuperandi cum expenſis. 6. propter modum vendendi. Poſſunt item minoris emi. 1. ob multitudinem mercium, & raritatem emptorum. 2. ob inopiam pecuniẹ. 3. propter modum vendendi, modò res non habeant pretium à lege conſtitutum. *ibi. reſ.* 23.

17 Mercator etiam ſi non exercuerit monopolium, non poteſt iuſtè ſuas merces vendere pretio illo quod per monopolium creuit: quia illud pretium ex ſe eſt iniuſtum. Videtur autem illud monopolium iniuſtum, quo mercatores conſpirant, vt nullus eorum vendat, niſi pretio ſupremo. *ibid. reſ.* 24.

18 Si quis ſciat valorem monetæ breui minuendum, poteſt illam alteri mutuare cum pacto, vt eam ſibi reſtituat iuxta valorem præſentem illius pecuniæ. *ibid. reſ.* 25.

19 Sartores, qui pro alijs emunt pannum, poſſunt ſibi retinere partem illam pretij, quæ ipſis remittitur a mercatore;

tore;

tore; quia nulli ſit iniuria. *ibid.reſ.*26.

20 Qui impediunt alios ne merces emant ab ijs, qui eas portant, ſed eas ipſi anticipatè emunt, itaut alij poſteà cogantur eas cariùs emere de manibus ipſorum, obligantur ad reſtitutionem. *ibi.reſ.*27.

21 Licet tradere alteri pecuniam, domũ, verbi gratia, tradenti, hoc pacto vt ipſe vtatur domo, alter pecunia, modò adſit titulus lucri ceſſantis, & pactum retrouendendi. *ibid.reſ.*28.

22 Pœna conuentionalis non debetur in conſcientia ante ſententiam iudicis, ſi debitor non ſit in mora culpabili, vel ſi non ſit moderata. *ibid.reſ.*29.

23 Poteſt quis dare mercatori pecuniæ ſummam, & accipere ab ipſo in fine anni, v. g. quinque pro centenario, dummodo (licèt tacitè & implicitè) intendat celebrare tres contractus. 1. ſocietatis. 2. aſſecurationis capitalis. 3. venditionis lucri incerti pro certo. *ibid. reſ.*30.

24 Poteſt quis ſumere mutuum ab vſurario, ſub vſuris, non tantùm ad neceſſaria, ſed etiam ad conuiuia, tornea-menta, &c. iuxta exigentiam ſtatus: quia non videtur cooperari malitię vſurarij. *ibid. reſ.*31.

25 Theſaurarius vel procurator Principis, poteſt inſcio Domino cum illius pecunijs negotiari in ſuum commodum. *ibid.reſ.*32.

26 Licet mercatori dicere petenti pecuniam mutuam, ſe nolle mutuare tantam pecuniam, ſed ſe daturum, ſi velit, in mercibus id, quod mutuò petit ſummo pretio ad creditum. Poteſt rurſum mutuans, ſicut & alij, illas redimere vili pretio a mutuatario. *ibid.reſ.*33.

27 Non licèt mutuanti percipere lucrum ceſſans ex mutuo, ſi aliunde compenſatur. *ibid. reſ.*34.

28 Quando taxatum eſt pretium fructuum, carnium, pi-

piſcium,&c. non licet ſe ponere meliores, & vendere pretio maiori; ſecùs facientes tenentur ad reſtitutionem. *ibid. reſol.*35.

29 Si quis emat cenſum impoſitum minori pretio, quàm taxatum fuerit, non tenetur ad reſtitutionem, ſi rogatus fuit à venditore; quia merces vltroneæ vileſcunt, vt quidã putant, pro tertia parte vel medietate. *ibi.reſ.*36.

30 Poteſt mutuans aliquid amplius exigere propter verum & graue periculum amittendi debiti: quia hoc pertinet ad indemnitatem mutuantis: idem eſt de venditore ad creditum. *ibid.reſ.*37.

31 Poteſt quis vendere equum, torquem, monile, &c. vltra iuſtum pretium, cum hac conditione, vt emptor illud ſoluat cùm vxorem duxerit, propter periculum amittendi capitale, cui pretium debet proportionari. *ibid.reſ.*38.

32 Poteſt quis vendere rem cum vitio occulto, vel dare vnum pro alio ferè æquali: quod ſi emptor noſſet, non eſſet eam empturus, ſaltem tanti; dummodò venditor pretium minuat habita ratione defectus: ſic enim ſeruatur æqualitas inter contrahentes. Si tamen venditor probabiliter intelligit emi rem ad reuendendum, vel emptor explicet ſe nolle rem emere, niſi careat vitio, venditio erit nulla. *ibid.reſ.*39.

33 Si quis ſciat rem breui minùs valituram, poteſt eam vendere pretio currenti: vtitur enim iure ſuo. Imò etiam Senatus, & Conſiliarij Regis poſſunt vendere res ſuas pretio communi, quarum pretium ſciunt futura promulgatione legis breui minuendum; nec tenentur eam promulgationem manifeſtare ante tempus, dummodo non differant manifeſtationem ſolùm eo fine vt priùs vendant omnes merces; tunc enim abuterentur munere ſuo in damnum alienum. *ibid.reſ.*40. *&* 42.

34 Po-

34 Poteſt quis vendere res indifferentes ijs, quos nouerit illis ad peccatum abuſuros, modò adſit rationabilis cauſa, puta neceſſitas vel vtilitas. *ibid. reſ.* 41. & 4. *par. tr.* 3. *reſol.* 60.

35 Inter mercatores eſt vſu receptum, vt qui non ſoluit tempore debito, etiam ſine culpa, cenſeatur eſſe in mora, ac proinde cogatur ſoluere pœnam conuentionalem. *ibid. reſ.* 43.

36 Ex penſionibus non ſolutis poteſt quis redditum, & cenſum antiquum augere, vel nouum conſtituere; probabile eſt etiam de pecunia credita, vbi Bulla Pij V. non eſt vſu recepta. *ibid. reſ.* 44.

37 Poteſt quis vendere aut locare domum pretio currenti, Pariſijs, licèt ſciat Aulam, & Regem breui aliò migraturum. *ibid. reſ.* 45.

38 Non peccat contra iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem ſi quis interrogatus de futura copia mercium, vel de minuendo pretio tritici, aut monetę, vel de Regis, & Aulæ diſceſſu, dicat ſe neſcire, vel æquiuocè reſpondeat, vel etiam neget. Quia non tenetur dicere veritatem, neque ex mendacio creſcit pretium rei. *ibid. reſ.* 46.

39 Si quis bona fide celebrauit contractum vſurarium, quem ſi cognouiſſet iniquum, alium iuſtum celebraſſet; probabile eſt illum poſſe tantùm lucri retinere, quantum per contractum licitum acquiuiſſet. *ibid, reſol.* 47.

40 Si quis mutuò dedit alteri pecunias cum obligatione non repetendi ante biennium, poteſt aliquid accipere ratione illius obligationis non repetendi quam ſibi imponit. *ibid. reſ.* 48.

41 Probabile eſt chirographa immatura minori pretio emi poſſe. Ideſt, ius ad ſoluendas v. g. 100. aureos nummos intra annum, poſſe nunc emi minoris, puta 96. aut 97. au-

reis.

Digitized by Google

reis. Quia pecunia præſens pluris æſtimatur, quàm futura. Contraria tamen ſententia eſt communior. *ibid. reſ.* 49.

42 Chirographa, ſeu debita, quæ ſpem habent exiguã ſolutionis, exiguo pretio emi poſſunt, tametſi emptor integram ſolutionem ſit obtenturus; hoc enim dandum eſt illius induſtriæ. *ibid. reſ.* 50.

43 Qui vino generoſo miſcet aquam aut pura tritico ſecale, ea tamen moderatione, vt non ſint deteriora quàm quæ paſſim venduntur, poteſt eodem pretio vendere, quo alij. *ibid. reſ.* 51.

44 Merces, quæ bonitate longè alijs præſtant, vendi poſſunt vltra pretium lege taxatum. *ibid. reſ.* 52.

45 Qui ſub haſta rem vendidit duplo maiori pretio quàm valebat, non tenetur ad reſtitutionem; nulla quippe fraus, nec neceſſitas ſubeſt. *ibid. reſ.* 55.

46 Gemmas, canes, falcones, picturas, &c. quæ non habent pretium taxatum, poteſt venditor vendere quanti voluerit, & quantum emptor ſciens, & prudens dare conſenſerit: cùm enim hæc tantùm ad curioſitatem, & delicias comparentur, iuſtum eorum pretium non aliter determinatur, quàm æſtimatione ementis, qui illa tanti facit vt putet ad nobilitatis ſuæ ſplendorem pertinere, vt tanti emat, modò fraus abſit. *ibid. reſ.* 56.

47 Licet aliquid exigere ſupra iuſtum pretium ratione periculi ſortis, cui interdùm exponitur is qui creditò vendit: nam exponere ſe huic periculo, eſt pretio æſtimabile: ergo poteſt pro eo aliquid exigi, modò tamen periculum non ſit fictum, ſed verum. *ibid. reſ.* 57.

48 Quando mercator non vult mutuare petenti, ſed ei creditò merces offert, & vendit ſummo pretio, vt emptor eas vendat pecunia numerata cui voluerit, poteſt ille ipſe mercator eas ſtatim redimere pecunia numerata, pretio

medio

medio vel infimo, modò non interceſſerit pactum explicitum, vel implicitum de retrouendendo, & modò intra limites iuſti pretij conſiſtat ita vt quando vendit creditò, non excedat iuſtum pretium ſummum, & quando redimit pecunia numerata, nō excedat iuſtum pretium infimum; illud enim pretium habet latitudinem quamdam intra quam licet emere, & vendere. *ibi.t.reſ.* 58.

49 Videtur probabile mutuantem poſſe deducere in pactum eam iuris naturalis obligationem, qua ex gratitudine tenemur benefacere noſtris benefactoribus, dummodò mutuatarius nihil inde patiatur incommodi. Poſſum v.g. tibi mutuare, vt mihi cùm opus habebo remutues, vel in meo molendino molas; vel a me iuſto pretio emas: quod enim ſine vllo incommodo mutuatarij fieri poteſt, non eſt pretio æſtimabile, ideòque ſi a mutuatario deducatur in pactum, non eſt vſura. *ibid.reſ.* 59. Neque erit vſura ſi mutuans deducat in pactum, vt mutuatarius ſtatim emat, vendat, remutuet, &c. nam ita mutuans nullam cauſa mutui imponit obligationem pretio æſtimabilem, cùm mutuatarius nō maneat in poſterum ad aliquid obligatus, neque amittat ſuam libertatē vendendi, emendi, vel mutuandi in poſterum. Neque hic contractus eſt vſurarius: Do tibi mutuo 100. aureos, vel 100. amphoras vini, vt mihi viciſſim mutues 100. modios tritici; hæc enim obligatio impoſita mutuatario, parum eſt oneroſa. *ibid.reſ.* 60.

50 Mutuare aliquid cum pacto, vt is, qui accipit mutuum, conferat officium vel Eccleſiaſticum beneficium, eſt vſura: cùm enim illa obligatio tollat libertatem collatori, eſt pretio æſtimabilis. Si quis tamen mutuum daret, non vt pretium beneficij Eccleſiaſtici, ſed vt prouocet amicitiam collatoris, aut vt ei gratiam præſtet, quam non

vult

vult præſtare, niſi alter ſtatim gratificetur, conferendo beneficium, probabile eſt nec vſuram, nec ſimoniam fore. *ibid. reſ. 61.*

51 Non eſt vſura accipere aliquod donum, vel munus à mutuatario, ad quod dandum fuit excitatus a mutuante; quia non exigitur illud munus vi mutui, neque ex debito iuſtitiæ, cùm nullum interuenerit pactum, ſed tantùm ex gratitudine. *ibid. reſ. 62.*

52 Si Petrus debet Ioanni 100. aureos ſoluendos poſt annum, & nunc vult illi ſoluere 50. cum hoc pacto, vt Ioannes expectet per biennium alios 50. nulla eſt vſura: quia vnum mutuum datur pro alio; qui enim ſe obligat ad expectandam ſolutionem, non ſe obligat ad mutuandum, ſed ſtatim mutuat, quia prorogat terminum ſolutionis, quod eſt mutuum virtuale. *ibid. reſ. 63.*

53 Vt ſciatur quantum poſſit exigi ratione lucri ceſſantis, hæc ſtatui poteſt regula; Vt qui mutuat, tantum remittat ex lucro ceſſante, quantum ipſe daret alteri, qui ipſum redderet ſecurum de toto lucro ſperato, in ſeipſum ſuſcipiens quidquid eſt periculi: v.g. ſi quis ſperaret lucrũ 15. pro 100. & libenter daret 5. pro aſſecuratione, debet tantum accipere 10. pro lucro ceſſante. *ibid. reſ. 64.*

54 In Sicilia frequens eſt hic contractus. Ioannes v. g. menſe Ianuar. vendit 100. modios frumenti Petro, menſe Iulio conſignandos, quo tempore Petrus ſoluet pretium quod taxant ipſi contrahentes menſe Ianuar. quo fit contractus, modius frumenti valeat 40. ſolidis, menſe Iulio ſoluantur 43. Notandum tamen Ioannem venditorem frumentorum conſignandorum menſe Iulio, teneri illa dare Petro quoties petierit toto illo tempore intermedio a Ianuario ad Iulium, quo tempore dicta frumenta ſtant periculo, & expenſis Ioannis venditoris. Si verò menſe Iulio

lio Petrus non acceperit frumenta, Ioannes debet illum monere, & cogere vt accipiat; ſin nolit, proteſtatur de intereſſe, & expenſis, & poſthàc periculum frumentorum erit penes Petrum. Hic contractus eſt licitus, modò illa venditio frumentorum non ſit ficta: eſt enim contractus veræ emptionis & venditionis, & illud, quod Ioannes accipit vltra pretium currens, iuſtè accipit pro expenſis, laboribus, & periculis ſubeundis conſeruando frumenta ad menſem Iulium: *ibid. reſ. 65*.

55 Si quis capitale maius in ſponſione aliqua expoſuerit, poteſt is, qui habet capitale minùs, acceptare ſponſionem, & lucrari illud plus ſine onere reſtitutionis; modò alter, cuius pecunia maior eſt, norit inæqualitatem, & cõſentiat; quia ſcienti, & conſentienti non fit iniuria: *ibidem reſol. 66*.

56 Si filiusfamilias qui non poteſt multum perdere, lucratus ſit in ludo magnam pecuniarum ſummam, non tenetur ad reſtitutionem, præſertim ſi colludens ſciebat illum eſſe filiumfamilias, ſic enim videtur ceſſiſſe iuri ſuo, & volenti & conſentienti non fit iniuria. *ibid. reſ. 67*.

57 Qui bona fide rem emit a fure, quam durante bona fide vendidit alteri, ſi deinde ſciat rem illam fuiſſe furto ablatam, poteſt ſibi pretium retinere, modò eam vendiderit eodem pretio, quo emerat; neque tenetur reſcindere contractum cum emptore, ſed tantùm cùm in foro cõſcientiæ illi cedere actionem de euictione, quam habet aduerſus furem, a quo bona fide emit. *ibid. reſ. 68*.

58 Qui bona fide rem emit à fure, poſteà de furto certior factus, poteſt tuta conſcientia rem reddere furi, & pretium ſuum recipere, niſi ſperet ſe facilè poſſe illud pretium recipere à Domino, ſi illi rem ſuam reſtituat. *ibid. reſ. 69*. Idem dicendum videtur de emptore malæ fidei: quia debet

bet quiſque ſibi potiùs conſulere, quàm alteri. 2. *par. tract.* 17. & 3. *Miſcell. reſ.* 4. & 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 87.

59 Si frumentum eſt taxatum pretio rationabili, & moderato; magna ſterilitate ſuperueniente, non tenentur deinceps homines vendere ſuum frumentum pretio, quod tempore abundantiæ taxatum fuerat: præſumitur enim voluntatem Principis, aut Magiſtratus non eſſe, vt lex tempore abundantiæ lata, in tanta frumenti inopia vim ſuam retineat. 1. *par. tr.* 8. *reſ.* 70.

60 Si mutuanti notabile aliquod damnum emergat ex mutuo dato antequàm mutuatarius ſit in mora ſoluendi, non tenetur mutuatarius illud damnum reſarcire, quia non accepit mutuum cum hoc onere, aut pacto. *ibid. reſ.* 71.

61 Clerici in ſacris conſtituti, vel Religioſi per ſe negotiari non poſſunt; per alios verò negotiationem exercere non prohibentur. *ibi. reſ.* 72. Qui verò habet beneficium, ſed non eſt in ſacris, ſi per ſe negotietur, probabile eſt illum non peccare mortaliter. *ibid. reſ.* 73.

62 Depoſitarius, quando perit penes ipſum res depoſita, non tenetur in conſcientia niſi ex culpa graui, & lata; non autem ex leui, & leuiſſima, niſi aliter inter contrahentes ſit conuentum. *ibid. reſ.* 74. In foro tamen externo, ſi res depoſitarij appareant incolumes, præſumitur in dolo, & ſic depoſitario incumbit onus probandi caſu perijſſe, vel non potuiſſe ſimul ſeruare res ſuas, & depoſitas ob imminens incendium, vel ex alia ratione, maluiſſeque ſeruare ſuas res, quàm alienas; tunc enim ceſſat dicta præſumptio de dolo. 4 *par. tr.* 3. *reſ.* 30. *verſ. Nota.*

63 Hęres ab inteſtato non tenetur quidquam dare hęredi inſtituto in teſtamento minùs ſolemni, nec ſoluere legata facta in tali teſtamento, dummodo non ſint facta ad pias cauſas: quia illud teſtamentum iure humano eſt nullum.

Digitized by Google

lum. 1. *par. tr.* 8. *reſ.* 75.

64 Qui in ſubhaſtatione rogat amicos volentes eme-re ne plus offerant certa quadam quantitate, vt ipſe poſteà iuſto pretio infimo rem illam emat, non peccat contra iu-ſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem. Idem dicendum de eo, qui volens officium emere rogat alios emptores ne ve-lint plus dare. Iſti enim vtuntur induſtria, & diligentia, vt res ſibi iuſto pretio detur, timentes ne in auctione pretium plùs iuſtò augeatur. *ibid. reſ.* 76.

65 Alienatio bonorum Eccleſiæ facta a Rectoribus in euidentem eiuſdem Eccleſiæ vtilitatem, ſaluo aſſenſu ſedis Apoſtolicæ non eſt inualida, etiamſi Summus Pontifex nondùm conſenſerit: neque Rectores, qui fecerunt condi-tionem Eccleſiæ meliorem, incurrunt excommunicatio-nem. Quia cùm hic contractus celebratus ſit in commo-dum Eccleſiæ, quamuis legitima forma, & ſolemnitas de-ſit, validus tamen erit; quia forma requiritur tantùm ad fraudes euitandas. *ibid. reſ.* 77.

66 Qui rem aliquam emit ab eo, qui vendit neceſſita-te compulſus, poteſt vilius emere: cùm enim venditor of-ferat, & roget emptorem, merces fiunt vltroneæ, & per conſequens vileſcunt. *ibid. reſ.* 78.

67 Si in faſce herbarum, vel olerum, quæ vulgò ven-duntur ad cibum, inueniatur herba ignota magnę virtu-tis, poteſt emi pretio currenti. Item ſi lapidarijs eſſet igno-ta virtus alicuius lapidis pretioſi, qui nouit illius virtutem poteſt communi pretio illum emere. *ibid. reſ.* 79.

68 Parentes poſſunt aliquid plus vni filio relinquere, quàm alijs, modò reliqui non priuentur legitima portio-ne. *ibid. reſ.* 83. Caueant tamen parentes ne ex odio fa-ciant inæqualem diſtributionem; ſi verò ex inordinato amore erga aliquem, non propterea peccant mortaliter,

Digitized by Google

quùm non faciant contra iuſtitiam, nec quilibet amor inordinatus ſit peccatum mortale. *ibid.*

69 Parentes peccant mortaliter grauando legitimam filiorum, gratuitis donationibus, vel minuendo oneroſis, ſed fictis contractibus: poſſunt tamen remuneratorijs donationibus, aut veris contractibus oneroſis illam minuere. *ibid. reſ.* 84.

70 Teſtator poteſt quemuis extraneum inſtituere hæredem, nulla facta mentione conſanguineorum collateralium, fratrem vel conſobrinorum, modò abſit ſcandalum, & grauis neceſſitas conſanguineorum: nullo enim iure id facere prohibetur. *ibid. reſ.* 85.

71 Dominus non tenetur ſoluere ſalarium famulo infirmo, quamdiu erit infirmus, niſi ſit in extrema, vel graui neceſſitate, tunc enim teneretur ex charitate. Imò poteſt ab eo exigere ſumptus in eo curando factos. *ibid. reſ.* 86.

72 Quando debitor non ſoluit tempore præfixo, & ob id creditor cogitur cum intereſſe ab alio accipere tantùm quantum erat debitum, non tenetur monere debitorem velle ſe mutuum ab alio accipere cum fœnore: quia mora debitoris iam creauit illud damnum creditori. *ibid. reſ.* 87.

73 Probabile videtur poſſe aromatarium locare ſuam tabernam cum omnibus vaſis & medicamentis ad certum tempus, illaque conductori tradere certo pretio æſtimata, cum expreſſo pacto, vt teneatur conductor ſingulis annis ſoluere decem pro centenario pretij æſtimati, & in fine conductionis reſtituere vaſa & medicamenta eodem pretio æſtimanda. Quia licèt periculum rerum apothecæ ſit penes conductorem ex vi æſtimationis, & in hoc iſte contractus tranſcendat terminos locationis, cui hoc eſt proprium, vt rei locatæ periculum pertineat ad ipſum locatorem, nihilominus manet locatio, quia ſic tranſactum eſt

inter

inter contrahentes. *ibid. reſ.89.*

74 Quando litigantes conduxerunt Aduocatos, & Procuratores ad annum, vel annos, cum pacto dandi certam annuam mercedem, ſeu ſalarium ad omnes cauſas quas habent, vel habituri ſunt; ſi nulla cauſa inciderit illo anno agenda, non ſunt illi aduocati, ſeu procuratores ſuo ſalario fraudandi; poteſt tamen aliquid detrahi arbitrio boni viri: ſi tamen aduocatus eius eſſet ingenij, vt mallet laborare, quàm feriari, nihil videretur detrahendum. 2. *par.tr.*15. & 1. *Miſcell.reſ.*42.

75 Debitor, qui eſt in mora, non tamen culpabili, non tenetur ſuo creditori ad intereſſe damni emergentis, niſi præceſſerit pactum de ſoluendo intereſſe procedente etiã ex culpa inculpabili. Quia omiſſio ineuitabilis, nullam habet rationem iniuſtæ acceptionis, aut retentionis, quæ ſit radix obligationis ad reſtitutionem. *ibid. reſ.49.*

76 Qui dat mutuum, poteſt paciſci cum mutuatario vt ſtatim ſibi lucrum reddat ex illo mutuo, his duobus modis. 1. mutuando, v. g. 100. aureos ea lege, vt ſtatim mutuatarius reddat 9. ratione lucri ceſſantis ex 91. quos ipſe retinet: quod facere poteſt ſine vſura; quia nihil eſt aliud, quàm mutuatare 91. cum intereſſe, & alios 9. ſine intereſſe, qui tamen ſtatim ſunt reddendi ad ſoluendum intereſſe proueniens ex 91. quos mutuatarius accepit mutuos. In quo contractu mutuatarius non magis grauatur, quàm ſi differretur ſolutio intereſſe. 2. modus eſt, ſi mutuans non accipiat illud lucrum ceſſans ex ipſa pecuniæ ſumma; ſed in oleo, frumento, vino, &c. *ibid. reſ.*50.

77 In magna annonæ penuria licet a Turcis & infidelibus emere carnes, aut frumenta, vel cum illis alias merces permutare; quia tempore neceſſitatis non cenſetur prohibitum commercium cum infidelibus. 2. *part. tract.* 16. &

2.*Miſcell.reſol.*34.

78 Qui emit domum, vel fundum ad plura debita hypothecatum non tenetur in cõſcientia illa debita ſoluere: cùm enim principalis debitor (vt ſuppono) non ſit ſoluendo, ideoque coram Deo maneat ſolutus omni obligatione, multò magis emptor rei hypothecatæ, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. *ibid.reſ.*40.

79 In libris rationum, vbi ſcribuntur rationes dati, & accepti, poteſt debitor eligere in quo debito, pecunia ſibi debita compenſetur: quia quando quis multa contraxit debita apud eumdem creditorem, ipſius eſt eligere, vtri maluerit priùs ſatisfacere; vnde ſi aliquid ſoluat, id cenſetur ſoluere pro debito, quod magis grauat. *ibid.reſ.*49.

80 Vt creditor vti poſſit compenſatione, hæ conditiones requiruntur. 1. vt debitum ſit certum, ita vt debitor teneatur in conſcientia ſoluere. 2. vt non plus capiat quã ſibi debetur. 3. vt debitum ſit ſtatim, & illo tempore reſtituendum. 4. vt compenſatione facta admoneat debitorem vel heredes, iam debitum eſſe perſolutum. Neque opus eſt recurrere ad iudicem, modò compenſatio fiat occultè, & ſine ſcandalo. *ibid.reſol.*48. In foro conſcientiæ, quando nulla eſt alia ratio rei ſibi debitæ obtinendæ, probabile eſt admitti compenſationem in depoſito: quia eſt de iure naturæ, & gentium, vt poſſit quis ſibi ſatisfacere, quando alia via ſibi debitum habere non poteſt. Item poteſt fieri compenſatio, etiam ſi ſint creditores anteriores; neque enim tenetur quis rem ſuam amittere, cùm illam recuperare poſſit. 3*.par.tract.*5*.Miſcell, reſ.*10. *& in Addit.in fi.*3*.par.reſ.*1. *&* 5*.par.tr.*13*.reſ.*79.

81 Simplex promiſſio etiam acceptata non obligat in conſcientia; quia non eſt pactum quod obliget ex iuſtitia. 2.*par. tract.*17. *&* 3. *Miſcell.reſ.*9. Eſt tamen probabile

pro-

Digitized by Google

promiſſionem etiam internam in conſcientia obligare: nam per actum interiorem, vt probabilis fert opinio, poteſt transferri dominium. 3.*par.tract.* 5. *Miſcell.reſ.* 116.

82 Solus metus reuerentialis etiam ſine minis, & verberibus, cadit in conſtantem virum; quod valet ad reſcindendos contractus, qui vt plurimùm fiunt ab vxoribus, & filijsfamilias ex metu reuerentiali. Item preces importunæ ſeorſim conſideratæ, & ſine metu reuerentiali efficiunt metum iuſtum, qui cadit etiam in conſtantem virum, atque adeò ſufficiunt ad irritandum contractum. 3.*part. tr.* 5.*reſ* 20.

83 Si pupillus, vel minor 25. annis ludendo perdidit, vel alio contractu promiſit ſe ſoluturum, non tenetur, ſed exceptione legis ciuilis defendere ſe poteſt, dummodò ſe ſoluturum, non iuraſſet. Si autem pupillus creditori ſoluit, poteſt creditor in foro conſcientiæ rem illam retinere, donec beneficio legis ciuilis ab eo repetatur. Sin pupillus, aut eius nomine tutor rem aliquam indebitè ſolutam repetere velint, & propter negligentiam Iudicis recuperare non poſſint, compenſationem aliquam, ſeu clàm, ſeu palàm facere non prohibentur. *ibid.reſ.*44.

84 Si facta eſt donatio cum damno creditorum, & intra annum creditores non petunt reſciſſionem illius donationis, donatarius non tenetur ad reſtitutionem: niſi ſciẽs & prudens impuliſſet donatorem ad faciendam donationem in fraudem creditorum. *ibidem reſol.* 39.

85 Pactum de retrouendendo in fauorem emptoris cenſus eſt licitum, ideſt poteſt obligari venditor cenſus ab emptore, vt quando is voluerit, teneatur reemere cenſum quem vendiderat, reddito eodẽ pretio, vel eo pretio, quod poſteà valebit cenſus, prout inter ſe conuenerint, neque debet tunc emptor cenſus computare penſiones interim

G 3 per-

perceptas in partem pretij, modò tamen aliquo alio modo grauamen, quod per hoc pactum imponitur venditori, ad arbitrium boni viri ab emptore compenſetur. Tamen ob periculum vſuræ, eiuſmodi pacta non ſunt ſuadenda. *ibid. reſ.* 75.

86 Quando quis pluribus obligat operam ſuam ſingulis inſolidum, & illa æquè commoda eſt ſingulis ac ſi pro illis ſolis eſſet exhibita, poteſt a ſingulis tantùm exigere, quantùm ab vno poſſet ſi pro eo ſolo laboraſſet: modò id nullo iure poſitiuo prohibeatur. *ibid. reſ.* 76.

87 Venditor, qui eſt in mora culpabili & non tradit rē venditam tempore deſignato, tenetur emptori ad omnē intereſſe, & intrinſecum, & extrinſecum: nam venditor ex iniuſta rei detentione eſt cauſa damni. Id autem intelligendum eſt in foro conſcientiæ; nam in foro externo venditor tenetur tantùm ad intereſſe intrinſecum. *ibid. reſol.* 113.

88 Si venditor rem venditam tradat emptori, & emptor ſit in mora culpabili tradendi pretium, leges meritò concedunt venditori actionem contra emptorem moroſum ad exigendos omnes fructus, quos emptor percipere potuiſſet, & per negligentiam emptoris non percepit a tēpore moræ iuxta proportionem pretij non ſoluti. In foro autem conſcientiæ non eſt cogendus hic emptor ad illos fructus ſoluendos ante ſententiam iudicis. *ibid. reſ.* 114.

89 Licèt merces certo pretio vendere quando dubitatur num futuro tempore pluris, aut minoris æſtimabuntur; nam in hoc caſu venditor, & emptor ſunt paris conditionis. *ibid. reſ.* 115.

90 An contractus ex metu leui factus valeat in conſcientia, necne, in vtramque partem probabiliter diſceptatur. *ibid. reſ.* 117.

91 Contractus liberalis donationis, aut promiſſionis

ex

ex metu graui celebratus iure naturali, & poſitiuo eſt inualidus; requiriturque Iudicis auctoritas non ad illum irritandum, ſed vt a principio fuiſſe irritum declaret. Idem dicendum de promiſſione latroni facta propter metum iniuſtum; de renuntiatione beneficij per metum facta; de abſolutione ab excommunicatione per metū extorta, &c. *ibid.reſ.*118. Contractus autem oneroſi ex metu graui celebrati, in quibus datur res pro re, excepto matrimonio, validi ſunt iure naturæ; probabile eſt etiam valere iure poſitiuo: datur tamen actio metus cauſa. Itaque quoad forum conſcientię, ante iudicis ſententiam, nullam habet obligationem reſtituendi is qui contrahendo vim intulit; & ſic emptor, qui metum fecit, poteſt retinere rem, & fructus perceptos donec venditor reſciſſionem poſtulet. Hinc tamen excipe contractum ludi, & alienationis rerum Eccleſiaſticarum; qui metu facti non valent. *ibid.reſ.*119.

92 Poteſt quis vendere credito pretio currenti tempore ſolutionis, ſi pro tunc ſeruaturus erat illas merces; deductis tamen impenſiſet periculis pro re conſeruanda ſubeundis. Non tamen licèt vendere triticum pretio quo nunc appretiatur, cum pacto vt venditor tunc cùm fiet ſolutio, poſſit accipere triticum, aut pecunias prout libuerit; quia venditor ſic aſſecurat ſuum negotium, nec vllum periculum ſubit. *ibid.tract.6.Miſcell.reſ.*2.

93 In contractibus, qui celebrantur in gratiam vtriuſque contrahentis, ſi quid damni accidat ſine culpa alterius contrahentis, in foro quidem externo nihil debetur ratione damni; at in foro conſcientiæ diuidendum eſt damnū inter vtrumque; vt ſi equus conductus moriatur in itinere ſine culpa conducentis. *ibid.reſ.*10.

94 Qui conduxit operam alicuius, ſi ſtetit per conductorem ob caſum fortuitum, quò minùs locator operam

Digitized by Google

ſuam præſtaret, non tenetur ad integram mercedem, ſi locator alium non inueniſſet conductorem niſi iſte illum conduxiſſet; aut ſi potuiſſet inuenire ſi voluiſſet, & per negligentiam omiſit, quia voluit eſſe otioſus. *ibid. reſ.* 14.

95 Si famulus ad annum conductus diſcedat ante tempus, debetur ei merces temporis, quo ſeruiuit, niſi Domini multùm intereſſet eum diutius morari. *ibid. reſ.* 15.

96 Filius v. g. cauponis, mercatoris, &c. qui adminiſtrauit patris bona licitè poteſt exigere ſalarium, quia cùm in tali caſu lucrum proueniat non tantùm ex bonis patris, quàm ex induſtria filij; ideò partim inter profectitia, partim inter aduentitia bona numerandum videtur. Et ſi pater deneget, poteſt clàm accipere. 4. *par. tr.* 4. *Miſcel. reſ.* 66.

97 Contractus licitus, ideòque non vſurarius eſt vendere alicui fundum, ſeu domum, & reſeruare ſibi fructus annuales, vel redditus, donec ſoluatur pretium; quia ſi quæ vſura eſt in hoc contractu, ea non eſt propria vſura, quia non datur vt lucrum pretij non ſoluti, ſed in compenſationem, & vt ſeruetur æqualitas. *ibid. reſ.* 139.

98 Licèt probabilius ſit, petere pecuniam mutuum ſine iuſta cauſa ab vſurario parato, eſſe mortale; contrarium tamen etiam eſſe probabile. 5. *par. tr.* 7. *reſ.* 8.

99 Qui ſine cauſa deponit pecunias penes vſurariũ, non tenetur reſtituere vſuras, quas mutuans accepit ex illa pecunia mutuata. *ibid. reſ.* 11.

100 Poteſt quis licitè emere a ſartoribus fragmenta, quæ ſuperſunt ex veſtibus, ſi iuſtè ea ſibi retinent, etiamſi eſſent magna, & magni valoris, ſed à magiſtris, non a famulis: Contrarium tamen in conſcientia eſt tutius; ſed ſi quis velit primam opinionem ſequi, non videtur damnandus. 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 176.

101 Omnes penſiones poſſunt vendi, & pecunia redimi,

mi, dempta ea quæ datur in titulum beneficij ob aliquod miniſterium ſpirituale futurum coadiutori Epiſcopi, vel Parochi ſenis. *ibid. reſ.* 53.

102 Non licet Chriſtiano homini ad euitandum etiam periculum mortis vendere, vel conficere idolum Gentilibus, vel efficere veſtes ſacerdotales ad petitionem infidelis. 5. *par. tr.* 7. *reſ.* 36.

103 In emptionibus, & venditionibus tunc præſumitur donatio circa exceſſum, vel defectum iuſti pretij, cùm aliquis ſcit valorem rei, nec neceſſitate compulſus contrahit, neque vis, metus, aut fraus interuenit. *ibid. tr.* 14. *reſ.* 39.

104 Depoſitarius poteſt vti re depoſitata, vſu conſumptibili, vt frumento, oleo, &c. modò certus ſit ſe tantumdem eiuſdem generis, ac bonitatis pretio habiturum, cùm Dominus repetiuerit, nam talis alienatio in nullum eius damnum cedit. 4. *part. tr.* 4. *reſol.* 68.

105 An ſit in vſura danda paruitas materiæ, iudicent viri docti. 5. *par. tr.* 5. *reſ.* 30.

Correctio fraterna.

1 AD hoc vt omiſſio correctionis fraternæ ſit peccatum mortale, requiritur. 1. certitudo moralis, quòd proximus ſit in peccato mortali. 2. quòd indigeat correctione. 3. quòd ſperetur probabiliter fructus. 4. quòd damnum inde prouenicns corripienti non ſit notabile. 5. quòd nõ expectetur aliud tempus, in quo commodiùs, aut æquè commodè corrigi poſſit, & alioqui ſit periculum in differenda correctione. 6. tàdem quòd ex propoſito omittatur correctio. Qui verò audit detrahentem, & ob negligentiam, verecundiam, vel timorem, qui non ſit mortaliter malus, non peccat, niſi venialiter. In tribus autem caſibus, qui audit detrahentem ſine aſſenſu, & delectatione, li-

cèt

cèt non contradicat ob verecundiam, vel amicitiam, peccat mortaliter. 1. eſt, ſi ſit ſuperior, cui incumbit munus corrigendi ſubditos. 2. ſi vltra infamiam prouenit magnum aliquod damnum dicenti, vel alteri. 3. Si fama illius, cui detrahitur, valdè læditur. Vnde nota, quòd præceptum hæc fraternæ correctionis amplè accipiendum eſt, nec facilè credendum, timoratos præſertim viros peccare lethaliter illud violando. *par.4.tr.4.reſ.228.*

2 Quando delictum eſt occultum, licèt qui corrigit delinquentem, poſſet, & deberet adhibere teſtes, qui peccatum anteà cognouerint ſi reperirentur, tamen quando huiuſmodi teſtes non reperiuntur, poteſt, & debet adhibere alios, licèt anteà illud peccatum non cognouerint; quia quamuis hoc modo aliquam famæ iacturam patiatur, ea tamen cenſenda eſt minoris momenti, quàm ſpirituale damnum, quod patitur frater, dùm in ſuo peccato perſeuerat. *5.par.tr.13.reſ.41.*

3 Modus præſcriptus a Domino Matth.c.18. in facienda correctione non eſt ſimplex conſilium, ſed præceptum; ideòque quando adſunt conditiones ad hoc requiſitæ, obligat ſub peccato eum obſeruare. *ibid. reſ.42.*

4 In his tamen caſibus non eſt ſub præcepto ſeruandus. 1. Cùm peccatum proximi eſt publicum, tunc enim non opus eſt præmittere ſecretam correctionem, ſed poteſt publicè corripi. 2. Cùm peccatum licèt ſit occultum, vergit tamen in detrimentum aliorum, & non videtur efficaciter, & tempeſtiuè occurri poſſe per priuatam monitionem; vt ſi quis moliatur clàm proditionem, aut occultè inficiat alios hereſi. 3. Cùm quis prudenter iudicat ſe nihil effecturum, ſeruando ordinem correctionis, ſed melius fore ſi relicta ſecreta monitione, vel inductione teſtium, immediatè procedatur ad Superiorem, vt is opportunum adhibeat

hibeat

hibeat remedium. 4. Cùm proximus propter maiorem profectum ſpiritualem proximi paratus eſt, & paratum ſe eſſe profitetur, vt ipſius imperfectiones, & peccata, tametſi occulta manifeſtentur Superiori, & ab eo corrigantur, nulla præmiſſa ſecreta monitione. *ibid. verſ. Sed hic.*

5 Probabilius eſt Magiſtratus, & Prælatos teneri ad correctionem ſubditorum non ſolùm lege charitatis, ſed etiam iuſtitiæ; quia Magiſtratus ſęculares pecuniam accipiunt pro exercendo munere; Prælati verò ſtipendium, iuriſdictionem, & alia commoda tẽporalia. *ibi. tr.* 14. *reſ.* 95.

6 Correctio fraterna per ſe interdùm ad mortale obligat, vt patet ex *nu.* 1. Per accidens tamen, ratione leuitatis materiæ, vt ſi proximus tantùm peccauiſſet venialiter, regulariter loquendo, omittere correctionem, non erit peccatum mortale. *ibid. tr.* 5. *reſ.* 66.

DENVNTIATIO FACIENDA EX EDICTO DD. Inquiſitorum.

1 IN caſibus pertinentibus ad Inquiſitionem denuntiatio eſt facienda, etiamſi delator crimen probare non poſſit, nec vlla præceſſerit correctio fraterna. Quia hæc denuntiatio eſt iudicialis, quę refertur ad punitionem. *part.* 1. *tract.* 4. *reſ.* 1. *&* 2.

2 Reus delicti pertinentis ad tribunal Inquiſitionis, licèt ſit iam emendatus, eſt denuntiandus. Quia hæc denuntiatio tendit ad punitionem, & non ad correctionem. *ibid. reſ.* 3. *&* 4. *par. tr.* 3. *reſ.* 61.

3 Filius tenetur denuntiare patrem hæreticum, vxor maritum, frater fratrem. In alijs criminibus non item. Quia ad ſolum crimen hæreſeos denuntiandum, ius obligat cognatos, qui cenſentur vna eademque perſona. *ibid. reſ.* 4. 5. *&* 6.

4 Ne-

Digitized by Google

4 Nemo tenetur ſeipſum denuntiare, ac proinde nec complices: Sic enim ſeipſum proderet. *ibid. reſ. 8. & 9.*

5 Conſtitutio Gregorij XV. ſtatuit eſſe denuntiandos confeſſarios, qui pœnitentes ſolicitare, vel prouocare tentauerint, aut cùm eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus habuerint. *ibid. reſ. 11. & 12. & 4. p. tr. 5. reſ. 33.*

6 Confeſſarius, qui prætextu confeſſionis, ſeu ante vel poſt confeſſionem, immediatè oretenus in eodem loco fœminam ſolicitauit, eſt denuntiandus, ex Bulla Greg. XV. At ſi laicus ſedeat in tribunali confeſſionis, ibiq; per ſpeciẽ cõfeſſionis, fœminam ſolicitet, non vr̃ denuntiandus ex vi Bullæ, qua pœnas decernit Sacerdotibus ſolicitantibus; ergo non videtur comprehẽdere laicos. *ibid. reſ. 13. 14. 15.*

7 Sacerdos qui non habens facultatem audiendi confeſſiones, ſolicitat fœminam in confeſſione, fingens ſe habere talem poteſtatem, ex vi Bullæ eſt denuntiandus. *ibid. reſ. 17. & part. 4. tract. 5. reſ. 8.*

8 Confeſſarius, qui in confeſſione agit cum lenone de proſtituenda ſibi vel alijs puella, eſt denuntiandus. Quia Bulla pœnas decernit Sacerdotibus ſolicitantibus pœnitentes ad inhoneſta ſiue inter ſe, ſiue cum alijs perpetranda. *ibid. reſ. 19. & part. 4. tract. 5. reſ. 12.*

9 Confeſſarius ſolicitãs fœminam ad peccata, quæ non ſint carnalia, non eſt ex vi Bullæ denuntiandus; quia Pontifex loquitur de ſolicitatione ad turpia. *ibi. reſ. 20. & par. 4. tract. 5. reſ. 17.*

10 Confeſſarius contraueniens huic cõſtitutioni Gregorij XV. non eſt excuſandus ex leuitate materiæ, ſed denuntiandus. *ibid. reſ. 21.*

11 Qui Confeſſario mandat vt ſolicitet per ſe pœnitentem, non eſt denuntiandus: quia verba legis pœnalis non ſunt extendenda. *ibid. reſ. 22.*

12 Mu-

Digitized by Google

12 Mulier ſollicitans Confeſſarium non eſt denuntianda: quia Conſtitutiones Pontif. in confeſſarios diriguntur, non in pœnitentes. *ibid. reſ.* 23.

13 Qui ſcit etiam ſub ſigillo naturali, mulierem a confeſſario fuiſſe ſolicitatam, ſi mulier non denuntiarit, debet illum denuntiare. *ibid. reſ.* 24. & 4. *par. tr.* 5. *reſ.* 32.

14 Hæc Conſtitutio Gregorij XV. non eſt extendenda ad ea, quæ facta ſunt ante Conſtitutionem, ſed tantum ad futura: quare non ſunt denuntianda crimina, quæ admiſſa ſunt ante Conſtitutionem. *ibid. reſ.* 25. & 4 *par. tr.* 5. *reſol.* 40.

15 Poteſt Confeſſarius abſoluere illam pœnitentem quæ firmiter promittit ſe denuntiaturam confeſſarium, ſi ſubſit cauſa propter quam denuntiatio prudenti confeſſario videatur differenda. Idem dicendum de denuntiando hæretico. *ibid. reſ.* 27.

16 Quot mulierum teſtimonium requiratur ad Sacerdotem conuincendum, ſit penes Inquiſitorum iudicium. *ibid. reſ.* 28.

17 Poſt Bullam Greg. XV. poſſunt Epiſcopi de hoc crimine cognoſcere. *ibid. reſ.* 29. Sed nec ſoli Epiſcopi, nec ſoli Inquiſitores poſſunt ſententiam condemnatoriã ferre aduerſus confeſſarios ſolicitantes, etiam ſi ſola abiuratio eis imponatur. 4. *par. tr.* 5. *reſ.* 52. & 53. Imò neque abſolutoria ſententiæ poteſt dari ab Epiſcopis ſolis ſine Inquiſitoribus. *ibid. reſ* 53. *verſ. Sed quid.* Poſſunt tamen Inquiſitores animaduertere in ſollicitationem præteritam præiudicatam ab Epiſcopo. *ibid. reſ.* 55. & *tr.* 7. *reſ.* 7. *verſ. Non deſinam.* Imò Confeſſarius ſolicitator, qui non iudicatur ſuſpectus, non eſt remittendus ad ſuum Ordinariũ, ſed poteſt puniri ab Inquiſitoribus. *ibid. verſ. Nota etiam quòd.*

Digitized by Google

18 Confeſſarij ſolicitantes, etiamſi de tali delicto infamati non ſint, denunciandi tamen erunt. patet ex Conſtit. Greg. XV. *par.4. tr.5. reſ.1.*

19 Confeſſarius, qui tribuit pœnitenti chartam in confeſſione, poſteà tamen legendam, in qua ad Venerem ſolicitabat, eſt denunciandus, quia cùm traditur charta, incipit ſolicitatio, & ſic fit iniuria Sacramento. *ibid. reſ.2.*

20 Fœmina ſolicitata tenetur ſub mortali denuntiare Confeſſarium, poſt habitam ſufficientem notitiam Bullæ Gregorij XV. quæ mandat Confeſſarijs, vt moneant ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab alijs ſolicitatos, ad denuntiationem. *ibid. reſ.3.*

21 Vt Confeſſarius dicatur verè ſolicitator, non eſt opus vt abſolutionem Sacramentalem tribuat, nec vt de rebus venereis longiùs loquatur, ſed ſufficit ſolicitationi pœnitentis acquieſcere, nam talis conſenſus non efficitur mentaliter, ſed verbis. *ibidem reſol.4.*

22 Confeſſarius in ſolicitando, etiam propter paruitatem materiæ eſt denunciandus; nam licèt manum, brachium, vel pedem fęminæ premere, vellicare, digitos intorquere, mammillas tangere, & ſimilia peccata, venialia ſint intra genus luxuriæ, dummodò abſit finis mortalis, vel pollutionis periculum, tamen ſi fiant tempore, quo Sacramentum miniſtratur, vel immediatè antè, vel poſt erunt mortalia, & damnata ob grauem iniuriam illatam Sacramento. *ibid. reſ.5.*

23 Erit etiam denuntiandus Confeſſarius, qui dicente fęmina velle ſe in craſtinum confiteri, illam ſolicitat, & confeſſionem diſſuadet, quia hęc ſolicitatio efficitur in confeſſionario. *ibid. reſ.6.*

24 Confeſſarius, qui audiens confeſſionem mulieris, nouit ipſam incidiſſe in aliqua peccata ſenſualia, illam diſcen-

ſcen-

ſcedentem paulò poſt ab Eccleſia, & in itinere illam ſolicitat, videtur non incurrere pœnas Bullæ; ſed in hac queſtione nihil de ſuo aſſerere vult Auctor. *ibid. reſ. 7.*

25 Siue Laicus, ſiue Sacerdos interpres mulieris confitentis, ſolicitans ipſam pœnitentem, non comprehenditur in Cenſuris Summorum Pontif. quia abſolutè non eſt Confeſſarius. *ibid. reſ. 9.*

26 Si Confeſſarius & pœnitens conueniant in ſimulatione confeſſionis, vt ibi inhoneſtos ſermones habeant, ſunt denuntiandi, & incidunt in pœnas Bullarum. *ibidem reſol. 10.*

27 Confeſſarius ſtatim poſt confeſſionem ducens ad cellam puerum, vt chirographum confeſſionis tradat, & illum ſolicitat, eſt denuntiandus, quia iſte caſus ratione dependentiæ includit confeſſionem. *ibid. reſ. 11.*

28 Si pœnitens ſolicitet ad fornicandum, & Confeſſarius renuat, contentus tantùm oſculis, vel tactibus; vel ſi fœmina v.g. prouocaret Confeſſarium ad ſodomiam, ipſe vero ad naturalem congreſſum incitaret; vel ſi fœmina ſolicitaret ad fornicationem, ipſe autem ad mollitiem, vel è contra, certum quidem eſt Confeſſarium in tali caſu eſſe denuntiandum, quia ſolicitauit fœminam ad malum, ad quod non fuit ab illa inductum. Vnde nota, quòd ſi fœmina Confeſſarium ſolicitaſſet, poſteà verò dolore tacta pœniteat, vt abſolutionem petat, Confeſſarius tamen ſolicitet, erit denuntiandus. *ibid. reſ. 13.*

29 Si Confeſſarius, & pęnitens ad inuicem ſe prouocent, dicendum eſt Confeſſionem in decretum delinquere; quia Confeſſarius in ſimili euentu fuit verè ſolicitator, animumque impudicum extrinſecè patefecit. *ibid. reſ. 14.*

30 Confeſſarius conſentiens in ſolicitationem metus cauſa, non videtur denuntiandus; verùm ſi denuntiare-

tur,

tur, eſſet ab Inquiſitoribus puniendus pœna arbitraria, ſine tamen abiuratione. Hæ ſunt DD. Sententiæ: Auctor verò nihil decernit. *ibid. reſ.* 15.

31 Si in alijs Sacramentis, Baptiſmi, Matrimonij, &c. Confeſſarius fœminam ſolicitet, non eſt denuntiandus, quia in omnibus Conſtitutionibus Pontificum fit tantùm mentio de Sacramento pœnitentiæ. *ibid. reſ.* 16.

32 Inquiſitores poſſunt, & debent procedere contra Confeſſarios qui non verbis expreſſis, ſed ſolùm tacitis, & occultis alliciunt pœnitentes ad actus inhoneſtos, vt ſi illos de pulchritudine, venuſtate, &c. laudent. *ibid. reſ.* 18.

33 Si pœnitens ſolicitata, ex illa denuntiatione timeat damnum notabile, videtur non teneri ad denuntiationẽ. Verùm ſi ex omiſſione denuntiationis bonum fidei periclitetur, non poteſt omitti denuntiatio, licèt deinde denũtianti aliquod malum eueniat. Aduertant tamen Confeſſarij, ne trepident timore vbi timor non eſt; quia non eſt inhoneſtum comparere coram Inquiſitoribus pro Catholicæ fidei defenſione ad denuntiandum taliter delinquentes. *ibid. reſ.* 19.

34 Fœmina quæ ignoranter accuſauit ſe in confeſſione, habuiſſe animum peccandi cum ipſo Confeſſario, vnde ex hoc illam ſolicitauit, tenetur illum denuntiare; quia tunc Confeſſarius dicitur ſolicitare pęnitentem. *ibi. reſ.* 20.

35 Confeſſarius, qui abiurauit propter ſolicitationes, ſi perſeueret in ſolicitando, eſt denuntiandus etiam ob præteritam ſolicitationem; quia Inquiſitores grauiores pęnas pro pluribus ſolicitationibus, quàm pro vna rependere ſolent. *ibid. reſ.* 21.

36 Si ſtatim poſt ſolicitationem Confeſſarius pœniteat ſe ſolicitaſſe, regulariter puto eſſe denunciandum, quia quilibet Confeſſarius ſolicitans ad effugiendam denun-

cia-

tiationem poſſet dicere ſe pœnituiſſe de ſolicitatione facta. *ibid. reſol.* 22.

37 Confeſſarius cenſetur emendatus, ſi ter, vel quater audiens confeſſiones pœnitentis ſolicitatæ, malo animo erga ipſam non fertur; vnde nonnulli DD. volunt talem non eſſe denuntiandum, alij verò ſentiunt quòd debet denuntiari. Auctor tamen nihil decernit. *ibid. reſ.* 23.

38 Quia rarò ex correctione poteſt ſperari emendatio in Coneeſſario ſolicitante, videtur quòd facta correctione, debet Confeſſarius ſolicitans denuntiari, licèt nonnulli DD. aliter ſentiant. Auctor tamen concludit, dicens. Aduertant Confeſſarij in caſibus contingentibus quid faciant, ne cœcus cœcum ducat, & ambo in foueam cadant. *ibid. reſ.* 24.

39 Mulieres ſi non ſolùm verbis claris, ſed etiam tacitis; ſeu obſcuris; & ambiguis, ſeu etiam nutibus, vel tactibus fuerint à Confeſſarijs ſolicitatæ, debent eos Inquiſitoribus denuntiare. *ibid. reſ.* 25.

40 Fœmina edicti ignara, tenetur ſtatim, vel intra eoſdem dies, quos edictum ſignauerat Confeſſarium ſolicitantem denuntiare. Fœmina verò conſcia edicti, & non denuntians intra terminum, excommunicationem incurrit, à qua abſolui non poteſt per Bullam Cruciatæ, niſi facta ſit denunciatio. *ibid. reſ.* 26.

41 Tenetur fœmina in decimo menſe, v. g. anni poſt edictum publicatum denuntiare Confeſſarium ſolicitantem, quia edicta Inquiſitorum durant per totum annum, donec iterùm publicetur. *ibid. reſ.* 27. Imò quandoque tenetur fœmina denuntiare ante impletum terminum publicationis edicti Inquiſitorum; ſi nimirùm timeretur graue damnum Reipublicæ, aut metueretur fuga Confeſſarij, qui alibi quoque nociturus eſſet, &c. *ibid. reſ.* 29.

42 Non ſolùm fęmina ſolicitata tenetur denuntiare Confeſſarium,ſed etiam alij,qui hoc audierunt,non modò à fide dignis,ſed etiam à leuibus perſonis; idque amplia in omnibus delictis pertinentibus ad Tribunal Sanctæ Inquiſitionis,quia cōmuni bono maximè nocent. *ibi.reſ.28.*

43 Confeſſarius, qui non abſoluit pœnitentem ex aliqua iuſta cauſa,illa tamen ſolicitauit,eſt vi verborum Bullæ denuntiandus;ait enim. *Qui occaſione confeſſionis etiam ipſa confeſſione non ſequuta ſolicitare,&c.ibid.reſ.30.*

44 Fœmina etiam ſi conſentiat ſollicitationi, tenetur confeſſarium denuatiare. *ibid. reſ.31.*| Et quamuis confeſſarius ipſe conſentiat fęminę ſolicitanti. *ibid. reſ.42.*

45 Fœmina poſt incurſam excommunicationem,quia non denunciauit confeſſarium ſolicitantem, non eſt abſoluenda,etiamſi promittat illicò eum denunciare,quia in re tàm graui non eſt facilè adhibenda fides promittenti denuntiare. *ibid. reſ.35.*

46 Pœnitens ſolicitata non excuſatur a denuntiatione, ſi timeat graue damnum in bonis temporalibus amici maximi,quia in his delictis debet eſſe magis amicus Deus; tunc tamen excuſaretur a denuntiatione, quando ex illa mutare ſtatum cogeretur. *ibid. reſ.36.*

47 Confeſſarius vocatus prætextu confeſſionis agendæ, ſi poſteà domi ſolicitet, non eſt denunciandus,niſi in ipſa domo,& loco ad confeſſionem deputato, & ſub confeſſionis figura, vt ita dicam ſimulet confeſſor ad illudendos ſpectantes confeſſionem audire. *ibid. reſ.37.*

48 Confeſſarius, qui ſedens in confeſſionario, & loquens cum pęnitente ſtante, vel ſedente, ante confeſſionarium illam ſolicitat,eſt denuntiandus,cùm habeatur de hoc aperta declaratio S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis; *ibid. reſ.38.*

49 Con-

49 Confeſſarius, qui ſolicitat fœminam accedentem ad confeſſionem ante ſignum Crucis, dilata in aliud tempus confeſſione, vigore Bullarum eſt denuntiandus. *ibid. reſ.39.* & *reſol.46.*

50 Fœmina tenetur denuntiare confeſſarium ſolicitãtem ſub pęna excommunicationis, quamuis edictum annuale Inquiſitorum non publicetur, quia ſemper tenemur denuntiare hæreticos; confeſſarij autem ſolicitantes ſunt de hæreſi vehementer, vel ſaltem leuiter ſuſpecti. *ibid. reſ. 41.* & *reſol.51.*

51 Confeſſarius, qui in confeſſione arguit concubinã de Zelotypia, non videtur denuntiandus ſtando in terminis repræhenſi tantùm peccati; ſecùs ſi obiurgatio procederet vltra peccati repræhenſionem; vt ſi minetur concubinæ, ſi deinceps cum riuali nominato confabuletur, illius domum intret, &c. Non deſunt tamen, qui abſolutè exiſtimant talem confeſſarium eſſe denunciandum. *ibid.reſ.43.*

52 Eccleſiaſtici, qui interſunt ſententiæ contra confeſſarios ſolicitantes, non tenentur ſub mortali non manifeſtare delinquentem, niſi adſit decretum cum iuramento in contrarium præcipuè loquendo cum Religioſis; Si verò loqnantur cum ſæcularibus, videntur teneri ſub mortali non manifeſtare. *ibid.reſ.44.*

53 Si Confeſſarius in confeſſione petat a pœnitente domum ſuam, vt ibi adducat cõcubinam, eſt vi verborum Bullæ denuntiandus; vbi apponit. Ad inhoneſta ſiue inter ſe, ſiue cùm alijs quomodolibet perpetranda. *ibid. reſ.45.*

54 Confeſſarius, qui dat pęnitentiam fœminæ, vt nuda a ſe verberetur, vt de facto accidit, eſt Inquiſitoribus denuntiandus; quia hi ſunt actus inhoneſti, qui ſolicitantes, ſeu potiùs ſolicitationes tentationis dici debẽt. *ibid.reſ.47.*

55 Fœmina ſolicitata, ſi non denuntiauit, & tamen

confeſſarius ex aliarum delatione confeſſus, vel conuictus punitus fuit, tenetur adhuc denuntiare, ſi conuictus fuit ſolùm de ſolicitatione alterius pęnitentis; quia grauiores pęnas pro pluribus delictis rependere debet: Si verò conuictus, & punitus etiam de ſolicitatione illiusmet pęnitentis, non tenetur ampliùs denuntiare, cenſetur enim ſufficienter punitus. *ibid. reſ.* 49.

56 Si contingat Confeſſarium committere peccatum luxuriæ cùm aliqua pęnitente in ipſa confeſſione, vel proximè ad illam, talis circumſtantia eſt explicanda in confeſſione, quia mutat ſpeciem propter iniuriam, & irreuerentiam contra Sacramentum pęnitentiæ commiſſam. 4. *par. tr.* 5. *reſ.* 34.

57 In ſolicitatione facta in confeſſione, & prohibita in Bullis Pontificijs, non datur paruitas materiæ, quia in peccato luxuriæ nulla danda eſt paruitas materiæ. 5. *par. trac.* 5. *reſ.* 9.

58 Confeſſarij ſolicitantes cenſentur ſuſpecti de hæreſi, ſed ab aliquibus de vehemēti, ab aliquibus de leui, ideòque ſecundùm ſtylum, & praxim Inquiſitionis vnuſquiſque faciat illos abiurare, vel de vehemēti, vel de leui. Ideòque confeſſarij ſolicitantes in confeſſionario, ſine tamen vlla occaſione confeſſionis, nō debēt adiurare de leui, quia nulla eſt hæreſis ſuſpicio: qui verò ſolicitauit paulò antè, vel paulò poſt confeſſionem, indicenda eſt ei adiuratio, quia is dicitur ſolicitare in ipſamet confeſſione. *ibid. reſol.* 50. *&* 51. *& tract.* 2. *reſ.* 7. *verſ. Difficultas verò eſt.*

59 Pęnæ autem ſolicitantis confeſſarij ſunt: primùm abiuratio vel de vehementi, vel de leui, vt ſuprà, & hoc in omnibus caſibus in Bulla Gregorij comprehenſis, tùm ſuſpenſio ab exequutione ordinis, & hæc non ad tempus, ſed perpetua, priuatio beneficiorum, & officiorum quorum-

rumcumque, ac perpetua inhabilitas ad illa; priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſi ſolicitator Religioſus ſit: exilium, damnatio ad triremes; carceratio etiam in perpetuum, & aliæ pęnæ ſecundùm qualitatem delicti, etiam traditio Curiæ ſæculari. Hæc omnia Greg. XV. 4. *part. tract.* 5. *reſ.* 48. *& tract.* 7. *reſ.* 7.

60 Inſuper confeſſarius, qui non declarat fęminæ ſolicitatæ obligationem denuntiandi, aut qui eidem dicit ad talem denuntiationem non teneri, ab Inquiſitoribus puniri poteſt pro qualitate culpæ. *ibid. verſ. Nota etiam hìc.*

61 Confeſſarius ſolicitans non eſt ab Inquiſitoribus torquendus, ex delatione vnius fœminæ, quantumuis honeſtæ, & bonæ famæ; nam mulier nunquàm eſt teſtis omni exceptione maior; vnus autem teſtis non ſufficit ad torquendum, niſi ſit teſtis omni exceptione maior. 4. *par. tr.* 6. *reſ.* 21.

Detractio.

1 QVi detegit peccatum alienum notorium facti, vel iuris in alio loco, vbi ignorabatur, non peccat, neque contra iuſtitiam, neque contra charitatem. 3. *par. tr.* 5. *reſ.* 17.

2 Auditum crimen alicuius ſimpliciter ſine noua aſſeueratione, vel confirmatione narrare, etiamſi quis animaduertat aliquos ex audientibus temerè crediturus, non eſt peccatum mortale; quia damnum famæ in hoc caſu non tàm infertur a narrante, quàm ab audientibus, qui nimis leuiter credunt: ita quidam. Contrarium tamen eſt probabiliùs & tenendum. *ibid. reſ.* 28.

3 Qui falſum dicendo alterum infamauit, non tenetur iurare, ſe falſum dixiſſe, ſed ſufficit, ſi ſe retractet coram illis, apud quos proximum diffamauit. *ibid. reſ.* 29. At qui

verùm dicendo, occultum alterius crimen propalauit, tenetur laudare eum, quem priùs diffamauerat, nec ampliùs de illa re loqui coram illis, apud quos eum diffamauit: ſi autem non poſſit famam reſtituere, non tenetur pecunia compenſare; probabile tamen eſt infamatum poſſe vti compenſatione; non tamen reddendo maledictum pro maledicto. Cùm autem detractio facta eſt verbis generalibus, v. g. aliquem eſſe mendacem, ambitioſum, &c. nulla eſt obligatio reſtituendi famam, niſi fortè ratione dignitatis perſonæ, aut ſit de peccato mortali. Porrò plebeius non tenetur famam nobilis reparare, cum propriæ vitæ periculo: quia vita eſt ordinis ſuperioris, quàm fama. *ibid. reſ.* 30.

4 Qui narrat amico iniuriam ſibi ab aliquo ſecretò illatam, non animo detrahendi, ſed doloris ſui leniendi gratia, non peccat mortaliter: durum enim eſt acceptas iniurias ſilentio premere, & apud ſe concoquere. *ibid. reſ.* 32.

5 Qui occultum crimen alienum ſine graui cauſa manifeſtat vni aut altero viro prudenti, quem ſcit non euulgaturum, non peccat mortaliter; quia non eſt notabilis læſio famæ, ſecundùm quoſdam. Contrarium tamen eſt probabilius. *ibid. reſ.* 33.

6 Qui occultum alterius crimen narrauit quibuſdam, quos fidos putabat, qui deinde alijs retulerunt, ſatisfacit infamato, ſi ſe retractet apud ſuos auditores tantùm. Cùm enim verba in infinitum creſcant, non poteſt infamator ſe apud omnes retractare. *ibid. reſ.* 34.

7 Qui audit detractorem, nec eum corripit vel ex timore, vel ex negligentia, vel ex verecundia, peccat tantùm venialiter; niſi ex officio ad id teneatur. *ibid. reſ.* 35.

8 Licèt ex genere ſuo detractio ſit mortalis, tamen ratione leuitatis materiæ, in qua quis intendit famam alterius

rius

rius lædere poteſt eſſe veniale; vt ſi ex induſtria aliquam paruam imperfectionem de aliquo narres, vel defectus veniales proximorum, vel defectus naturales animi, vel corporis, & natalium, dummodo ex his non ſequatur aliquod damnum notabile, vel dummodo non dicas hæc, & ſimilia in faciem, præſertim viro honorato, conuiciandi cauſa; tunc enim eſſet mortale, quia cenſetur non leuis, ſed grauis contumelia; ſecùs ſi vilis ſit illius conditio, niſi fortè grauem mœrorem putetur concepturus. Item ſi in genere dicas aliquem eſſe ſuperbum, auarum, iracundum, &c. non erit mortale; niſi fortè ratione dignitatis perſonæ, de qua dicuntur, vel quia putantur accipienda pro grauibus vitijs, ſit mortale. 5.*par.tract.*5.*reſ.*69.

Dubia Regularium.

1 GEnerales, & Præpoſiti Religionum, etiam Clericorum Regularium, poſſunt ſibi eligere Confeſſarium etiam extra religionem: quia licèt Decreta Capitulorum Generalium prohibeant externo Sacerdoti confiteri, ſed tantùm Religioſis eiuſdem Ordinis à Superiore deſignatis, non obſtante quocumque priuilegio; tamen eiuſmodi Decreta non derogant priuilegio Præpoſitorum Regularium, quia eſt inſertum in corpore iuris; ideòque habetur pro lege. 3.*par.tr.*2.*reſ.*1. *&* 4.*par.tr.*4.*reſ.*1.

2 Præpoſiti Regularium poſſunt illis dare facultatem eligendi Confeſſarium quemcumque voluerint extra Religionem; etiam non approbatum ab Ordinario, ſecluſa conſtitutione religionis aut ſtatuto in contrarium: quia qui habent ordinariam poteſtatem, poſſunt illam alteri delegare. *ibid.reſ.*2. *&* 4.*par.tr.*4.*reſ.*2.

3 Epiſcopus extra ſuam diœceſim poteſt eligere Sacerdotem idoneum, ideſt, ab Ordinario approbatum, cui

confiteatur. Prælati verò Regulares, & quilibet Religioſi habentes facultatem eligendi Confeſſarium, poſſunt eligere quemlibet Sacerdotem, etiamſi ab Epiſcopo non fuerit approbatus: nam Concil. Trid. nihil hac in re innouauit, ſed loquitur tantùm de confeſſionibus ſæcularium, ad quas audiendas vult accedere Confeſſarios ab Ordinario approbatos. *ibid. reſ. 3. & 4. par. tr. 4. reſ. 3.*

4 Quilibet Confeſſarius etiam ſæcularis, ab Epiſcopo approbatus, poteſt abſoluere Nouitium regularem, etiam à peccatis in Religione reſeruatis; quia Nouitij ante profeſſionem ſunt veluti ſæculares. Decretum autem Clem. VIII. non eſt ſumendum per modum præcepti, ſed conſilij. *ibid. reſ. 4.*

5 Nouelli profeſſi, qui ſubſunt curæ vnius Magiſtri, poſſunt confiteri cui voluerint ex Confeſſarijs à Superiore deſignatis ad audiendas fratrum confeſſiones. Ad ſpiritualem tamen profectum conduceret, ſi ſuo Magiſtro confiterentur. *ibid. reſol. 5.*

6 Vocales Relig. Canon. Regul. ideſt, qui habent ius ſuffragij deciſiui, non poſſunt pro arbitrio abeſſe à Capitulo: quia illorum eſt conſulere commodis, tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus Religionis. Si tamen quis ſciuerit rem iniuſtam in Capitulo concludendam, nec ſe poſſe ſuo ſuffragio illam impedire, poteſt abeſſe: ſecùs autem ſi poſſit impedire; tunc enim ſi abſit ob humanos reſpectus, peccat mortaliter. *ibid. reſ. 6.*

7 Præpoſiti Religionum, quæ priuilegiorum communicatione gaudent, poſſunt concedere dimiſſorias Nouitijs, vt ab Epiſcopo ordinentur. *ibi. reſ. 7. & 4. p. tr. 4. reſ. 7.*

8 Omittere Miſſam ſolemnem in Eccleſijs Regularium cani ſolitam diebus feſtis, non eſt peccatum mortale, modò abſit ſcandalum, & contemptus; quia illa conſuetudo

non

non eſt inducta per modum præcepti, & obligationis, quod requiritur vt obliget conſuetudo. *ibid. reſ.*8.

9 Regulares virtute ſuorum priuilegiorum poſſunt diſpenſare vel commutare vota extra confeſſionem. Idem dicendum de ſæcularibus, quibus licèt per Bullam Cruciatæ vel Iubilæum commutare vota in confeſſione; idem enim poſſunt extra confeſſionem, etiamſi non ſint confeſſarij vouentis. *ibidem reſol.* 9. & 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 8.

10 Priuilegia mendicantium per Bullam Cœnę Domini reuocantur: quia in illius publicatione quæ fit ſingulis annis, derogatur expreſsè eiuſmodi priuilegijs. *ibid. reſ.* 10.

11 Poteſt quis alium abſoluere ex præſumpta voluntate Superioris, ſi præſumptio fundatur in ſignis, quæ ſufficienter indicent præſentem voluntatem Superioris. *ibid. reſol.* 11.

12 Regulares virtute ſuorum priuilegiorum poſſunt in die Paſchatis ad implendum præceptum annuæ communionis, peregrinis, & aduenis Euchariſtiam miniſtrare; nulla quippe fit Parochis iniuria. *ibid. reſ.* 12.

13 Poſſunt item virtute ſuorum priuilegiorum abſoluerę a cenſuris ab Epiſcopo reſeruatis. Non tamen poſſunt Prælati Regulares, ſtante Decreto Clementis VIII. excommunicationem ſibi reſeruare. *ibid. reſ.* 13.

14 Confeſſarij Regulares, facultate a ſuis Prouincialibus accepta, poſſunt diſpenſare cum coniugatis, qui impediuntur inceſtu, vel voto, ad petendum debitum: quæ diſpenſatio dari poteſt extra Sacramentum, & vrgente neceſſitate, abſentibus per ſcriptum. *ibid. reſ.* 14.

15 Abbates ex priuilegio ab Innocentio VIII. conceſſo, poſſunt conſecrare calices, altaria, campanas, &c. non tantùm ad vſum ſuarum Eccleſiarum, ſed etiam alienarum. *ibid. reſ.* 15.

16 No-

16 Nouitius, qui redit ad ſæculum, non tenetur ad expenſas, quas in eo alendo monaſterium fecit. Quia redditus, & eleemoſynæ monaſterij non ſunt tantùm ad alendos profeſſos, ſed etiam Nouitios, qui etiam Religioni deſeruiunt. *ibid. reſ.* 16.

17 Poteſt Nouitius in articulo mortis, nõ expleto probationis anno, admitti ad profeſſionem; & ſi moriatur ab inteſtato, monaſterium ſuccedit in bonis ipſius: quia iam non decedit Nouitius. *ibid. reſol.* 17. *&* 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 139.

18 Religioſus ex conſuetudine recitans horas canonicas extra chorum, non peccat mortaliter. *ibid. reſ.* 18.

19 Religioſus negans ſuffragium Nouitio idoneo, peccat mortaliter. Quia non tantùm illum retrahit ab ingreſſu Religionis, ſed etiam expellit a Religione ſine iuſta cauſa. *ibid. reſol.* 19.

20 Regulares ex ſuis priuilegijs poſſunt extra Sacramentum pęnitentiæ abſoluere a cenſuris. *ibid. reſ.* 20. *&* 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 8.

21 Non poteſt Epiſcopus approbationem ſemel conceſſam ad confeſſiones audiendas, ſine iuſta cauſa reuocare; vel debitè præſentatum & examinatum reijcere: quia poteſtas illi data eſt in ædificationem; & hæc reuocatio vel reiectio eſt nulla. *ibid. reſ.* 22. *&* 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 100.

22 Quando Superior Regularis moritur, aut ab officio amouetur, ceſſat reſeruatio caſuum ab eo facta. *ibi. reſ.* 23.

23 Probabile eſt Religioſos, ex odio ab Epiſcopo non approbatos, poſſe nihilominùs confeſſiones audire. Quia ipſo iure approbãtur in *Clement. Dudũ, de ſepul.* quã Conc. Trid. non videt̃ reuocaſſe. *ibid. reſ.* 24. *&* 5. *p. tr.* 13. *reſ.* 45.

24 Poſſunt Epiſcopi ex iuſta cauſa reſtringere Religioſorum approbationes ad audiendas confeſſiones virorum tantùm. *ibid. reſ.* 25.

25 No-

25 Nouus Epiſcopus poteſt omnes licentias a prædeceſſore conceſſas Regularibus ſuſpendere, & de nouo illos examinare. Id tamen fieri non poteſt a Capitulo, Sede vacante; ex priuilegio a Clem. IV. conceſſo. *ibid.reſ.*27.

26 Vicarius poteſt dare facultatem abſoluendi a reſeruatis, ſi Præpoſitus abſit per vnum diem, nec eodem die ſit reuerſurus; niſi ſubditus ſine ſufficienti cauſa, confeſſionē in illum diem differat, vel in aliqua Religione aliter diſpoſitum ſit. *ibid.reſ.*28.

27 Quando Moniales virtute Iubilæi habent facultatem eligendi Confeſſarium, tenentur illum deſignare Ordinario, ſine cuius licentia non licet accedere ad monaſteria. *ibid.reſ.*29.

28 Equites D.Ioannis, D.Iacobi, Calatrauæ, Alcantare, &c. cùm ſint verè Religioſi, & profeſſionem emittant, poſſunt confiteri confeſſario non approbato per Epiſcopum. Nota per votum Equitum D.Iacobi, Alcantaræ, &c. non diſſolui matrimonium ratum, ſic decernente Pontifice. Quòd de Equitibus S. Ioannis minimè dicendum eſt. *ibid.reſ.*30.

29 Poſſunt Regulares ordinari ab Epiſcopo extra tempora ex priuilegijs à Pontif. conceſſis. *ibid.reſ.*31.

30 Generales Ordinum poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in interſtitijs: & non ſeruantes interſtitia nullam incurrunt cenſuram vel irregularitatem. *ibid. reſ.*32.

31 Licitum eſt legatum Fratribus Minoribus relictum pro infirmis, pro fabrica Templi, ornamentis Eccleſiæ, & emendis libris. Imò ſunt capaces relicti ad vitam alicuius Fratris Minoris, quia non eſt legatum annuum perpetuū. *ibid.reſ.*33.

32 Poteſt fieri legatum Religioſo profeſſo, & conditione, vt nihil monaſterio acquiratur. *ibi.reſ.*34.

Digitized by Google

33 Regularis exemptus, qui incurrit excommunicationem ob crimen notorium, poteſt denuntiari ab Epiſcopo vt ab alijs vitetur. *ibid. reſ.* 35.

34 Regulares non includuntur in prohibitione Epiſcopi, ne quis exorcizet ſine ipſius licentia. *ibid. reſ.* 36.

35 Non eſt denuntiandum peccatum occultum fratris, Superiori tamquàm Patri, ſine præuia correctione fraterna, niſi in aliqua Religione aliter per Conſtitiones cautum ſit. *ibid. reſ.* 37.

36 Prælati Regulares tenentur corripere peccata venialia ſubditorum, ne diſciplina religioſa collabatur. *ibid. reſol.* 38.

37 Carthuſiani extra morbum carnes comedere ſine peccato mortali non poſſunt. *ibid. reſ.* 39.

38 Si quis breui tempore in ſæculo manens ſua debita ſoluere poſſit, puta intra biennium, tenetur differre ingreſſum in religionem; ſin minùs, poteſt ſtatim ingredi. Quòd ſi poſt ingreſſum, aliqua hæreditas, legatum, vel donatio illi obueniat, tenetur Monaſterium creditoribus ſatisfacere. *ibid. reſ.* 41.

39 Prælatus Regularis poteſt ac debet inquirere in peccata occulta ſubditorum, vt illa fraternè corrigat, modò abſit nimia, & anxia ſollicitudo, quæ odium parit. Non tamen licèt priuato Religioſo inquirere in vitam fratrum, vt illos fraternè corrigat: quia non ſunt quærenda peccata vt ipſa corrigantur. Vnde ſequitur non licere in confeſſione interrogare de complicibus. *ibid. reſ.* 42.

40 Poteſt quis à Religione ſtrictiori tranſire ad laxiorem cum licentia Superioris. 1. ob corporis imbecillitatem. 2. ſi indignè tractetur, aut ſit exoſus. 3. ſi eſt infamatus; itaut ſemper in pudore, & ſubinde magna triſtitia ſit victurus. *ibid. reſ.* 43.

41 No-

41 Nouitius recedens a Religione, non reincidit in cenſuras, & irregularitates, a quibus vi priuilegiorum fuit abſolutus. *ibid. reſ.* 44.

42 An poſſint Prælati Regulares diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper irregularitate orta ex homicidio voluntario, & ex bigamia, non ſatis liquet; cùm vtrinque ſuppetant rationes. *ibid. reſ.* 45. Neque ſuper infamia iuris etiam publica 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 91.

43 Puella duodenis poteſt ſuſcipere habitum religioſum, ſed ante profeſſionem, etiam monaſterij exempti, debet Epiſcopi vnum tantùm examen ſubire, ſub mortali tàm receptæ, quàm recipientis. *ibid. reſ.* 47.

44 Qui ſine licentia Ordinarij loquitur cum Moniali (Abbatiſſam excipio) vel ſolis nutibus, & ſignis, incurrit in excommunicationem; niſi excuſet paruitas materiæ. Excipiuntur pueri, & puellæ ante annum 14. completum. Item aduenæ & peregrini, ſi cum Monialibus colloquuntur in ciuitate vbi domicilium non habent. Item Epiſcopi. Item colloquentes cum nouitia. Ad vitandum verò peccatum, & pęnam excommunicationis, ſufficit habere licentiam ab Ordinario, verbotenus. *ibid. reſ.* 48.

45 Superiores Regulares nō poſſunt aliquid vetare, ſub pęna excommunicationis ſibi reſeruatæ. Quia ex Decreto Clementis VIII. omnis reſeruatio illis interdicta eſt. *ibid. reſ.* 49.

46 Religioſus factus Epiſcopus, eximitur a paupertatis voto, fitque verus Dominus reddituum Eccleſiaſticorum; neque tenetur ad obſeruantiam regularem, niſi ex quadam honeſtate. Neque ſi omittat habitum ſuæ Religionis, incurrit excommunicationem. *ibid. reſ.* 50.

47 Confeſſarius Regularis, qui cum licentia accerſitur ad audiendam confeſſionem Monialis infirmæ, poteſt ingredi

Digitized by Google

gredi cùm ſocio,& ſtatim a confeſſione debet egredi. *ibid. reſol.* 51.

48 Monialis, quæ voluitur cum rota ad eam partem ad quam ſæculares accedunt, non violat clauſuram ad paruitatem materiæ. At ſi extra limen ianuæ vtrumque pedem efferat, ille egreſſus ſufficiens eſt ad culpam lethalem, & ad cenſuras incurrendas; ſecùs autem ſi alterum pedem intra limen retineat. *ibid. reſ.* 52.

49 Qui ignorat nullitatem ſuæ profeſſionis, vel impeditur quò minùs reclamet intra quinquēnium, poteſt adhuc reclamare. *ibid. reſ.* 53.

50 Regularis, qui iuſtam habet cauſam appellationis, poteſt omiſſis medijs Superioribus ad Papam prouocare, quando Prælati corrigentes manifeſtè excedunt limites religioſæ diſciplinæ. *ibid. reſ.* 54. Poteſt item ſi ab immediato Superiore fuerit nimiùm grauatus, & iniuſtè vexatus, ſine illius licentia exire è Monaſterio, vt adeat Superiorem ſupremum, & de iniuria conqueratur. *ibi. reſ.* 56.

51 Si quis ingreſſurus nouitiatum, aliquid donauit, vel renuntiauit ante habitus ſuſceptionem, factum tenet, eſtq. validum. Quia nondum erat Nouitius. Concil. autem Trident. *ſeſs.* 25. *cap.* 16. ſolùm vetat, ne Nouitius donet. *ibid. reſol.* 55.

52 Vt valida ſit profeſſio, complendus eſt annus nouitiatus de momento ad momentum. *ibid. reſ.* 57. & 5. *par. tract.* 5. *reſ.* 18.

53 Concionari poſſunt Regulares in ſuis Eccleſijs, cōtradicente Epiſcopo. Tamen in praxi melius eſt non concionari, ne ex illa concione plus exiſtat ſcandali, quàm fructus. *ibid. reſ.* 58.

54 Regulares non poſſunt in foro conſcieniæ vti priuilegijs ſuis, expreſsè reuocatis per Conc. Trid. *ibid. reſ.* 59.

55 Ex-

55 Expulſus a Religione non tenetur ſe emendare, vt ad illam redeat; neque obligatur ad vota paupertatis, & obedientiæ; nec ad officium diuinum, ſi non eſt in ſacris; nec ad ieiunia, aliaue onera Religionis. *ibid. reſ.* 60.

56 Qui tranſit ad aliam Religionem, poteſt ſecum deferre ſcripta, & libros a ſe compoſitos. *ibid. reſ.* 63.

57 Ad faciliùs impetrandam receptionem ſuam in aliqua Religione poteſt quis gratis, & ſponte dare munera Superioribus, vel alijs. Notandum autem habitum Ordinum Regularium Equeſtrium eſſe, hominũ iudicio, quid honorificum; proinde honorem illum eſſe pretio æſtimabilem. *ibid. reſ.* 64.

58 Non facit contra paupertatem Religioſus emens libros ex pecunia ſibi donata, inſcio Superiore, ſi illos in cubiculo expoſitos teneat tantùm ad vſum. *ibid. reſ.* 65. Poteſt etiam facere eleemoſynas nomine illius, à quo accepit pecuniam. *ibid.* Nec non depoſitum accipere, & ſeruare, itaut deponens omne ius dominij & poſſeſſionis retineat. *ibid.*

59 Introducentes fœminas in Monaſterium incurrunt excommunicationem, & pœnam priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa; non tamen abſque ſententia iudicis. *ibid. reſ.* 66.

60 Ingredientes Monaſteria Monialium cum licentia, ſi finito miniſterio diutius ibi morentur ob malum finem, non incurrunt excommunicationem latam à Greg. XIII. Quia lata eſt contra ingredientes ſine licentia. *ibid. reſ.* 67.

61 Derogatio priuilegiorum alicuius Religionis ſub qualibet ampliſſima forma non valet, niſi fuerit intimata. *ibid. reſ.* 68.

62 Peccata fornicationis in Religione ſunt contra bonum publicum, atque adeò Superiori denuntianda; præ-

miſſa tamen correctione fraterna, niſi quis ceſſerit iuri ſuo. *ibid. reſ.* 69.

63 Simplex Religioſus poteſt de licentia Superioris alium admittere ad profeſſionem ſolemnem. *ibid. reſ.* 70.

64 Poſſunt Prælati Regulares commutare, & diſpenſare vota Nouitiorum. Poſſunt item abſoluere ſuos ſubditos à caſibus Bullæ Cœnæ, ſecundum quoſdam. *ibi. reſ.* 71. 72.

65 Nouitij gaudent priuilegijs Religioni conceſſis. *ibid. reſ.* 73.

66 Nouitius etiam fratrum Minorum, aut Capuccinorum poteſt in ſuo teſtamento reſeruare electionem puellarum, quibus ſuus hæres ſoluere debet quotannis certam pecuniam; cum licentia Superioris. Poteſt item Religioſus ſuum teſtamentum ante profeſſionem factum declarare, ſi eſt dubium. *ibid. reſ.* 74. 75.

67 Non poſſunt Regulares ab Epiſcopo compelli ad proceſſiones, per cenſuras. Non tamen debent facere proceſſiones extra ambitum Conuentus abſque licentia Epiſcopi; de iure communi. *ibi. reſ.* 76. 77.

68 Prælati Regulares non tenentur facere profeſſionem fidei. At lectores Philoſophiæ, & Theologiæ, vbi Bulla Pij IV. eſt recepta, tenentur. *ibid. reſ.* 78.

69 Prohibitum eſt Regularibus ſtudium Iuris ciuilis, abſque licentia Superioris, niſi fiat in ordine ad ius Canonicum meliùs addiſcendum. *ibid. reſ.* 79.

70 Poſſunt Regulares vti altari portatili, præſertim itinerantes, non contradicente Epiſcopo. *ibid. reſ.* 80.

71 Aliæ Religiones gaudent priuilegijs conceſſis Societati Ieſu. *ibid. reſ.* 81. & 5. *par. tr.* 13. *reſol.* 46.

72 Poſſunt Superiores admittere Nouitium, omiſſis informationibus: neque incurrunt pœnas Bullæ Sixti V. ſi Nouitius careat illis defectibus. *ibid. reſ.* 82. 83.

73 Non

Digitized by Google

73 Non interrumpitur annus nouitiatus per egreſſionem Nouitij è Monaſterio cum licentia Superioris. Imò etiam ſine licentia; cum animo tamen redeundi. *ibid. reſ.* 84. & 5. *par. tract.* 5. *reſ.* 19.

74 Poſſunt Prælati Regulares abſoluere ſuos ſubditos malè promotos ad Ordines. *ibid. reſ.* 85.

75 Regulares latinæ linguæ minùs periti, poſſunt ab Epiſcopis ordinari; quia non ordinantur ad curam animarum ſuſcipiendam. *ibid. reſ.* 86.

76 Generalis, & Capitulum generale poſſunt limitare, vel adimere fratribus vſum priuilegiorũ Apoſtolicorum; nihil tamen poſſunt ſtatuere contra ius commune. *ibid. reſol.* 87.

77 Non abrogantur Regularibus priuilegia per non vſum, vel contrarium vſum. *ibid. reſ.* 88.

78 Poteſt Superior dare licentiam Religioſo vt maneat extra clauſtra, ad ſubueniendum parentibus in graui neceſſitate conſtitutis: non tamen de bonis Monaſterij ſibi in vſum conceſſis abſque licentia. *ibid. reſ.* 90.

79 Prælatus votum ſubditi de tranſeundo ad ſtrictiorem Religionem poteſt diſpenſare. *ibid. reſ.* 91.

80 Solus metus reuerentialis annullat profeſſionem. *ibid. reſ.* 92.

81 Non videtur puniendus Regularis, qui expoſitus ad excipiendas tantùm virorum confeſſiones, excepit etiam fœminarum virtute Iubilæi: quia fecit ſecundùm opinionem probabilem. *ibid. reſ.* 93.

82 Poſſunt Abbates Clericis ſæcularibus ſibi ſubditis litteras dimiſſorias concedere. *ibid. reſ.* 95.

83 Moniales extra chorum tenentur recitare horas canonicas, ratione ſtatus Eccleſiaſtici. *ibid. reſ.* 96.

84 Abbatiſſa poteſt paciſci de certa pecuniæ ſumma,

donec dos Monialis Monaſterio ſoluatur, ratione damni emergentis. *ibid. reſ. 97.*

85 Poteſt Monialis vidua eligi in Abbatiſſam; lex enim id prohibens abrogata eſt per contrarium vſum. Non poſſunt tamen Moniales de Monaſterio ad Monaſterium transferri, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. ex Decreto Pauli V. *ibid. reſ. 99.*

86 Non licet à Nouitijs Monialibus accipere aliquid vltra victum, & veſtitum, ne mutuum quidem; propter particulam (*quocumque prætextu*) additam in Decreto Conc. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 16.* Si autem exceſſiua dos pro ingreſſu accipiatur, exceſſus eſt reſtituendus, niſi liberaliter concedatur. *ibid. reſ. 100.*

87 Poteſt Prælatus Monialium diſpenſare, vt illegitima fiat Abbatiſſa. *ibid. reſ. 101.* Poſſunt item Generales Ordinum cum illegitimis diſpenſare ad dignitates & officia Ordinis abſque Capitulo. Legitimatus autem à magiſtratu ſæculari, ſi ingrediatur Religionem, non cenſetur legitimatus ad Officia Ordinis: quia Magiſtratus non tollit impedimenta canonica. *ibid. reſ. 102.*

88 Regularis accedens ad Monaſterium Monialium ſine licentia Epiſcopi, non incurrit excommunicationem ab Epiſcopo latam; propter priuilegium, quo Regulares eximuntur ab Excommunicatione Epiſcopi. Si tamen accedat contra formam Decreti ſacræ Congregationis, vltra pœnas appoſitas, peccat mortaliter. *ibid. reſ. 103. 104.*

89 Concedi poteſt Moniali infirmæ licentia exeundi è Monaſterio, vt medeatur morbo ita periculoſo, vt eius ſalus alioquin periclitetur. *ibid. reſ. 105.*

90 In feſtis ab Epiſcopo iniunctis Regulares ſuum ritum retinere poſſunt quoad Miſſas, & diuina officia, non quoad Euangelia, vel Epiſtolas in lectionibus, vel concio-
nibus

Digitized by Google

nibus ad populum. *ibid.reſ.* 108.

91 Non poſſunt Epiſcopi ea, quæ iuriſdictionem dicunt in Eccleſijs Regularium ipſis inuitis exercere. *ibid. reſol.* 109.

92 Caſus reſeruati Superiori, non pertinent ad Nouitios: quia ad onera Religionis non tenentur. *ibid.reſ.* 110.

93 Regulares ſine licentia Epiſcopi, in alienis Eccleſijs concionari non debent. *ibid.reſ.* 111.

94 Religioſi virtute ſuorum priuilegiorum ordinari poſſunt non ſeruatis interſtitijs. *ibid.reſ.* 112.

95 Regularis, qui ſcit ſuam profeſſionem eſſe irritam, peccat mortaliter ſi ſuſcipiat ſacros Ordines, & eſt ſuſpenſus: ordinatur enim ſine titulo patrimonij. *ibid.reſ.* 113.

96 Bona Religioſi tranſeuntis ad aliam Religionem, pertinent ad primum Monaſterium; tenetur tamen illi dare ſufficientia alimenta. *ibid.reſ.* 114.

97 Religioſus exuens habitum in loco ſecretò, vt commodius ei ſit, vel vt meliùs currat, ſaltet, &c. non incurrit excommunicationem. Neque ſi iniuſtè grauatus à Prælato immediato fugit ad Prælatum Superiorem ſine habitu Religionis, ne agnitus compræhendatur. Neque ſi propter æſtum, aut ad capiendum ſomnum dormiat ſine eo, &c. *ibid.reſ.* 115. & 5.*par.tr.*5.*reſ.*61.

98 Religioſum eiectum ab Ordine, ſi emendatus petat ingredi, non tenentur Superiores recipere; neque ipſe tenetur ad aliam Religionem tranſire. *ibid.reſ.* 116.

99 Prælati Regulares, qui non ſunt electiui, poſſunt amoueri à ſuis prælaturis ad libitum ſuorum Superiorum, etiam ſine cauſa; non tamen accuſatione, & inquiſitione contra ipſum impendente. *ibid.reſ.* 117.

100 Superior Regularis non poteſt ſibi reſeruare tactus impudicos, & oſcula: quia non comprehenduntur

Digitized by Google

verbo *Lapſus carnis voluntariè opere conſummati, in Decreto Clem. VIII. licèt alij affirment. ibid. reſ.* 118.

101 In generali conceſſione facta Regularibus eligendi Confeſſarium, non comprehenditur abſolutio a caſibus reſeruatis, etiam extra Monaſterium. *ibid. reſ.* 119.

102 Poſſunt Regulares cadauera in vno loco ad tempus depoſita, in alium transferre ſine Epiſcopi licentia. *ibidem reſol.* 120.

103 Regulares approbati in vna diœceſi, ſi in itinere non poſſunt faciliè Ordinarium adire, poſſunt in alia confeſſiones audire; ex priuilegijs Pontif. non repugnantibus Parochis. *ibid. reſ.* 123.

104 An expediat Generales Religionum eſſe perpetuos necne, in vtramque partem diſceptari poteſt. *ibid. reſ.* 124.

105 Regulares conuenientes inter ſe vt ſibi viciſſim ſuffragentur, committunt ſimoniam: ſecùs, ſi nullum ſit pactum. *ibid. reſ.* 125.

106 Si Superior Regularis Confeſſario petenti poteſtatem abſoluendi aliquem a caſu reſeruato, dare noluerit, poteſt pœnitentem abſoluere pro illa vice. *ibid. reſ.* 126.

107 Non poteſt Monialis tranſire de vno Monaſterio ad aliud reformationis cauſa, ſine licentia Papæ; ſic enim declarauit Congregatio Cardinalium. *ibid. reſ.* 127.

108 Profeſſio aliquot menſibus poſt annum nouitiatus emiſſa, eſt valida. Licet Superioribus poſt annum probationis expletum, differre profeſſionem Nouitij iuſtam ob cauſam. *ibid. reſ.* 128.

109 Licentia ingrediendi Monaſteria Monialium habēda eſt ſcripto; præterquàm in caſibus ordinarijs quoad Medicos, Chirurgos, &c. quibus Abbatiſſa poteſt dare licentiam verbo, ſine ſcriptis. *ibid. reſ.* 129.

110 Non licet Epiſcopis permittere mulieribus ob ſuſpitio-

ſpitionem adulterij, vel rixas cum viris, vt in Monaſterijs ſe recipiant ſecuritatis gratia. *ibid.reſ.* 130.

111 Puellæ deſtinatæ Religioni poſſunt admitti in Monaſteria ante annos diſcretionis. *ibid.reſ.* 131.

112 Epiſcopus virtute Conc. Trid. non poteſt Regularem notoriè delinquentem mittere in carcerem, nec formare proceſſum contra illum; defectu iuriſdictionis. *ibid. reſol.* 132.

113 Priuilegia mendicantium de celebrandis Miſſis tẽpore interdicti, non ſunt per Concil. Trident. reuocata. *ibid.reſ.* 133.

114 Epiſcopus non habet iuriſdictionem in Regulares exemptos, etiam ſi ſit in poſſeſsione illos iudicandi. Quia exemptus non poteſt ſine licentia Summi Pontif. exemptioni renuntiare. *ibid.reſ.* 134.

115 Regulares extra chorum vti poſſunt Breuiario Romano, vel alterius Religionis. *ibid.reſ.* 135.

116 Ex priuilegio Sixti V. Regulares migrare poſſunt ex Conuentu inſalubri, in alium ſalubriorem, ſine licentia Epiſcopi: quia Concil. Trid. loquitur de noua erectione, non autem de mutatione domorum. *ibid.reſ.* 136.

117 Decretum Pij V. quo fit poteſtas Monialibus exeundi è Monaſterio propter lepram, & epidimiam, ſeu peſtem, non eſt extendendum ad alias infirmitates his aliquo pacto conſimiles, ſed tamen benigniores, etiamſi grauis, & diuturnus morbus inde timeretur. 2. *par. tr.* 15. & 1. *Miſcell. reſ.* 23.

118 Parentes qui cogunt filias impuberes intrare Monaſterium, vt ibi educentur, non incurrunt excommunicationem Concil. Trid. quia parentes habent ius naturale offerendi liberos Religioni, & liberi tenentur obedire parentibus, neque poſſunt ante annos pubertatis de Mona-

Digitized by Google

ſterio exire. At ſi fœminæ cogantur intrare Monaſterium, puberes, ideſt, poſt annum ætatis 12. qui cogunt, incidunt in excommunicationem, etiamſi non iubeant illas ingredi, vt habitum ſuſcipiant, neque vt profeſſionem emittãt, ſed ſolùm, vt ibi maneant, quoad detur occaſio nubendi. Concilium enim abſolutè prohibuit ingreſſum Monaſterij, & rectè; quia per illum ingreſſum datur occaſio, vt deinde puella ob verecundiam, & Monialium ſuaſionem ſuſcipiat habitum inuoluntaria, quæ eſt indirecta coactio; vt ſi parentes malè tractent puellam in victu, veſtitu, verbis contumelioſis: ſic enim etiam incurrunt excommunicationem, & grauiter peccant; cùm enim fœminæ maioris ætatis ſint ſui iuris in ijs, quæ ad animæ ſtatum pertinent, non poſſunt à parentibus cogi; moneri autem poſſunt, neque metus reuerentialis inducit excommunicationem. *ibid. reſol.* 56.

119 Superiores Regulares poſſunt ſuis ſubditis litteras dimiſſorias concedere ad Epiſcopum diœceſis; vel ſi abfuerit, vel ordinationes non ſit habiturus, ad quemcumque alium Epiſcopum: vult tamen Conc. Trid. in illis dimiſſorijs exprimi cauſam abſentiæ Epiſcopi diœceſani, vel ordinationum ab eo non habendarum. 2. *par. tr.* 16. & 2. *Miſcell. reſ.* 13.

120 Ingredientes Monaſteria Monialium non pretextu licentiarum, ſed abſque vlla prorſus licentia, etiam ad malum finem, non incurrunt excommunicationem Gregorij XIII. quia ille caſus non continetur in Bulla. *ibid. reſ.* 30. Neque Moniales admittentes aliquem intra ſepta Monaſterij, prætextu licentiarum, etiam ob malum finem: quia Bulla loquitur de Abbatibus, & Abbatiſſis; nulla autem de Monialibus fit mentio. *ibid. reſ.* 31. 32.

121 Poteſt Epiſcopus vigore Concil. Trident. abſoluere

eum,

eum, qui Monaſterium ingreſſus cum ſacra virgine inceſtum commiſit, dummodo ſit occultus. *ibid. reſ. 33.*

122 Quando Religioſus habet à ſuo Prælato facultatem confitēdi Sacerdoti ſæculari, poteſt cuiuis confiteri, etiamſi ab Epiſcopo non ſit approbatus: neque hæc ſententia eſt contra Conc. Trid, nam *ſeſſ. 23. cap.* 15. ſolùm decernit, nullum Sacerdotem, etiam Regularem poſſe excipere cōfeſſiones ſæcularium, abſque approbatione Epiſcopi; igitur poterit ſine approbatione eiuſdem, Regularium confeſſiones audire, imò probabile eſt Regulares vigore Iubilæi, ſeu Bullæ Cruciatæ poſſe eligere Confeſſarium Regularem approbatum ſolùm ab eius Superiore abſque approbatione Epiſcopi. Nam licèt in Iubilæis, & in Bulla Cruciatæ exprimatur confeſſarium debere eſſe ab Ordinario approbatum, illud intelligendum eſt iuxta formam traditam in Conc. Trid. citato requirente approbationem ab Epiſcopo in confeſſionibus ſæcularium; at in confeſſionibus Regularium ſufficit approbatio Superioris, qui eſt veluti Ordinarius Regularium. Ex his ſequitur, Regulares, qui habent in itinere facultatem confitendi cuicumque Sacerdoti extra Ordinem, poſſe eligere Sacerdotem ſæcularem non approbatum ab Epiſcopo, dummodò ſit idoneus. Notandum tamen ſub tali licentia non includi facultatem vt abſolui poſſint à caſibus reſeruatis, maximè à confeſsarijs ſæcularibus. Quare ſi Regularis in itinere incidat in caſum reſeruatum, & neceſse ſit celebrare, poteſt ad vitandum ſcandalum celebrare ſine præuia confeſſione, eliciendo actum contritionis, vel poteſt cum attritione confiteri etiam peccata reſeruata ſi velit, à quibus abſoluetur indirectè, ſed poſteà tenebitur ea iterùm aperire Sacerdoti ſuper illa iuriſdictionem habenti, vt ab illis directè abſoluatur. 1. *par. tr.* 11. *reſ.* 14. *& in Addit. in fin.* 3.

par.reſ.4. & 4.par.tract.4. reſol.82.

123 Religioſus à Prælato ſuo non præſentatus poteſt ab Ordinario validè approbari, & de eius licentia confeſſiones ſæcularium audire, & virtute Iubilæi, aut Bullæ Cruciatæ eligi: quia in eo reperiuntur omnia requiſita, approbatio, ſcilicet, & iuriſdictio. *In addit. in fin. 3. par. reſ. 7.* Item Regularis olim approbatus, & poſteà ſine cauſa reprobatus ab Ordinario, & eligibilis virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi. *ibid.*

124 Mutus, & Surdus poſsunt eſse Religioſi, profeſſionem emittendo. *5. par. tr. 6. reſ. 34.*

125 Ingreſsus in Religionem poteſt aliquando differri propter ſcandalum. *ibid. tract. 7. reſ. 23.*

126 Profeſſio emiſsa à laborante morbo Gallico, vel alia contagioſa infirmitate, iure communi attento, non eſt nulla. Si tamen profeſsus celauit hoc in examine, poterit à Religione expelli, niſi adſit lex in contrarium, & præcipuè in illis Religionibus, quæ haberent tale ſtatutum expellendi huiuſmodi Profeſsum. *4. par. tr. 4. reſ. 188.*

127 Religioſi, qui ſecundùm Decreta Clem. VIII. nouitiatum non fecerunt in locis deſſignatis, non poſsunt ſtante Bulla Vrbani VIII. petere coram Ordinarijs locorum nullitatem profeſſionis; non ſeruatis tamen ſeruandis, & preſertim diſpoſitionibus Concil. Trid. *5. par. tr. 14. reſ. 16.*

128 Monachi Benedictini, niſi vtantur habitu præſcripto in Clem. 1. incurrunt ſuſpenſionem, ad quam tamen incurrendam requiritur peccatum mortale, & præſumptio. *5. par. tr. 10. reſ. 44.*

129 In nullo caſu poſsunt Superiores Regularium vti ſcientia habita in confeſſione, quia obſtat Decretum Clementis VIII. quod obligat prædictos ſub mortali. *4. par. tract. 4. reſ. 202.*

130 In

130 Ingreſſus mulierum in clauſtra virorum Regularium prohibetur ſub peccato mortali: Imò fęmina quæ licitè ingreſſa eſt in aliqua loca Monaſterij in caſibus permiſsis, non excuſatur ab excommunicatione, ſi ad vlteriora progrediatur. 4.*par.tr.*4.*reſ.*179.

131 Regulares pro concionibus in proprijs Eccleſijs de iure non debent examinari ab Epiſcopis: Volentes autem prædicare in Eccleſijs, quæ nō ſunt ſuorum Ordinum, poſſunt Epiſcopi eos examinare ex Declarat. Congreg. Card. ſub die 22. Ianuarij 1622. Poteſt quidem Parochus bis, vel ter dare licentiam Regulari valdè docto, & graui, & noto, aliàs ibi non approbato, vt non prædicet in ſua Eccleſia. 4.*par.tract.*4.*reſ.*22.

132 Cùm Regulares non poſſunt adire Summũ Pont. vel ſacram Congreg. poſſunt pignorare candelabra, vaſa, &c. etiam ſine licentia Epiſcopi, non tamen inconſulto Generali, cùm poſsũt ad illum recurrere. 5.*par.tr.*13.*reſ.*6.

133 Superiores Regulares, qui non legunt decreta Vrbani VIII. de celebr. Miſſarum ſtatutis temporibus, nō incidunt in pęnas, quamuis id faciant poſt aliquot dies. *ibid.tract.*14.*reſ.*15.

134 Dubitans vtrum diſpenſatio ſit valida, cenſenda valida, & poteſt eà vti. Inſuper ſi dubitetur, an cauſa in diſpenſatione, vel gratia, vel priuilegio tacita, vel falsò expreſſa, ſit finalis, vel impulſiua, cenſenda eſt impulſiua; quia in dubio præſumendum eſt in fauorem valoris actus. 4.*par.tr.*3.*reſ.*45.

135 Diſpenſatio in literis Pœnitentiarijs fieri debet in confeſſione ſacramentali, & Confeſſor debet eſſe abſolutè approbatus ſine limitatione. 4.*part.tract.*4.*reſ.*71.

136 Diſpenſatio valida eſt, ſi à Confeſſario habente facultatẽ diſpenſandi ſuper certam materiam, fiat in confeſſio-

Digitized by Google

feſſione ſacramentali internè tantùm, putando tàm ipſe, quàm pœnitens, non eſſe neceſſarium expreſſis verbis dicere: *Diſpenſo te.4.par.tr.4.reſ* 118.

137 Abbates, & alij Prælati inferiores habentes iuriſdictionem ordinariam, etiam nullius diœceſis, probabiliter gaudent facultate abſoluendi, & diſpenſandi conceſſa Epiſcopis ex Trid.*ſeß.24.c.6.* Idem dico de Capitulo ſede vacante, & de Superioribus Regularium circa ſuos ſubditos, *ibid.reſ.*211.

138 Pro expediendis diſpenſationibus recipere quis aliquid non poteſt, quia ſemper in literis hæc verba apponuntur. *Gratis vbique.ibid.reſ* 84.

139 Diſpenſatio non extinguitur prima vice, qua illa vtimur, vt ſi quis emiſit votum Caſtitatis, vel Religionis, & obtinet diſpenſationem contrahendi matrimonium, non obſtante voto, poteſt ſæpe inire matrimonium ex vi diſpēſationis. 5.*par.tr.*14.*reſ.*30.

Duellum.

1 QVi moritur ex vulnere in duello inflicto, ſi viuus diſceſſerit, non eſt priuandus Eccleſiaſtica ſepultura, quia verba Conc. Trident. cùm ſint verba legis pœnalis, vltra rigorem litteræ non ſunt extendenda. 2.*par.tr.*16, *&* 2.*Miſcell.reſ.*54 *&* 5.*par.tr.*3.*reſ.*99.

2 Si quis prouocato ad duellum aduerſario ſeſe ad locum condictum præfixo tempore conferat, ibique fruſtrà expectato inimico, diſcedat, non incidit in excommunicationem Bullæ Greg. XIII. Item ſi quis offenſus ab alio illum prouocet ad duellum, non tamen habeat animum pugnandi, & ſciat certamen non ſecuturum, eò quòd ſit ab amicis impediendum; ſed hoc faciat ad reparandum honorem læſum, etiamſi vterque veniret ad locum deſigna-

gnatum, &c. gladios diſtingerent; neuter incurreret excommunicationem. *ibid. reſ.* 55.

3 Si quis inimicum arguat mendacij ſi ſuſtinere voluerit quod ſibi relatum fuit, etiamſi hoc dicendo ſtringat gladium, non incurrit excommunicationem; quia non eſt prouocatio ad duellum facta ex condicto. *3. par. tr. 6. Miſcell. reſ.* 1. Neque qui alium prouocat ad pugnam nullo ſtatuto tempore, aut loco. Nec qui ad locum duelli accedit inſpiciendi cauſa, modò duellum ſecutum non ſit. Nec qui duellum ſpectat obiter, & in tranſitu, vel ex occulto ſpectat. Nec qui aliquid narrat quod videt eſſe poſſe cauſam duelli, niſi illud narret, vt ad duellum incitet. Nec qui legunt ſcriptum, quo aliqui ſe prouocant ad duellum. Nec qui ratam habent prouocationem, vel pugnam ſuo nomine factam. Nec qui poſtquàm conſuluit duellum, conatus eſt ſuum conſilium reuocare, licèt reipſa ſecutum fuerit duellum. Nec qui orta repentè rixa, ſe prouocant ad pugnandum in aliquo loco, ad quem ſtatim ſe conferunt, & ibi dimicant; quia non adeſt aſſignatio temporis. *ibidem.*

4 Poteſt Princeps ad maiora mala vitanda in caſu extraordinario, duellum permittere. *ibid. verſ. Nota ſecundò.*

5 Quòd attinet ad ſcripta prouocantia ad duellum, poſſunt famuli ea ſcribere, ſi alioquin ipſis immineret periculum mortis, aut alterius grauis damni. In nullo autem caſu licet ea ſcripta deferre: quia id eſt intrinſecè malum; quamuis oppoſita ſententia non ſit improbabilis. *ibid. verſ. Et tandem.*

6 Si quis in duello lethaliter percuſſus decidat in terram, & ſigna contritionis oſtendat, ſed ex defectu Confeſſoris non fecit confeſſionem, & mortuus eſt, immò quamuis ibi fuerint miniſtrata Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucha-

chariſtiæ, non eſt in loco ſacro ſepeliendus; obſtat enim Conc. Trid. & Rubrica Pauli V. in Ritnali Rom. de exequijs, vbi ait. Negatur Eccleſiaſtica ſepultura morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint pœnitentiæ ſigna. 4.*par.tr.4.reſ.*192.

7 Sed licèt mortuus in duello modo quo ſupra, ſepeliatur extra Eccleſiam, & non in loco ſacro, poteſt tamen, quis pro eo Miſſas offerre, quia talis non eſt mortuus clarè in peccato mortali; licèt enim duellando peccauerit mortaliter, tamen poſt duellum ſigna dedit contritionis. *ibid. verſ. Sed hic.*

8 Si quis dicat alicui. Tecum pugnabo prima vice, qua tibi per vrbem obuiam iero, non incidit in pęnas duelli; quia neque eſt locus certus, cùm tota Vrbs non ſit propria aſſignatio loci, neque propria aſſignatio temporis, cùm ſe ſe obuiàm habuerint. 5.*part.tract* 13.*reſ.*59.

9 Licèt ſpeculatiuè probabile eſſe poſſit virum nobilē poſſe in aliquo caſu abſque peccato acceptare duellum, practicè tamen id eſt valdè difficile, ideòque cum communi ſentiendum; numquam poſſe acceptari duellum abſque peccato. 5.*par.tr.*14.*reſ.*99.

10 Non omnes ſpectatores duelli incidunt in excommunicationem, ſed ij tantùm, qui ex condicto ſe offerunt certaminis ſpectatores, & teſtes, hi enim duellum promouent tacita illius conſenſione, qui verò illius conſcius tendit in locum, ſola gratia videndi, quæ geruntur, vel fortuna illuc aduenit, vel in illum incurrit ſuum iter agens, non eſt cenſendus incurriſſe in cenſuram, ſicut nec qui acceſſit ex condicto ad duelli locum, & tamen duellum, vel actus proximus ad pugnam ſecutus non eſt. Qui autem iuſtam habet occaſionem aſſiſtendi, hic, vt non peccat, ſic nec in excommunicationem incurrit. Tales ſunt Magiſtratus pri-

uati,

Digitized by Google

tiati,eorumque ſatellites,& familiares; qui accepta a Principe facultate adſunt, vt impediant, ne tumultus excitentur, vel duellatores armis inæqualibus pugnent, aut alia iniuſtitia committatur. Item Sacerdos deputatus ad aſſiſtendum, vt excipiat peccata alicuius moribundi, vel famulus, aut amicus, qui adeſt vt accerſat chirurgum, aut Confeſſarium, vel famulus deferens arma, quando id non poteſt omittere ſine graui incommodo. Item qui ſpectat duellum non in publico, ſed occultè, & per cancellos, aut ita diſtans, vt non cenſeatur adeſſe. *ibid.reſ.*100.

11 Si quis commodet arma amico, quem ſcit iuſtè ſuſcipere certamen illud, nō incidit in pęnas Bullæ, quia hoc eſt iuuare innocentem, comparatione cuius illa monomachia non eſt duellum, ſed iuſta defenſio. Si autem illorum armorum commodatio duellum promoueat, tenebitur lege duelli, quia hæc eſt cauſa duelli; aliter enim amicus eſſet deſtituturus a pugna, ſi verò amicus non eſt deſtituturus a pugna, quāuis illis armis non muniatur, poteſt illa ei commodare, ſi non ſint contra pactum duellantium, ſecùs enim incurreret in pęnas Bullæ duellantium. *ibidem reſol.*101.

12 Duellatores oblato, & acceptato duello, ſi poſteà pugna non ſit ſequuta, non incidunt in excommunicationem; quia Greg. XIII. eos non comprehendit, niſi pugna ſecuta. Clemens verò VIII. in hoc nihil innouat. *ibid.reſ.*102.

13 Excommunicatio incurſa per duellum non poteſt abſolui a Regularibus, virtute ſuorum Priuilegiorum, neque a Patribus Societatis Ieſu intra Italiam, (quidquid ſit extra ipſam) ſi verò delictum ſit occultum, & non deductum ad forum contentioſum; poteſt Epiſcopus in hac excommunicatione diſpenſare toties, quoties. *ibid.reſ.*103.

14 Pro-

14 Prouocatus ad duellum non tenetur ſe domi continere, donec componatur pax, quando ſine graui, & proportionato damno id efficere non poſſit. Debet autem in publicum exire non voluntate abſoluta pugnandi, ſed cõditionata, qua prouocatus decernit pugnare, ſi a prouocatore cogatur, nec poſſit aliter ſe honeſtè tueri. *ibid. tract.* 13.*reſ.*25.

15 Si accuſator offerat duellum purgatiuum, poteſt innocens illud acceptare ad tuenda bona temporalia, quia talis acceptatio non eſt duellum, ſed iuſta defenſio. Immò hoc locum habet etiam in non purgatiuo cum alia ratione non poſſum necem aufugere, aut bona tueri: tunc enim poſſum duellum acceptare. *ibid. tract.* 13.*reſ.* 27.

16 Licèt non poſsit acceptari duellum honoris cauſa, licita tamen erit acceptatio certaminis, ne omittantur honores, & munera publica. *ibid. verſ. Nota etiam.*

17 Innocens licitè poteſt offerre ſingulare certamen criminatori, quando alia ratione non poteſt ſe, ſuaq. tueri. Quia talis accuſator infert innocenti vim, in qua eſt actu: prouocatio autem ad certamen eſt medium vnicum ad effugiendam mortem iniuſtam: ergo prouocatio in hoc caſu habet rationem inculpatæ tutelæ. *ibid. verſ. Sed maxima.*

ECCLESIASTICI, ET CLERICI.

1 PRiuilegium quo Clerici in rebus ſpiritualibus eximuntur à legibus; & iuriſdictione Principum ſæcularium, fuit à Iure diuino immediatè conceſſum, & à Iure Canonico poſteà ſtabilitum, cui etiam acceſſit ius ciuile; primuſque omnium Conſtantinus hoc priuilegium acceptauit. 1.*p.tr.*2.*reſ.*1. Neque poſſunt Principes hoc priuilegium

legium reuocare. Imò nec Summus Pontif. poteſt huic renuntiare: quia ipſe non eſt Dominus abſolutus bonorum, & iurium Eccleſiæ, ſed ſolùm diſpenſator. *ibid. reſ.* 2. Multò minùs Clerici id poſſunt; quia nullus poteſt cedere priuilegio toti communitati conceſſo. *ibid. reſ.* 3. Vnde nec dici poſſunt, nec reuera ſunt vaſalli Principum ſęcularium. 5. *par. tr.* 1. *reſ.* 19.

2 Nulla conſuetudo quamuis immemorabilis poteſt huic priuilegio in rebus ſpiritualibus derogare, quia contra Eccleſiaſticam libertatem nulla eſt præſcriptio. Deinde talis conſuetudo ſingulis annis per Bullam Cœnæ reprobatur. Quapropter tolerantia, aut conſenſus Papæ, non poteſt allegari in defenſionem conſuetudinis, reclamante Bulla. *ibid. reſ.* 4. & 5. Sunt tamen quædam priuilegia Galliæ, & Hiſpaniæ Regibus, ac Reip. Venetæ à Pontific. conceſſa, per quæ videtur Eccleſiaſticæ libertati derogatum. *ibid. reſ.* 6. & 4. *par. tr.* 1. *reſ.* 1.

3 Clerici neque diuino, neque humano iure ſunt exempti à legibus ciuilibus, quæ cum libertate Eccleſiaſtica non pugnant; ideòq; ſi Clerici vendunt frumentum vltra pretium taxatũ, peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionẽ. Illis autem legibus obſtringuntur Clerici non directè, ſed ex ratione naturali, quæ dictat ſeruandas eſſe leges ſæculares propter conformitatem cum perſonis ſæcularibus eiuſdem Reip. Non poteſt tamen Iudex laicus illos punire ob tranſgreſſionem illarum legum, defectu iuriſdictionis. *ibid. reſ.* 8.

4 Sæcularis magiſtratus non poteſt cogere Clericos vt triticum vendant, niſi vrgeat fames, aut alia neceſſitas; tunc enim poteſt Iudex laicus frumentum ex horreis Clericorum depromere, & vendere, non vi iuriſdictionis, ſed propter imminens periculum. *ibid. reſ.* 9. & 4. *par. tr.* 1. *reſ.* 87.

Digitized by Google

87. vbi addit, quòd neque tempore peſtis poſſunt cogi à laicis ad aliquid faciendum, ſed per Eccleſiaſticos compellendi ſunt. & 5.*par.tr.1.reſ.6.*

5 Non poteſt miniſter ſæcularis iuriſdictionis ſpoliare Clericum armis prohibitis, in flagranti crimine; ſed tantùm poteſt illum ducere ad Iudicem Eccleſiaſticum, ad quem pertinet illa cognitio. *ibid.reſ.*10. Poteſt enim Iudex laicus per ſuos miniſtros comprehendere Clericum cum armis prohibitis, præſertim noctu graſſantem, mutato habitu, vt illum tradat Iudici Eccleſiaſtico: nam pertinet ad magiſtratum Reip. tranquillitati conſulere. *ibi.reſ.*11.12.

6 Non decet Regios miniſtros detinere in Cancellarijs Bullas Apoſtolicas examinandas. Sunt quidem recognoſcendæ, & diſcutiendæ, cùm dubitatur de earum ſubreptione, aut falſitate; ſed ab Eccleſiaſticis Iudicibus. *ibi.reſ.*13

7 Speculatiuè loquendo Clericus, qui patitur violentiam, poteſt recurrere ad Iudicem laicum, quando ad talem vim reprimendam, Iudex Eccleſiaſticus non adeſt, aut ſi adeſt, non vult reprimere. Alioqui non licet Iudici ſæculari cauſam Eccleſiaſticam ad ſe euocare, & vim Clerico illatam propulſare. *ibid. reſ.*14. Quod autem Iuriſconſulti citant contra libertatem Eccleſiaſticam, *cap. filijs, vel nepotibus. 17. quæſt.*7. Reſpondendum hoc ius fuiſſe ſublatum, & abrogatum ab Innocentio III. *ibid. reſ.* 15.

8 Iudex laicus inueniens Clericos exportantes pecuniam, aut frumentum è Regno contra leges, non poteſt ea illis auferre; quia non habet poteſtatem coercitiuam in Clericos: tenentur tamen Clerici ſtatuta Principum obſeruare, quæ ad bonum commune referuntur. *ibid. reſ.* 16.

9 Legatus natus non poteſt in Regulares exemptos Iuriſdictionem exercere. *ibid. reſol.*17.

10 Epi-

Digitized by Google

10 Epiſcopi, & Eccleſiaſtici non poſſunt a Principe, aut eius Cōſiliarijs, regno pelli tamquàm ſeditioſi, & perturbantes pacem, ac Rempubl. niſi de licentia Summi Pōtif. aut niſi tanta vrgeat neceſsitas, vt ſit euidēs periculum in mora. *ibid.reſ.*18. & 4.*par.tr.* 1.*reſ.*81. Neque poſſunt tranſmitti cum Summum Pontificem, vt ab illo plectantur; hæc enim eſſet velata Epiſcoporum expulſio. 5. *part. tract.* 1.*reſ.*5.

11 Princeps ſæculares, aut eorum miniſtri punire non poſſunt Clericum læſæ Maieſtatis reum; nec delinquētem in officio ſibi à Principe conceſſo: quia Clerici ſunt exempti a iuriſdictione ſæculari, quoad perſonas, & bona. *ibid. reſ.*19. & 20.

12 Clericus non poteſt compelli ad comparendum coram Iudice laico, tamquàm creditor, aut legatarius in confectione inuentarij. *ibid.reſ.*21.

13 Clericus depoſitarius non poteſt per Iudices laicos compelli ad reſtitutionē depoſiti, vel ſequeſtri. *ibid.reſ.*22.

14 Debitor petens admitti ad beneficium ceſſionis bonorum, non poteſt trahere Clericum creditorem ſuum ad forum ſæculare, ſed debet adire Epiſcopum. *ibid.reſ.*23.

15 Clericus hæres Laici non tenetur coram Iudice ſæculari proſequi litem iam inchoatam contra eum, cui ſucceſſit; ſed denuò eſt conueniendus ſuper eadem re coram Iudice Eccleſiaſtico. *ibid.reſ.*25. & 4.*par.tract.*1.*reſ.*21.

16 Clericus qui ſine habitu, & tonſura perpetrat grauiſſima flagitia, non poteſt ante trinam monitionem a Iudice ſæculari puniri. *ibid.reſol.*24. Qui verò aliquando dimittit habitum, & tonſuram, nō ideò amittit priuilegium fori, nec a Iudice laico eſt puniendus *ibi.reſ.*34. Porrò qui incedit cum habitu, & tonſura, ſi deſeruiat alicui Eccleſiæ, aut in Seminario, vel aliqua vniuerſitate de licentia Epi-

87. vbi addit, quòd neque tempore peſtis poſſunt cogi à laicis ad aliquid faciendum, ſed per Eccleſiaſticos compellendi ſunt. *& 5. par. tr. 1. reſ. 6.*

5 Non poteſt miniſter ſæcularis iuriſdictionis ſpoliare Clericum armis prohibitis, in flagranti crimine; ſed tantùm poteſt illum ducere ad Iudicem Eccleſiaſticum, ad quem pertinet illa cognitio. *ibid. reſ.* 10. Poteſt enim Iudex laicus per ſuos miniſtros comprehendere Clericum cum armis prohibitis, præſertim noctu graſſantem, mutato habitu, vt illum tradat Iudici Eccleſiaſtico: nam pertinet ad magiſtratum Reip. tranquillitati conſulere. *ibi. reſ.* 11. 12.

6 Non decet Regios miniſtros detinere in Cancellarijs Bullas Apoſtolicas examinandas. Sunt quidem recognoſcendæ, & diſcutiendæ, cùm dubitatur de earum ſubreptione, aut falſitate; ſed ab Eccleſiaſticis Iudicibus. *ibi. reſ.* 13

7 Speculatiuè loquendo Clericus, qui patitur violentiam, poteſt recurrere ad Iudicem laicum, quando ad talem vim reprimendam, Iudex Eccleſiaſticus non adeſt, aut ſi adeſt, non vult reprimere. Alioqui non licet Iudici ſæculari cauſam Eccleſiaſticam ad ſe euocare, & vim Clerico illatam propulſare. *ibid. reſ.* 14. Quod autem Iuriſconſulti citant contra libertatem Eccleſiaſticam, *cap. filijs, vel nepotibus.* 17. *quæſt.* 7. Reſpondendum hoc ius fuiſſe ſublatum, & abrogatum ab Innocentio III. *ibid. reſ.* 15.

8 Iudex laicus inueniens Clericos exportantes pecuniam, aut frumentum è Regno contra leges, non poteſt ea illis auferre; quia non habet poteſtatem coercitiuam in Clericos: tenentur tamen Clerici ſtatuta Principum obſeruare, quæ ad bonum commune referuntur. *ibid. reſ.* 16.

9 Legatus natus non poteſt in Regulares exemptos iuriſdictionem exercere. *ibid. reſol.* 17.

10 Epi-

Digitized by Google

10 Epiſcopi, & Eccleſiaſtici non poſſunt a Principe, aut eius Cōſiliarijs, regno pelli tamquàm ſeditioſi, & perturbantes pacem, ac Rempubl. niſi de licentia Summi Pōtif. aut niſi tanta vrgeat neceſsitas, vt ſit euidēs periculum in mora. *ibid.reſ.* 18. *&* 4.*par.tr.* 1.*reſ.* 81. Neque poſſunt tranſmitti cum Summum Pontificem, vt ab illo plectantur; hæc enim eſſet velata Epiſcoporum expulſio. 5. *part. tract.* 1.*reſ.* 5.

11 Princeps ſæculares, aut eorum miniſtri punire non poſſunt Clericum læſæ Maieſtatis reum; nec delinquētem in officio ſibi à Principe conceſſo: quia Clerici ſunt exempti a iuriſdictione ſæculari, quoad perſonas, & bona. *ibid. reſ.* 19. *&* 20.

12 Clericus non poteſt compelli ad comparendum coram Iudice laico, tamquàm creditor, aut legatarius in confectione inuentarij. *ibid.reſ.* 21.

13 Clericus depoſitarius non poteſt per Iudices laicos compelli ad reſtitutionē depoſiti, vel ſequeſtri. *ibid.reſ.* 22.

14 Debitor petens admitti ad beneficium ceſſionis bonorum, non poteſt trahere Clericum creditorem ſuum ad forum ſæculare, ſed debet adire Epiſcopum. *ibid.reſ.* 23.

15 Clericus hæres Laici non tenetur coram Iudice ſæculari proſequi litem iam inchoatam contra eum, cui ſucceſſit; ſed denuò eſt conueniendus ſuper eadem re coram Iudice Eccleſiaſtico. *ibid.reſ.* 25. *&* 4. *par.tract.* 1. *reſ.* 21.

16 Clericus qui ſine habitu, & tonſura perpetrat grauiſſima flagitia, non poteſt ante trinam monitionem a Iudice ſæculari puniri. *ibid. reſol.* 24. Qui verò aliquando dimittit habitum, & tonſuram, nō ideò amittit priuilegium fori, nec a Iudice laico eſt puniendus *ibi.reſ.* 24. Porrò qui incedit cum habitu, & tonſura, ſi deſeruiat alicui Eccleſiæ, aut in Seminario, vel aliqua vniuerſitate de licentia Epi-

Digitized by Google

ſcopi verſetur, gaudet priuilegio fori. *ibid.reſ.35.*

17 Iudex laicus non poteſt procedere nec criminaliter, nec ciuiliter contra eum, qui poſt admiſſum crimen factus eſt Clericus, & aſſumpſit habitum ea intentione, vt ſe ſubduceret iuriſdictioni ſæculari. Quia ſi confugiens ad Eccleſiam poſt delictum, animo euadendi iudicium ſæculare, gaudet immunitate; multò magis qui ſe Deo conſecrat. *ibid.reſ.27.*

18 Non eſt Iudicis laici cognoſcere de clericatu, vel habitu. Si tamen Clericus in habitu ſæculari captus eſt à Iudice laico, poteſt ab illo detineri, donec Iudex Eccleſiaſticus ferat declarationem: pendente verò tali cognitione, debet Iudex ſæcularis ſuperſedere; vbi autem comperit illum eſſe Clericum, debet illum ſtatim remittere ad Iudicem Eccleſiaſticum. *ibid.reſ.28.*

19 Nullus in minoribus Ordinibus conſtitutus gaudet iure fori, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum & tonſuram geſtans alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi deſeruiat, aut in Seminario, vel vniuerſitate verſetur quaſi in via ad maiores Ordines ſuſcipiendos. *ita Concil.Trident.ſeſſ.23.cap.6.ibid.reſ.29.* Vt autem quis dicatur habere beneficium, ſufficit vt habeat titulum, & collationem illius, licet nondùm habeat poſſeſſionem. *ibid. reſ.30.*

20 Clericus, qui habet penſionem ſuper aliquo beneficio, loco tituli gaudet, tamquàm beneficiatus, priuilegio fori. *ibid.reſ.31.*

21 Capellanus, cui capella in perpetuum, vel in titulum fuerit aſſignata, gaudet priuilegio fori; ſecùs autem ſi habeat capellam amouibilem; hæc enim non dicitur propriè beneficium. *ibid.reſ.32.*

22 Omnes Clerici etiam primæ tonſuræ gaudent exe-

ptione

:ione gabellarum, iure communi : licet in quibuſdam re-
ıis ex conſuetudine ſcita & approbata, Clerici minorum
rdinum non eximantur, niſi actu habeant beneficium;
eque neceſſe eſt Clericum, vt cenſeatur exemptus a ga-
llis, habere ea omnia, quæ requirit Conc. Trid. loquitur
im Concil. de priuilegio fori tantùm, non autem de pri-
egijs, quæ competunt Clericis de iure communi. *ibidem*
ol. 36. & 37.

23 Item Nouitij Religionum ſunt exempti à gabellis.
ıia ſunt pars communitatis Eccleſiaſticæ, ac proinde
ıſentur perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudent priuilegio fo-
& exemptione gabellarum. *ibid. reſ. 38.*

24 Non poſſunt imponi gabellæ ſuper bona Eccleſia-
orum, niſi publica neceſſitate id exigente, quando agi-
de vtilitate communi æquè principaliter tàm Eccleſia-
orum, quàm laicorum, & tunc requiritur deliberatio, &
ıſenſus vtrorumque. Quia quod omnes tangit, debet
omnibus approbari. Si verò in tali caſu clerus nollet
ıſentire, poſſent laici implorare auxilium Superioris
:leſiaſtici, vt compellat Clericos : nam a Superiore lai-
compelli non poſſent, quia eo ipſo, quòd perſona
rici eſt exempta a iuriſdictione ſæculari, exempta ſunt
m eius bona, ſiuè patrimonialia, ſiuè donata, ſiuè em-
ſiuè alio titulo quæſita; niſi annexam habeant gabel-
aliquam perpetuam & inuariabilem. *ibid. reſ. 39. 40.*
2. & 43.

5 Non licet Magiſtratui augere pretium carnis, olei,
, &c. in grauamen Clericorum. Sic enim ſoluerent ga-
ıs indirectè, quod per Bullam Cœnæ non licet, niſi ac-
ıt conſenſus Cleri. *ibid. reſ. 46.*

6 Clerici negotiatores amittunt priuilegium exem-
nis, & poteſt ab illis exigi gabella, non tamen ante

Digitized by Google

trinam monitionem. *ibid. reſol.* 47.

27 Principes imponentes gabellas, licet iuſtas, ſuper bona Eccleſiaſticorum, incurrunt in cenſuram Bullæ Cœnæ. Quia excommunicatio fertur in eos, qui imponunt gabellas, niſi in caſibus a iure permiſſis; at ius non permittit imponi gabellas ſuper bona Clericorũ, ergo. *ibid. reſ.* 48.

28 Princeps non poteſt imponere gabellam, & exigere ab Equitibus D. Iacobi, Alcãtaræ, & Calatrauæ. Quia hi Equites ſunt verè religioſi: neque coniugium obſtat, quia caſtitas coniugalis eſt etiam materia voti: ad hæc ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ. *ibid. reſ.* 50.

29 Clericus coniugatus ſi contraxit cum virgine, & tonſuram, & habitum clericalem geſtat, & alicui Eccleſiæ deſeruit, gaudet priuilegio fori, etiam in ciuilibus, neque ſubeſt iuriſdictioni ſæculari. *ibid. reſ.* 51.

30 Clericus aſſaſſinus, ſeu ſodomita notorius, non ſubeſt iuriſdictioni ſæculari, niſi poſt ſententiam criminis declaratoriam, à Iudice Eccleſiaſtico latam, per quam tradatur brachio ſæculari. *ibid. reſ.* 52.

31 Iudex ſæcularis ſecretò informationem faciens contra Eccleſiaſticum in cauſa criminali, etiam cum intentione illam poſteà præſentandi Prælato, violat immunitatem Eccleſiaſticam: nam ſe immiſcet cauſis Eccleſiaſticorum criminalibus, quod ſufficit ad incurrendam excommunicationem. *ibid. reſ.* 53.

32 Principes prohibentes laicis, ne vendant Eccleſiaſticis, ne molant, coquant panem, &c. incurrunt in excommunicationem: hoc enim derogat Eccleſiaſticæ libertati. *ibid. reſ.* 54.

33 Litteræ Principum hortatoriæ ad Summ. Pontif. aut Epiſcopos non violant Eccleſiaſticam libertatem. *ibid. reſ.* 55.

34 Iu-

4 Iudex laicus cùm agitur de poſſeſſorio matrimo-
non eſt competens; quia hic eſt aliquid ſpirituale ad-
tum. *ibid. reſ.* 56.

5 Statutum, quo mulier, eiuſque liberi priuantur hæ-
tate, ſi illa extra territorium nubat, eſt contra immu-
tem Eccleſiaſt. quia matrimonia libera eſſe debent ab
ni coactione. *ibidem reſol.* 57.

6 Statutum ne immobilia alienentur in extraneos, &
leſiaſticos, aduerſatur Eccleſiaſticæ libertati: nullo
n iure, nec naturali, nec diuino id prohibetur, imò nec
nano. Secùs autem ſi in ſtatuto Eccleſiaſtici non expri-
ntur, quamquàm Epiſcopi cogere poſſunt ita ſtatuen-
vt declarent Eccleſiaſticos illo ſtatuto non compre-
di. *ibid. reſ.* 58.

7 Statutū Principis, quo excludit, ſeu excipit aliquos
er quos nominat quemdam Eccleſiaſticum) à priuile-
quo ciuitas fruitur, officit Eccleſiaſticæ immunitati:
ı tollit illi priuilegium quo fruuntur Clerici iure com-
ni, quandoquidem eſt toti communitati conceſſum.
nen Princeps nullam faceret iniuriam Eccleſiaſticis, ſi
priuilegium in poſterum omnibus in vniuerſum de-
aret. *ibid. reſ.* 59. Item ſi Princeps ſtatuat ne ſuis priui-
js fruantur ij, qui ſubditi non ſunt, facit contra liberta-
Eccleſiaſticam: quia de iure communi Clerici frui
unt beneficio priuilegiorum alicui communitati con-
orum. *ibid. reſ.* 60. Priuilegium à Principe, vel Repub.
icis ſemel conceſſum, non poteſt ampliùs reuocari; &
atum abrogans eiuſmodi priuilegium violat Eccleſia-
m immunitatem. *ibid. reſ.* 61.

8 Princeps, vel Reſpubl. ſtatuens, ne in ſuo dominio,
leſiæ, vel Monaſteria conſtruantur ſine ſua licentia, de-
unt immunitati Eccleſiaſticæ, & edicto Conſtantini

Digitized by Google

Imper. quo conceſſit facultatem ædificandi Eccleſias per totum orbem. *ibi. reſ. 62.*

39 Statutum, quo Princeps cauet, ne quis ſine ſua facultate adeat poſſeſſionem alicuius beneficij, eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, niſi Princeps ex priuilegio Rom. Pontif. habeat collationem beneficiorum, vel priuilegium, vt in ſua ditione nullus externus beneficium obtineat. *ibid. reſ. 63.*

40 Bona Eccleſiæ, à Principe, aut Republ. alienari non poſſunt. *ibid. reſ. 64.*

41 Princeps, aut Magiſtratus non poteſt diſponere de ijs quæ ad funera, & exequias pertinent, in ijs, quæ ſpectant ad Clerum, vel cultum diuinum; poteſt tamen prohibere abuſum, & luxum circa pompam funeris. *ibid. reſ. 65.*

42 In dubio an aliquod ſtatutum officiat Eccleſiaſticæ immunitati, tenenda eſt opinio, quæ fauet Eccleſiæ. *ibid. reſ. 66.*

43 Non eſt Iudicis laici cognoſcere cauſam, in qua agitur, vt quis v. g. recuperet beneficium, à quo eſt per vim eiectus: hoc enim eſt Eccleſiaſtici iuris. *ibid. reſ. 67.*

44 Ad Principem & Magiſtratum laicum non pertinet diſcutere poteſtatem Nuntij à Pontifice miſſi. *ibidem reſol. 68.*

45 Statutum prohibens ne vinum, aut frumenta extra territorium exportentur, Clericos non comprehendit, quibus licet exportare fructus ex ſuis prædijs collectos. *ibid. reſ. 69.* Neque item ſtatutum prohibens vinum, aut frumenta extra territorium collecta in ciuitatem importari: hoc enim ſpectat ad priuatum commodum tantùm. *ibid. reſ. 70.*

46 Eccleſiaſtici hæredes inſtituti, non conficientes inuentarium, non tenentur vltra vires hæreditatis omnibus credi-

ditoribus in ſolidum. Quia talis lex non comprehendit :ricos defectu iuriſdictionis. *ibid. reſ.* 71.

46 Clericus vendens vinum, frumentum, &c. vltra tium taxatum, non obligatur ad pœnam iniunctam. ıia neque Princeps, neque Magiſtratus habent in Cleriius coercitiuum. *ibid. reſ.* 72.

48 Princeps non poteſt per ſtatutum irritare aliqua amenta, quæ in certis contractibus apponuntur: quia res merè ſpiritualis. *ibid. reſ.* 74.

49 Statutum Principis, aut Magiſtratus, quo cauetur filij poſſint contrahere ſine conſenſu patris, alioquin lant hæreditate, non eſt validum: quia diſponit de ſpiri- libus, atque adeò repugnat Eccleſiaſticæ libertati. Lainim nihil poſſunt ſtatuere quod matrimonij liberum ıſenſum impediat. *ibid. reſ.* 75.

50 Si omnes ciues contribuant ad ſternendam lapidi- ; viam, quæ eſt ante ianuam ipſorum, Eccleſiaſtici, qui habent domum, tenentur quidem contribuere; ſi tan nolint, non poſſunt à ſæculari Iudice cogi; ſed per licem Eccleſiaſticum id fieri debet. Idem dicendum de eris contributionibus in publicum commodum fieri tis. *reſ.* 76.

51 Clericus falſa menſura triticum, vel oleum venıs, non poteſt puniri à Iudice ſæculari. *ibid. reſ.* 77.

52 Cognitio vſuræ, quando quæſtio eſt facti, tàm peret ad laicum, quàm ad Eccleſiaſticum Iudicem: quanverò eſt quæſtio iuris, propriè pertinet ad Eccleſiaſtin. *ibid. reſ.* 78.

53 Clericus coniugatus, qui habitum & tonſuram deſuerat, ſi illa reaſſumat, gaudet priuilegio fori. *ibidem ol.* 80.

54 Iudex laicus non poteſt procedere contra pe-

Digitized by Google

cora clericorum, quæ in alienis paſcuis inuenta fuerunt; quia non poteſt ferri ſententia à Iudice in pecora, cùm non ſint capacia, neque in perſonas quæ non ſubſunt Iuriſdictioni ſæculari. *ibid. reſ.* 81.

55 Sacrilegium eſt mixti fori, tamq. pertinet ad Eccleſiaſticum, quàm ad ſæculare tribunal. *ibid. reſ* 82.

56 Epiſcopus non poteſt viſitare hoſpitale, ſi fundator in fundatione Epiſcopum excluſit a viſitatione, etiamſi Epiſcopus non conſenſiſſet. Ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio. *ibid. reſ.* 84.

57 Tertiarij S. Franciſci ſi collegialiter viuunt, & Tertiariæ ſi virginitatem, ſeu cęlibem vitam expreſsè vouerũt, etiamſi habitent in proprijs domibus, gaudent priuilegio fori. Ex declaratione Cõgregationis Cardinal. *ibi. reſ.* 85.

58 Poteſt Eccleſiaſticus Iudex cognoſcere inter laicos de alimentis filio ſpurio debitis: nam illa cauſa eſt mixti fori. Poteſt igitur ſpurius petere alimenta coram Iudice Eccleſiaſtico, ſi velit. In præbendis autem alimentis, habenda eſt ràtio diuitiarum, & qualitatis patris. *ibid. reſ.* 86.

59 De adulterio ad pœnam ſanguinis imponendam, ſolus Iudex ſæcularis eſt competens; quoad alias verò pęnas eſt mixti fori. In cauſa verò diuortij, ſolus Eccleſiaſticus Iudex eſt competens ad cognoſcendum de adulterio. Imò ſi de ſola ſeparatione ad tempus ob lepram, vel aliud impedimentum, agatur, ſolus Eccleſiaſticus Iudex eſt cõpetens. *ibid. reſol.* 87. *&* 4. *par. tr.* 1. *reſ.* 16. *verſ. Sed hæc.*

60 Eccleſiaſticus Iudex poteſt punire laicos concubinarios, poſt primam quidem admonitionem, pęna pecuniaria, pęna verò excommunicationis poſt trinam admonitionem. Notandum tamen concubinatum eſſe crimen mixti fori. *ibid. reſ.* 88.

61 Eccleſiaſticus Iudex in criminibus mixti fori, poteſt

Digitized by Google

teſt laicos ſine auxilio brachij ſæcularis, in carcerem Eccleſiaſticum detrudere. *ibid.reſ.*89.

62 Quæſtio Iuris circa decimas, ad ſolum Iudicem Eccleſiaſticum pertinet. In quæſtione autem facti, Iudex laicus competens erit; eſt enim mixti fori 1.*par.tr.*2.*reſ* 89. At cognitio decimarum, quæ ſæcularibus in feudum dantur, ad Iudicem Eccleſiaſticum pertinet. *ibid. reſol.*90. & 91. & 4.*par.tr.*1.*reſ.*56. Si verò Clerici petant decimas à laicis, qui conſuetudine immemorabili eas, numquàm perſoluerint; huius cauſæ cognitio pertinet ad Iudicem Eccleſiaſticum.*ibid.reſ.*92.

63 Iudex laicus non poteſt ſimul cum Iudice Eccleſiaſtico cognoſcere de decimis titulo compromiſſi.*ibi.reſ.*93.

64 Laicus conductor decimarum coram ſolo Iudice Eccleſiaſtico eſt conueniendus. *ibid. reſ.*94.

65 Dandus eſt tutor ſeu curator clerico minori, vel mente capto, à Iudice Eccleſiaſtico. Pertinet tamen ad Iudicem laicum facere inuentarium bonorum Clerici mortui, qui filios minores reliquit. *ibid.reſ* 95.

66 Concordata Pontificis cum Rege aliquo ſunt priuilegium reuocabile; an verò ſint per Bullam Cœnę reuocata, in vtramque partem à DD. diſceptatur. *ibid.reſ.*96.

67 Familia Epiſcopi licet laica, gaudet priuilegio fori, neque poteſt Iudex laicus in illam inquirere. Idem dicendum de officialibus Epiſcopi. *ibid. reſol.*98. Idem dicendum de familia Epiſcopi Titularis, & aliorum Prælatorum habentium territorium, & iura Epiſcopalia cum poteſtate iuriſdictionis. 5.*par.tract.*1.*reſ.*24 Ideòque poteſt Epiſcopus excommunicare Iudices laicos, qui volunt cognoſcere delicta ſuorum. *ibid.* & 4.*par.tr.*1.*reſ.*30.

68 Tranſacto anno à iure, executoribus teſtamenti ceſſo, Epiſcopus fit executor vltimæ voluntatis defun-

cti,

ſti, etiam quoad legata profana. *ibid. reſ.* 99.

69 Quando clericus clericum inſtituit hæredem, vel laicus condidit teſtamentum ad pias cauſas, publicatio teſtamenti pertinet etiam ad Iudicem Eccleſiaſticum. *ibid. reſ.* 100.

70 Confraternitates, & hoſpitalia, quæ ſunt ſub protectione Regum, ex communi DD. ſententia, non ſunt ab Epiſcopis viſitanda. *ibid. reſ.* 101.

71 Appellationes, quæ dicuntur tuitiuæ, & dantur ne pendente appellatione ad Romanam Curiam cõtra reum procedatur, non ſunt à Iudicibus Laicis in cauſis Eccleſ. concedendæ: offendunt enim Eccleſiaſticam libertatem; poteſt autem Clericus, vel Laicus oppreſſus recurrere in eiuſmodi cauſis ad Iudicem Eccleſiaſticum, qui ſolus eſt competens. *ibi. reſ.* 103.

72 Lex prohibens ne bona vulgò dicta de *Realengo*, ſine licentia Regis ad Eccleſias transferantur, eſt contra Eccleſiaſt. immunitatem. *ibid. reſ.* 104.

73 Quibuſdam Iuſtiniani Imperatoris Conſtitutionibus circa perſonas & cauſas Eccleſiaſt. communi iure derogatum eſt, vtpote iniquis. *ibid. reſ.* 106.

74 Clericus in ciuilibus poteſt ſe Iudicis laici arbitrio ſubijcere; non tamen ab illo cogi, vt ſtet illius ſententiæ. *ibid. reſ.* 107.

75 In cauſis mixti fori, ſemel accuſatus apud tribuna Eccleſiaſticum, non poteſt iterùm accuſari apud ſæculare *ibid. reſ* 108. Eccleſiaſticus Iudex non tenetur in cauſis mixti fori oſtendere proceſſum Iudici laico, cuius brachium implorat: nam ad laicum Iudicem pertinet nuda executio. *ibid. reſ* 109.

76 Clericus coram laico Iudice falſum teſtimonium dicens, ab eo puniri non poteſt. *ibid. reſ.* 110.

77 Iu-

77 Iudex laicus de rebus Eccleſiaſticis non poteſt incidenter cognoſcere; quia eſt incompetens, & incapax. Poteſt verò Eccleſiaſt. Iudex de cauſis profanis incidenter cognoſcere, quia eſt quidem incompetens, ſed non incapax. *ibid. reſ.* 111.

78 Filius Clerici, qui etiam eſt Clericus, a Principe laico legitimari non poteſt. Quia legitimatio eſt actus Iuriſdictionis *ibid. reſ.* 112.

79 Epiſcopus poteſt delegare Iudici laico cauſam Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis merè ciuilem. *ibid. reſ.* 113.

80 Princeps ſæcularis poteſt impedire, ne fiat iuramentum; ſi tamen fiat, erit obſeruandum, niſi Epiſcopus relaxet. *ibid. reſ.* 114. & 115.

81 Poteſt Iudex ſæcularis cogere laicum ad condonandam obligationem iuramenti, metu, aut iniuria extorti, ſi id, de quo agitur, pertinet ad forum ſæculare, & non eſt dubium de turpitudine recipientis. *ibid. reſ.* 116.

82 De dote puellæ pauperi teſtamento relicta, eſt Iudicis Eccleſiaſtici cognoſcere principaliter, & ad inſtantiam partis. *ibid. reſ.* 117.

83 Viduæ, pupilli, &c. perſonæ oppreſſæ etiam ſine Iudicis ſæcularis negligentia, poſſunt aduerſarios ſuos trahere ad Eccleſiaſticum tribunal. *ibid. reſ.* 118.

84 Clericus relegatus a Iudice Eccleſiaſtico, ſi durante relegatione fiat laicus, & frangat relegationem poteſt a Iudice Eccleſiaſtico puniri. *ibid. reſ.* 119.

85 Non eſt neceſſe Iudicem Eccleſiaſticum præmittere cenſuras antequàm imploret brachium ſæculare: ſi tamen Iudex laicus nolit brachium ſuum præſtare, poteſt ad cogi per excommunicationem. *ibid. reſ.* 121.

86 Summus Pontif. in toto orbe Chriſtiano poteſtatem ſeu iuriſdictionem non habet directè in temporalia;

ex

ex vi tamen Pontificij muneris, vt defendatur Eccleſia, habet ſufficientem poteſtatem indirectè ſuper omnia ſæcularia negotia in ordine ad finem ſupernaturalem. *ibid. reſol.* 122.

87 Quando oritur grauis controuerſia inter duos Chriſtianos Principes, nec vllus eſt arbiter, poteſt & debet Sũmus Pontifex, vt obuiàm eat incommodis contra bonum ſpirituale inde naſcituris, de ea cognoſcere. *ibid. reſ.* 124.

88 Priuilegium exemptionis a iuriſdictione temporali fuit Clericis conceſſum ante tempora Conſtantini; vt patet ex Concilio tertio Carthaginenſi, *can.* 9. vbi damnat Epiſcopos, & Eccleſiaſticos ad iudicia ſæcularia confugientes. *ibid. reſ.* 127.

89 Non poteſt Princeps ſæcularis leges cõdere ad ſubſtantiam matrimonij pertinentes: licèt enim materia huius Sacramenti ſit contractus, hæc tamẽ materia per Chriſtum facta eſt ſacra. *ibid. reſ.* 128.

90 Religioſus profeſſus, qui miſcuit ſe enormibus delictis, ante trinam monitionem, non eſt a Iudice laico puniendus. Neque a Superiore degradandus eſt, nec Curiæ ſæculari tradendus inconſulto Rom. Pontif. *ibid. reſ.* 130.

91 Iudex Eccleſiaſticus eſt competens in cauſis ſponſaliorum, præſertim cùm agitur de ipſorum valore. *ibid. reſol.* 131.

92 Ad Iudicem tantùm Eccleſiaſticum ſpectat, pendente lite ſuper matrimonio, vel ſponſalitijs, puellam ſequeſtrare ad explorandam eius voluntatem. *ibid. reſ.* 132.

93 Inquiſitores poſſunt procedere contra Iudices laicos, qui hæreticos ſibi relictos nõ ſtatim ad mortem damnant; neque propterea incurrunt irregularitatem, ita decernentibus Paulo IV. & Pio V. *ibid. reſ.* 135.

94 Inquiſitorum iuriſdictio in familiares, & officiales ſuos,

ſuos, etiam extra hæreſim, eſt Eccleſiaſtica. *ibi.reſ.*136.

95 Iudex Eccleſiaſticus poteſt cognoſcere de cauſa laici ſimul delinquentis cum Clerico: cùm enim Eccleſiaſticus Iudex ſit dignior laico, ipſius erit vtrumque reum iudicare. 3.*par.tract.*1.*reſ.*1.

96 Iudex laicus non poteſt cognoſcere de cauſa hæreſis, etiam in quæſtione facti. *ibid.reſ.*2.

97 Lex inualidans donationem omnium bonorum factam a patre, filio clerico, multis DD. videtur eſſe contra immunitatem Eccleſiaſticam; quia non poteſt lex ciuilis hanc præſumptionem inducere, vt alienatio bonorū facta in fauorem Eccleſiæ, fieri videatur in fraudem fiſci, *ibid.reſ.*3.

98 Non poteſt Iudex laicus exequi ſententiam a ſe latam contra Clericum, in caſibus, de quibus poteſt cognoſcere; ſed relinquenda eſt executio Iudici Eccleſiaſtico. *ibid.reſ.*4.

99 Rex de licentia Summi Pontif. poteſt detinere Epiſcopum, eoque vti ad regni adminiſtrationem, ſi ita expediat propter bonum commune; ſi verò nulla adſit neceſſitas publica, Epiſcopus obligatur ad reſidentiam. *ibidem reſol.*5.

100 Epiſcopi feudatarij Regis, tenentur potiùs obedire Pontifici, ſeu Metropolitano, quàm Regi. *ibid.reſ.*6.

101 Filij Clericorum legitimi, viuente patre, gaudent priuilegio fori. *ibid.reſ.*7.

102 Reges & Imperatores ex ſpeciali priuilegio, ab Epiſcopis excommunicari non poſſunt, ob reuerentiam Imperialis, & Regiæ maieſtatis; Officiarij verò, & Conſiliarij eorum poſſunt. *ibid.reſ.*9.

103 Clerici tenentur ſoluere collectam certam, & inuariabilem impoſitam per[illegible]m, ſuper aliquia bona

priuſ-

priuſquàm ad eos perueniſſent. *ibid.reſ.* 17.

104 Iudex Eccleſiaſticus poteſt præcipere Iudici ſæculari ſub pœna excommunicationis, vt ſuperſedeat executioni contractus, donec decidatur an ſit vſurarius, nec ne. *ibi. reſ.* 18.

105 Iudex laicus non poteſt exigere gabellas a colonis Regularium: quia bona, & prædia Regularium ſunt exempta ab hoc onere. Tenentur tamen dicti coloni ſoluere gabellam ex fructibus collectis, ſi eos aliò transferant, aut alienent; tunc enim cenſentur bona laicorum. *ibid. reſ.* 19.

106 Itē coloni laici Regularium, qui eorum agros conducunt, exempti ſunt à ſolutione decimarum; quia hoc priuilegium exemptionis eſt reale. *ibid. reſ.* 23.

107 Si Eccleſia, vel perſona priuilegiata concedat domum, vel agrum incenſum emphyteuticum redimibilem, emphyteuta non gaudebit priuilegio exemptionis; quia tunc dominium non remaneret penes Eccleſiaſticum, ſed ſolùm ius recipiendi annuam penſionem; ſecùs eſt de alijs emphyteutis Eccleſiæ. *ibid. reſ.* 24.

108 Conſeruatores Religioſorum poſſunt procedere contra eorum debitores laicos. *ibid. reſ.* 20.

109 Reges & Princepes nō habent ius conuocandi Epiſcopos & eis præcipiendi; quia iure diuino ſunt exempti à Principum ſæcularium iuriſdictione: poſſunt tamen eos rogare, & vocare vt proceres. *ibid. reſ.* 27.

110 Nouitius non poteſt a Iudice laico puniri ob delictum ab eo commiſſum ante ingreſſum religionis, etiam ſi hoc fecerit in fraudem, niſi fortè pœna pecuniaria: ſed neque hoc videtur attendendum, an ſit cum fraude ingreſſus, necne, ſed ſimpliciter à Iudice Eccleſiaſtico debet iudicari. *ibid. reſ.* 33.

111 Nouitius poſtquàm Religionem deſeruit, non poteſt

Digitized by Google

teſt puniri à Iudice laico propter delictum perpetratum tempore Nouitiatus. *ibid.reſ.34.*

112 Epiſcopo debet certò conſtare de delicto in Bulla excepto, antequàm tradat reum Curiæ ſæculari: ſic enim Pontifex præcipit in Bulla. Sin Epiſcopus tulit ſententiam in fauorem rei, non poteſt Iudex ſæcularis de tali ſententia appellare. *ibid.reſ.38.*

113 Ad Principes ſæculáres nõ ſpectat curare, vt Epiſcopi reſideant in ſuis Eccleſijs, ne Eccleſiaſt. bona diſſipent, &c. Quia nullam in Clericos habent poteſtatem. Poſſunt tamen monere Summ. Pontif. vt curet diſciplinam Eccleſiaſticam ab Epiſcopis ſeruari. *ibid.reſ.42.*

114 Ius congrui ſeu retractus non habet locum in Clericis paſſiuè, ſed actiuè tantùm. Ideò poſſunt Clerici iure congrui agere contra laicos, non autem laici in Clericos: quia ſtatuta laicorum prodeſſe poſſunt Clericis, non autem nocere. *ibid.reſ.43.*

115 Vxor Sacerdotis Greci, vel Latini Clerici minorum ordinum gaudet priuilegio fori, ſi vir gaudet: quia vxor ratione matrimonij ſortitur forum viri: neque illud amittit per mortem viri, niſi alteri nubat. *ibid.reſ.45.*

116 Familia Vicarij Epiſcopi gaudet priuilegio fori. *ibid.reſ.46.* Serui etiam Clericorum perpetui, licèt Mauri, aut Turcæ; imò fortè etiam conductitij, eodem priuilegio gaudent. *ibid.reſ.47.*

117 Ad declinandum forum Iudicis laici, ſufficit poſſeſſio Clericatus. Prima tonſura vnius teſtimonio ſufficienter probatur. *ibid.reſ.48.*

118 Si adſit clauſula de non alienando, non poteſt fieri executio per ſæcularem Iudicem in prædio, quod Clericus à Laico obtinuit. *ibid.reſ.49.*

119 Ius decimarum Eccleſiaſticum eſt, etiamſi fuerint

Prin-

Principibus, vel alijs ſæcularibus in feudum datæ. Si tamen auctoritate Rom. Pontif. fuerunt ad Principes tranſlatæ contractu permutationis, quia ipſi in re alia æqualis pretij vel maioris compenſant, tunc cauſa decimarum pertinet ad laicum Iudicem, ratione permutationis. *ibid. reſ.* 50.

120 Auocatio cauſarum ſpiritualium ad laica tribunalia eſt vetita ſub cenſura Bullæ Cœnæ, etiamſi auocetur ab alijs Iudicibus Eccleſiaſticis, quàm à Iudicibus Sedis Apoſtolicæ. *ibid, reſ.* 55. Neque Iudices laici auocantes ad ſe cauſas Eccleſiaſtic, excuſantur ex tolerantia Summi Pontificis, quæ nulla eſt, reclamante Bulla Cœnæ. *ibid. reſ.* 56. Priuilegium autem cognoſcendi cauſas Eccleſiaſticas Principibus conceſſum, à Papa poteſt reuocari, vtpote odioſum; non tamen ſine iuſta cauſa, ſi fuit conceſſum in remunerationem. *ibid. reſ.* 57.

122 Clericus in feudalibus poteſt conueniri coram Iudice laico, quia non ſubijcitur iudicio domini feudi tamquàm perſona Eccleſiaſtica, ſed tāquā Dux, Marchio, &c. *ibid. reſ.* 59.

123 Poteſt Iudex Eccleſiaſticus punire laicum deponentem falſum: ſed non contra: quia Iudex Eccleſ. habet iuriſdictionem in laicum, ratione periurij. *ibid. reſ.* 60.

124 Habens coadiutoriam a Papa conceſſam, gaudet priuilegio fori, quia cenſetur beneficiatus. Item Clericus, qui obtinuit quod non poterat obtinere, quia illegitimus, irregularis, &c. ſi reipſa eſt in poſſeſſione beneficij. *ibidem reſol.* 62.

125 Ille cenſetur priuilegio fori gaudere, qui eo vtitur veſtium genere, vt ſi a populo videatur, Clericus iudicetur: ſi autem dubitetur an habitus ſit Clericalis, necne, cognitio pertinet ad Iudicem Eccleſiaſticum. *ibid. reſol.* 63.

126 Licèt ex priuilegio concedi poſſit per Papam collatio

latio beneficiorum Principi laico, nulla tamen conſuetudine, aut prçſcriptione etiam immemorabili, acquiri poteſt. *ibid. reſol. 65.*

127 Si conſtet aliquod ſtatutum officere Eccleſiaſticæ libertati, debet Epiſcopus præcipere vt tollatur; ſi id non fiat, debet ipſe auctoritate ſua tollere, & inualidum declarare. In dubio verò, an ſtatutum ſit contra libertatem Eccleſiaſt. poteſt cogere conditorem ſtatuti, ad declarandũ Clericos non comprehendi. *ibid. reſ. 68.*

128 Iudex laicus poteſt dirimere controuerſias ortas inter Confraternitates in proceſſione. Cùm autem agitur an aliquis ſit admittendus in confraternitatem; an ſit legitimè quis electus Rector illius, &c. hæc cognitio pertinet ad Epiſcopum, aut eius Vicarium. *ibid. reſ. 70.*

129 Clericus, qui dimiſiſſet habitum clericalem, ſed poſteà illum reaſſumeret, & etiam ſine licentia Epiſcopi, gauderet priuilegio fori. 4. *par. tr.* 1. *reſ.* 18. *verſ. Notandum eſt.* Itemque gaudet priuilegio fori Clericus incedens in habitu, & tonſura deſcriptus in Catalogo ſcriptorum, qui in Synodo diœceſana obedientiam præſtitit Ordinario, & per paucas vices in Choro, & proceſſionibus interfuit, attentis circumſtantijs quamuis alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi non inſeruiat, vel beneficium Eccleſiaſticum nõ habeat. *ibid. verſ. Nota ſecundò.*

130 Clerici in minoribus obſeruantes requiſita Conc. Trident. gaudent omnibus priuilegijs, quibus gaudent Clerici in ſacris conſtituti. 4. *par. tr.* 1. *reſ.* 10. *&* 20. Imò etiamſi non deſeruiat Eccleſiæ ad certum miniſterium ex Epiſcopi mandato, gaudet fori priuilegio. *ibid. reſol.* 2. Et quamuis habitum, & tonſuram deferat. *reſ.* 5. *& reſol.* 23. *verſ. Sed negatiua.*

131 Clericus, qui commiſit delictum tempore, quo erat

Digitized by Google

Clericus,& poſteà vxorem duxit, puniendus eſt ab Epiſco po,& non a Iudice laico. *ibid.reſ.6. verſ.Sed ego. & 4.par. tr. 1.reſ.6.* Itemque Clericus coniugatus,qui poſt commiſſum delictum, tempore, quo omnia requiſita habebat, vt fori priuilegio gauderet, effectus eſt bigamus iniens alium matrimonium, puniendus eſt ab Epiſcopo. *ibid.verſ.Idem dicendum.*

132 Clerici non poſſunt conueniri coram Iudice laico pro damno, & noxa data a ſuis animalibus, neque tenentur ad pœnas impoſitas. *ibid.reſ.8.verſ.Nota etiam hic. & reſ.80.* Nec compelli ab ædili, vt domum ruinoſam deſtruant, ne vicinis noceat, nec pro plateis mundandis, vbi ipſi degunt pęnis pecuniarijs affici. *ibi.verſ.Nota ſecundò.*

133 Eremitæ gaudent fori priuilegio, ſi edito voto paupertatis, vel alia ſuſcepta obligatione apud Prælatum Eccleſiaſticum,vel Epiſcopum ordini,vel alicui Eccleſiæ ſpeciatim addicti ſint. *4.par.tr.1.reſ.35.*

134 Oblati viuentes in aliquo Monaſterio gaudent priuilegio fori, ſi habeant hæc requiſita. 1. quod alicui Religioni probatæ eorum perſonam per legitimam, & expreſſam dedicationem obtulerint. 2. quod fiat oblatio nulla bonorum reſeruatione,aut eorũ vſusfructus facta. 3.quòd in eorum domibus, & cum vxoribus non commorentur. 4. quòd perpetuò ſtent,& ſeruiant Religioni. 5.quòd modo debito Religionis portent habitum a ſæcularibus euidentiùs diſtinguentem.*ibid. reſol.31.* Ideòque dicti oblati quoad delicta ante oblationem commiſſa gaudent priuilegio fori, ſi abſque fraude ſe, & ſua Monaſterio obtulerint; quòd ſi fraus ſubſit,poſſunt a Iudice laico puniri pęna pecuniaria, ſed non corporali. *ibid. verſ.Obſerua.* Homines item, vel mulieres inſeruientes Monialibus ad petendas pro ipſis eleemoſynas, aſſumpto habitu Religioſo,

gau-

gaudent fori priuilegio.*ibid. verſ. Notandum.*

135 Confraternitates laicorum, & Collegia quamuis per laicos regantur, probabiliter cenſentur gaudere priuilegio fori, itaut ſint Epiſcopis ſubiecta, ſi præcipuè exerceantur in ipſis opera charitatis, & exercitia ſpiritualia, & a fortiori id procedit in Hoſpitalibus, licèt non fuerint erecta auctoritate Epiſcopi. *ibid. reſ.* 37.

136 Clerici in Sacris, vel Beneficiati, qui condignè non puniuntur in foro Eccleſiaſtico, non poſſunt à Rege priuari bonis ab ipſo Rege obtentis, niſi exiſtat aliquod priuilegium Pontificium. 4. *part. tract.* 1. *reſ.* 4.

137 Apoſtatæ non poſſunt puniri a Iudice laico, quia Apoſtaſia non eſt peccatum ſpecie diſtinctum ab hæreſi. 4. *par. tr.* 1. *reſol.* 12.

138 Laicus relegatus à laico per certum tempus, ſi efficiatur Clericus, & frangat exilium, non poteſt pro dicta fractura a Iudice laico puniri, ſed ad Eccleſiaſticum ſpectat. 4. *p. tr.* 1. *reſ.* 22.

139 Si quis efficiatur Clericus, poſtquàm lis contra eum coram Iudice ſæculari mota eſt, poteſt opponere declinatoriam pro remiſſione ad Iudicem Eccleſiaſticum. 4. *par. tr.* 1. *reſ.* 38.

140 Clericus non poteſt conueniri coram Iudice laico de re, quæ non habet connexionem cum petitione. Vnde ſi Clericus, non petat à laico centum ex cauſa mutui, & ille reconueniat Clericum, & petat commodatum, hoc caſu cùm diuerſæ ſint cauſæ, diuidendæ erunt, & Clericus ratione reconuentionis erit ad Eccleſiaſticum remittendus. 4. *par. tr.* 1. *reſ.* 65.

141 Clericus non poteſt conueniri in curia ſæculari neque pro debitis regalibus, quia per ſacros Canones Clerici ſimpliciter, & abſolutè exempti ſunt à Iudice ſæculari in

Digitized by Google

quocumque negotio. *ibid. reſ.66.*

142 Iudex laicus non poteſt cognoſcere an Clericus ſit bigamus. *ibid. reſ.71.*

143 Reges in nullo caſu poſſunt eſſe Iudices exemptorum, quia ſoli Papæ ſubduntur. *ibid. reſ.73.*

144 Iudex Laicus non poteſt cogere Clericum, qui ſpoliauit laicum ſua poſſeſſione, ad illam reſtituendam, ſed hoc fieri debet per Eccleſiaſticum. *ibid. reſol.74.*

145 Eccleſiaſticus vſurpans iuriſdictionem ſæcularem, & alia Regalia, non poteſt puniri à Iudice laico, aut ſaltem bonis temporalibus priuari, niſi de licentia Summi Pontificis. *ibid. reſ.77.* Neque item poteſt capi, aut ſaltem pœna pecuniaria mulctari à Iudice laico Eccleſiaſticus, qui impedit, vel reſiſtit iuriſdictioni laicali. *ibid. reſ.79.*

146 Notarius effectus Clericus non poteſt puniri à laico pro falſitate, quando erat laicus. *ibid. reſ.84.* Quòd ſi talis Clericus conficeret acta, & inſtrumenta; Iudex laicus debet requirere Epiſcopum, vt eum à tali exercitio prohibeat. *ibid. verſ. Sed difficultas.*

147 Iudex laicus non poteſt in nullis caſibus capere Clericos, niſi hæ tres conditiones concurrant. 1. vt præſumatur fuga, niſi Clericus capiatur. 2. Vt non potuerit à proprio Prælato impetrari mandatum. 3. Vt ſtatim Iudici proprio remittatur, nimirùm intra ſpatium 20. horarum. Imò ſi breuiore tempore poteſt illum Iudici Eccleſiaſtico remittere, non debet toto eo tempore illum detinere, alioquin incidit in excommunicationem. *ibid. reſ.85. & 5. par. tract. 1. reſ.22.*

148 Iudex laicus non poteſt capere laicum ſub prætextu eius prohibitionis, etiamſi ille habeat licentiam ab Epiſcopo laborandi in diebus feſtis. *ibid. reſ.94.* Neque poteſt punire aliquem, qui poſt diffamationem, & inquiſitionem homi-

homicidij ingreſſus ſit Religionem, etiam in fraudem. *ibid. reſ.* 95.

149 Neque etiam poteſt Iudex laicus incidenter cognoſcere nullitatem cenſurarum, & ordinare, vt ſæculares, & Eccleſiaſtici illas non ſeruent, & quòd tollantur cedulones à portis Eccleſiarum; quia hæ ſunt cauſæ ſpirituales. *ibid. reſ.* 98. Nec ſe intromittere in executione legati pij. *ibid. reſ* 99. Neque præſcribere numerum ſatellitum Epiſcoporum. *ibid. reſ.* 100. Nec conſuetudine acquirere ius collectandi Eccleſiaſticos. *ibid. reſ.* 101.

150 Poteſt Clericus conuenire laicum coram Iudice Eccleſiaſtico, non ſolùm pro rebus Eccleſiæ, ſed etiam pro fructibus. 5. *par. tr.* 1. *reſ.* 7.

151 Licèt Papa quicquid fauoris, aut priuilegij faciet Principi laico, ſit per illum reuocabile, ſi ita poſtulet ratio boni ſpiritualis, & bonum regimen ipſius Eccleſiæ; Principes tamen laici, ſi quid priuilegij, & fauoris faciunt Eccleſiæ, per aliqua concordata, vel priuilegia, non poſſunt illud reuocare, quia id faciunt Superiori, & non ſubdito, ideòque manet irreuocabile per illius poteſtatem. *ibid. reſol.* 14.

152 Si in aliqua terra vendantur comeſtibilia tantùm in vna taberna, poſſunt adhuc Clerici aperire tabernas, & vendere vinum, niuem, & alia recollecta in eorum prædijs. *ibid. reſ.* 20.

153 Statuta laicorum tunc dicuntur contra Eccleſiaſticam libertatem. 1. Quando Eccleſia, & perſonæ Eccleſiaſticæ prohibentur, aut impediuntur vti rebus, aut facultatibus à iure communi ſibi conceſſis. 2. Quando diminuũtur, vel tolluntur priuilegia Eccleſijs, & Clericis conceſſa à Deo, Summis Pontificibus, aut alijs Principibus ſæcularibus. 3. Quando Clerici, & Eccleſiaſticæ perſonæ timidio-

res efficiuntur. 4. Quando Clerici efficiuntur dete rioris conditionis, quàm laici. 5. Illa ſtatuta ſunt contra Eccleſiaſticam libertatem, quæ ſunt apta afferre Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis ſemper incommodum, etiamſi indirectè noceant Eccleſijs, quamuis diſpoſitio, & ſtatutum non diſponat ſuper illis, ſuper quibus Eccleſia haberet ſpecialia priuilegia. Notent hæc Confeſſarij. 4.*par.tr.*1.*reſ.*55.

154 Statutum, ſi tollat Clericis ea, quæ tam quàm ciuibus ſibi competunt, illicitum eſt, & contra Eccleſiaſticam libertatem, quia ob huiuſmodi ſtatuta Eccleſiaſtici timidiores fiunt, & eripitur eis facultas faciendi, quidquid eis fieri licet, in quo propriè conſiſtit Eccleſiaſtica libertas. 4.*par.tr.*1.*reſ.*15.

155 Si Iudex laicus ſtatueret, vt venditores debeant præſtare fideiuſſionem ad ſoluendas pœnas, & in hoc etiam includeret venditores vini Clericorum; vel ſi præciperet venditores vini non poſſe illud vendere, niſi in quarta domo diſtante ab Eccleſia: hæc ſtatuta ſunt illicita, & contra immunitatem Eccleſiaſticam. 4.*par.tr.*1.*reſ.* 52. Immò poſſunt Clerici per famulos ſuos vendere vinum, & ſimilia tàm ex patrimonialibus, quàm ex beneficialibus, non ſolùm in menſura magna, ſed etiam in minuta, neque ex hoc dicendus eſt negotiari. *ibid.*

156 Statutum laicorum prohibens generaliter librorum impreſſionem abſque illorum licentia, non comprehendit Clericos; quia ſæculares ſuper Eccleſiaſticos nullam facultatem habent. *ibid. reſ.* 60.

157 Conſuetudines laicorum, & Clericorum mixtę non dicendæ ſunt validæ, ſi ſint contra libertatem Eccleſiaſticam; quia cùm dicitur, quòd conſuetudo mixta poſſit operari in rebus, vel perſonis Eccleſiaſticis, intelligendum eſt de conſuetudine, quæ non præiudicat ſacris Canonibus;

bus; vel ſi præiudicat, in illa Pontifex conſentiat, ſaltem tacitè. *ibid reſ.* 69.

158 Reges non poſſunt ſtatuere, vt familiares Sanctæ Inquiſitionis non gaudeant fori priuilegio in aliquo delicto ſine conſenſu DD. Inquiſitorum; quia iuriſdictio quã Inquiſitores habent in ſuos familiares, eſt Eccleſiaſtica. *ibid. reſ.* 82.

159 Si Iudex laicus ſtatuat, ne cõcubinæ teneantur pro furtis ab ipſis factis, & hoc extendat ẽt ad cõcubinas Clericorum, ſtatutum eſt contra immunitatem Eccleſiaſticam, quia tollit Clericis, quod de iure communi illis competit, nimirùm actio furti. 4. *par. tr.* 1. *reſ.* 11.

160 Statutum, ſeu pragmatica prohibens laicis prorogationem iuriſdictionis alienæ, & hoc ne laici conductores bonorum Eccleſiaſticorum poſſint contra conueniri coram Iudice Eccleſiaſtico, eſt illicitum, vtpote contra libertatem Eccleſiaſticam. 5. *par. tr.* 1. *reſ.* 8.

161 Princeps ſæcularis non poteſt prohibere, ne inhibitoriæ, quæ ad Magiſtratus Regios mittuntur, ab Eccleſiaſticis promulgentur, priuſquàm ipſi Principi offerantur, vt de eius facultate publicentur; impediret enim Iuriſdictionem Eccleſiaſticam. 4. *par. tr.* 1. *reſ.* 9.

162 Laicus ratione fructuum præbendæ ſibi locatæ, debet conuenire coram Iudice Eccleſiaſtico, nec poteſt remiſſionem petere ad Iudicem ſæcularem. *ibid. reſol.* 24.

163 Quando cauſa deciſa fuit per duos Iudices vnum laicum, & alterum Eccleſiaſticum, appellatio facienda eſt coram Eccleſiaſtico, quia dignior trahit ad ſe minùs dignum. *ibid. reſ.* 54.

164 Eccleſiaſticus Iudex eſt competens ad cognoſcendum laicum pro re, quam in emphyteuſim tenet ab Eccleſia. Itemque Iuſpatronatus laicorum licèt non ſit propriè

ſpirituale, tamen quia annexum eſt ſpiritualitati, ideò ſuper illum Iudex ſolùm Eccleſiaſticus iudicat. Item Eccleſiaſticus cognoſcit de poſſeſſione rei ſpiritualis, quamuis huiuſmodi poſſeſſio ſit merè temporalis, & laicalis. Item de poſſeſſorio matrimonij. *ibid.reſ.* 56.

165 Cùm incidit quæſtio, cuius ſit iuriſdictio, Eccleſiaſticus eſt Iudex, cùm ſit maior. *ibid.reſol.64.*

166 Eccleſiaſticus Iudex poteſt punire laicum delinquentem in Eccleſia, etiamſi delictum non ſit Eccleſiaſticum, ſed ſeculare, & id ratione loci, in quo eſt commiſſum, & cenſendum eſt delictum mixti fori, in quo datur locus præuentioni. *ibid.reſ.67.*

167 Mortuo Epiſcopo, inuentarium pro ſpolio non poteſt fieri a Iudice laico, ſed ab Eccleſiaſtico, quia tàm mortui, quàm ſucceſſores dictorum bonorum ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ. *ibid.reſ.* 110.

168 Epiſcopus, quando cognoſcit an reus gaudeat necne immunitate Eccleſiarum, debet illum citare; quòd ſi ſpontè compareat non citatus reus, petatque audiri pro ſui iuris defenſione, audiendus omninò eſt, & in hoc caſu quouſque audiatur, poteſt ſe opponere ſententiæ Epiſcopi declarantis immunitatem illi non competere, quia agitur de eius graui præiudicio, & de iure naturæ ei competit defenſio. *ibid. reſ.* 112.

169 Epiſcopus non debet ſtare proceſſui facto a Iudice laico, ſi reus remittendus ſit, nec ne. Et hoc præcipuè ſi aliqua eſſet ſuſpicio contra teſtes examinatos a laico, vel Epiſcopus eſſet dubius. 5. *par.tract.* 1. *reſ.* 9.

170 Iudex laicus non poteſt cognoſcere de cauſa poſſeſſoria beneficij, ſi agatur inter duos Clericos, vel quando reus eſt Clericus, quia beneficium Eccleſiaſticum numquã ſine Canonica inſtitutione obtineri poteſt. *ibid. reſ.* 27.

171 Iu-

171 Iudex laicus, qui ab Epiſcopo excommunicatur, vel declaratur incurriſſe in excommunicationem latam, ſeu inflictam à iure, tenetur illi obedire, vt verè excommunicatus, licèt pro ſua iuriſdictione habeat probabilem opinionem. *ibid. verſ. Et tandem.*

172 Patres, & fratres Clericorum exempti ſunt ab oneres hoſpitandi milites, dummodo in domo communi habitent, quia priuilegium alicui conceſſum extenditur ad eius ſocios. 4. *par. tract.* 1. *reſ.* 32.

173 Emens victualia pro filio Clerico, aut Capellano ſuæ familiæ, non tenetur ſoluere gabellas, quia Clericus eſt ab omni exactione immunis pro ea parte, quam ipſe conſumit. 4. *par. tract.* 5. *reſ.* 175.

174 In donatione facta Eccleſiæ non requiritur inſinuatio. 4. *par. tr.* 1. *reſ* 63.

Eleemoſyna.

1 INdigentia pauperum eſt triplex; extrema, grauis, & communis, de quibus vide 5. *par. tract.* 8. *reſ.* 1. Bona verò, quæ ad ſubueniendũ neceſſitatibus erogari poſſunt, ad tria genera reuocãtur. Quędã.n. ſunt neceſſaria ad ſuſtentandã vitã propriam, & eorũ, qui ſub noſtra degũt cura: alia ſolùm ad ſtatũ conſeruandũ, alia, quæ abſolutè ſuperflua appellãtur, eo quòd nec ad naturæ, ſeu vitæ, nec ad ſtatus conſeruationem neceſſaria ſunt. *ibi. verſ. Suppono* 2.

2 In extrema neceſſitate non tenetur quis dare eleemoſynam lege iuſtitiæ, cùm nullum ſit idoneum argumẽtum tàm ſtrictę obligationis, ſed ſola lege charitatis, quòd ſi adeſſet aliqua obligatio iuſtitiæ, ſolùm eſſet pro tempore neceſſitatis, & ideò ſubſidiaria dicenda eſſet, ideſt in ſubſidium occurrentis neceſſitatis. *ibid. reſ.* 2.

3 Licet quiuis teneatur ſubuenire indigenti in extrema, vel graui, vel etiam communi neceſſitate, non tamen

ob

ob id debet inquirere pauperes; priuati enim homines ad id non tenentur, ſed ſolùm habere propoſitum ſubueniendi indigentibus. *ibid. reſ.* 3.

4 Pauperes in extrema neceſſitate conſtituti poſſunt implorare officium Iudicis contra diuites, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia. Imò Iudices poſſunt compellere diuites ad eleemoſynam non ſolùm in caſu extremæ neceſſitatis, ſed etiam quoties præceptum adeſt iure diuino, aut naturali, quoniam omnibus indigentibus Reſpublica prouidere debet. *ibid. reſ* 4.

5 Qui in extrema neceſſitate ſubuenit pauperi mutuando, ſatisfacit præcepto, quia præceptum ſubueniendi egeno impletur, ſi dentur quod ſufficit, vt liberetur ab indigentia in qua verſatur; ad id autem ſufficit mutuatio. *ibid. reſ.* 5. Idem dicendum de graui neceſſitate, *ibid. reſ.* 14. *verſ. Notandum.*

6 Diuites non tenentur redimere captiuos apud Turchas, quia captiuitas non eſt extrema neceſſitas, niſi fortè timeatur captiuum interiturum vel occiſione iniuſta, vel melancholia, vel cælorum inclementia, vel niſi captiuus ſit admodum nobilis, aut alioqui magnæ ſanctitatis, & vtilitatis in Republica. *ibid. reſ.* 6.

7 Si quis ante extremam neceſſitatem furatus eſt rem aliquam, quam poſteà in dicta neceſſitate conſumpſit, non tenetur ad reſtitutionem. *ibid. reſ.* 8. Idem dicendum de eo, qui in extrema neceſſitate accipit aliquam rem. *ibid. reſ* 9. Et de eo, qui ante extremam neceſſitatem accepit ab alio accommodatum, conductũ, vel precarium; non enim tenetur ad reſtitutionem, ſi illud in extrema neceſſitate conſumpſit. *ibid. reſ.* 10.

8 Quando creditor, & debitor ſunt in extrema neceſſitate, non tenetur debitor ſoluere creditori quod debet,

quia

quia in hoc caſu potiores partes ſunt debitoris, quàm creditoris. *ibid. reſ.* 11.

9 Si creditor, & pater, vel mater debitoris ſint in extrema neceſſitate, debitor tenetur priùs ſubuenire patri & matri extremè laboranti, quàm creditori; imò idem poteſt facere, & debet cum vxore, & liberis, & cum fratre, quia non teneor res in tali caſu abdicare cum detrimento vitæ meorum. *ibid. reſ.* 12.

10 Si plures diuites poſſunt vni pauperi ſuccurrere in extrema vel graui indigentia, quia omnes illum æquè norunt, omnes tenentur inſolidum, & æquè, itaut ſi nullus ſubueniat, omnes peccent, & quilibet integrè ſuccurrere tenentur, ſi alij omittant. Poſſunt tamen inter ſe conuenire, vt ſuccurrant per partes, & proportione ſeruata ad numerum, & ad diuitias: & eadem ratione poteſt vnus ſatiſfacere præbendo partem, ſi certò ſperet alios ex parte etiã contribuere. Nec tenetur vnus præuenire, donec alios conſulat, ſecùs ſi videat neminem eorũ opitulari. *ibid. reſ.* 13.

11 In graui neceſſitate tenemur præbere eleemoſynã de ſuperfluis naturæ, & ſtatus, quia vnuſquiſque tenetur ſubleuare miſeriam proximi ſui, ſaltem quando abſque vllo ſuo detrimento poteſt, quod eſt in hoc caſu. *ibi. reſ.* 14.

12 Non dicendum eſt tamen ob id, maximam partem diuitum, & eorum confeſſarios damnari, quoniam amittant eleemoſynas in graui neceſſitate; plurimis enim rationibus excuſari poſſunt. Primùm, quia multi non ſibi perſuadent ſe habere ſuperflua ad præſentem dignitatem augendam, vel conſeruandam, vel non ſatis cognoſcunt grauem proximi neceſſitatem, vel ſibi perſuadent probabiliter alium laturũ opem grauiter egenti. *ibi. verſ. Dices.*

13 Nemo tenetur de ſuperfluis ad ſtatum opitulari illi, qui in periculo verſatur amittendi fortunas iniuſtè; quia

hæc

Digitized by Google

hæc neceſſitas non eſt abſolutè neceſſitas. *ibid.reſ.* 16.

14 Danda eſt eleemoſyna ijs, qui voluntariè pauperes fiunt, vt Religioſi. *ibi. reſ.* 18. Secùs ſi quis eſſet homo auarus, qui proprijs rebus vti nolit, vel vagabundus, ijs enim non eſt danda eleemoſyna, quia voluntariam, culpabilem, & vitioſam inopiam patiuntur. Excipe ſi impotenti paſſione victus in hanc miſeriam incideret, hunc enim compatiendum eſſet, & ſubueniendum ei, ex bonis tamen ipſius, non proprijs. *ibid.reſol.* 19.

15 Qui habet certam pecuniæ ſummam diſtribuendã pauperibus, non tenetur eligere pauperiores, modò eligat pauperes. Nomine autem pauperum intelliguntur Hoſpitalia, Monaſteria, Eccleſiæ indigentes luminaribus, ornamentis, fabrica. Item ij, qui non poſſunt honeſtè viuere, iuxta ſuam conditionem, licèt ſint alioquin nobiles. Videndum tamen quænam ſit intentio teſtatoris ex ſignis claris, vel coniecturis. 2. *par. tract.* 15. & 1. *Miſcell. reſ.* 8. & *tract.* 16. *reſ.* 21.

16 Nemo tenetur facere eleemoſynam de ſuperfluis ad decentiam ſtatus, niſi in extrema, vel graui proximorũ neceſſitate, vel alioquin damnandi eſſent omnes diuites, qui domi habent ſuperflua. *ibid. tr.* 15. *reſ.* 32.

17 Recipiens eleemoſynam ſimulans paupertatem, peccat mortaliter, & reſtituere tenetur, quando ſibi dantur eleemoſynæ ſub conditione ſaltem tacita, quòd ſit pauper, vt contingit in amplis, & extraordinarijs eleemoſynis, vt cùm petitur eleemoſyna pro captiuo, qui reuera non eſt; vel ſi centum aurei donarentur cuidam, qui finxit ſe eſſe Epiſcopum, & ab Hæreticis pulſum. Secùs ſi donatio fiat abſolutè, vt præſumitur in eleemoſynis ordinarijs eorum, qui oſtiatim mendicant, etiamſi aliàs fiant ob motiuum falſum. *par.* 5. *tr.* 8. *reſ.* 21.

18 Re-

18 Reſtitutio eleemoſynæ receptæ ex ficta paupertate poteſt fieri vel domino, vel pauperibus, cùm vtrumque ſit probabile. *ibid. reſ.* 22.

19 Filiusfamilias poteſt facere eleemoſynam de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, non autem ex profectitijs, vel aduentitijs. Item cum longa peregrinatione ſuſcepta iter facit ex conſenſu patris, vel cùm in ſcholis verſatur ſtudiorum gratia, vel cùm paterna negotia gerit abſens à patre, poteſt tuta conſcientia ex bonis paternis eas eleemoſynas dare, quas erogare ſolent alij filij familias conditione pares, & eas, quas bona fide credit ratas habiturum patrem. Item poteſt in vſus pauperum impendere, quæ parcè viuendo ſubtrahit ſibi ex his, quæ ad ipſius victum pater concedit. Secus de acquiſitis per ludum, hæc enim acquiruntur patri, niſi id fiat ex tacita patris voluntate, quo bona fide credatur ratum habiturus. *ibid. reſ.* 25.

20 Serui in aliquibus caſibus poſſunt facere eleemoſynas. 1. ſi ſit extrema neceſſitas. 2. Si detur modicum quid, & raró. 3. quotieſcumque adſit Domini conſenſus, ſaltem interpretatiuus. 4. cùm probabiliter ſperatur ratihabitio. 5. cùm de certa portione ſibi aſſignata ad victum detraheretur aliquid per abſtinentiam, modò id non cederet in præiudicium heri. 6. in illis caſibus in quibus ſerui habent aliquarum rerum dominium imperfectum, & ſecundùm quid, qui ibidem numerantur. *reſ* 26.

21 Summus Pontifex tenetur & ipſe ſuperflua ex ſuis redditibus elargiri in eleemoſynas, quia hoc præceptum eſt diuinum, & naturale. *ibid. reſ.* 28.

22 Penſionarij, ſicut & beneficiarij tenentur ad eleemoſynas faciendas (quænam autem ſit obligatio hæc, vide infra num. 39.) ſi penſio eſt Eccleſiaſtica; ſecùs ſi laicalis. Immò etiam in Eccleſiaſtica penſionarius probabiliter

poteſt

Digitized by Google

poteſt non obligari ad elargiendam eleemoſynam, nec eſſet de mortali damnandus, ita ſentiens, & efficiens. *ibid. reſol.29.*

23 Milites D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & D. Ioannis non tenentur ad eleemoſynam, ſi poſſideant beneficia Eccleſiaſtica, niſi ex inſtituto ſuorum ordinum, quod eos non obligat, niſi ad certas penſiones, vel ad ordinis adminiſtrationem, ſeu gubernationem, vel ad ſumptus militiæ contra infideles. *ibid. reſ.30.*

24 Religioſi poſſunt eleemoſynas aliquando elargiri. 1. In extrema pauperis neceſſitate, & tunc etiam renitente Superiore. 2. Cùm aliquis pauper patitur magnam neceſſitatem, nec patet aditus ad Superiorē, tunc enim adeſt præſumptus Superioris conſenſus. 3. Cùm Religioſus ex licentia verſatur extra Monaſterium vacandi cauſa literis, peregrinationi, aut alicuius negotij peragendi. 4. Cùm aliquid ſibi ſubtrahit de neceſſarijs ad ſuſtentationem. 5. Cùm Religioſo viuenti ſiue intra, ſiue extra clauſtrum certi annui reditus, ſiue de bonis conuentus tamquàm benemerito, ſiue ab aliquo alio ad ſumptus ſuos, atque vſum conſentiente Monaſterio, aut diſpenſante Summo Pontifice conceduntur, & cui alia bona ex licentia Prælati conceſſa ſunt ad vſum ſuum, & diſpoſitionem. *ibid. reſ.32.*

25 Non poteſt aſſignari certa regula, an Monaſteria Religioſorum, quibus prouentus redundant, teneantur de illis eleemoſynas facere; cùm regulariter id neceſſarium non ſit, nec conueniens; quamuis interdùm poſſit eſſe laudabile, & aliquando præceptum, cùm hoc pendeat ex occurrentibus neceſſitatibus proximorum. *ibid. reſ.33.*

26 Tutores, & curatores poſſunt facere eleemoſynas de bonis pupillorum, quia id pertinet ad rectam bonorum adminiſtrationem, & in bonum pupilli, & minoris cedunt,

ipſi-

Digitized by Google

ipſique conſentire tenentur. *ibid. reſ.35.*

27 Si occurrerit aliquando, vt neceſſe ſit excludere à ciuitatibus pauperes peregrinos, vel prohibere ne pauperes publicè, & oſtiatim mendicent, Epiſcopi, & Magiſtratus non deſerant videre Adamum Tannerum. *to.3. diſp.2. quæſt.5. dub.3. per totum.* Et Apologiam in cauſa pauperum Dominici Soto. *ibid. reſ.36.*

28 Promittens eleemoſynam cuidam pauperi, poteſt dare alteri pauperiori, non autem applicare ſibi ipſi, quãuis pauperiori, neque authoritate Pręlati in id poteſt hoc opus commutari. *ibid. reſ.37.*

29 Diſtributor eleemoſynæ ex teſtamento poteſt ſibi partem applicare, ſi verè pauper ſit. *ibid. reſ.38.*

30 Dubitãs an proximus ſit in extrema neceſſitate, tenetur ex charitate veritatem indigentiæ indagare, ſiue in dubium inciderit, quia pauper ſuam inopiam propoſuerit, ſiue alia via: aliter enim id ommittens, ſe ſubijciet periculo peccandi. *ibid. reſ.39.*

31 Quando bona alicuius ſunt ob crimen aliquod publicata, poſſunt ante criminis condemnationem in eleemoſynas diſtribui; quia quãdiu hæc per ſententiã, & executionem non auferuntur, ſunt in dominorum vſu, & poſſeſſione, & poſſunt ijs, ſicut anteà frui. *ibid. reſ.40.*

32 Diuites, etiamſi habuerint ſuperflua, neque ſub veniali tenetur dare eleemoſynas in cõmuni neceſſitate, quã ſolent eſſe quotidiani pauperes. *2. par. tr.16. reſ.28. & 5. par. tr.8. reſ.17.* Etiam in graui neceſſitate pauperum, diues, qui habet ſuperflua, non peccaret mortaliter, ſi non præberet in eleemoſynam. *ibid. verſ. Secundo. & 5. par. tr. 8. reſ.15.* Etiam ſi eſſet vera opinio Doctorum aſſerentium diuites teneri ſub mortali præbere eleemoſynam non ſolùm in extrema, graui, ſed etiam in communi neceſſitate pau-

Digitized by Google

pauperum, tamen non tenerentur inquirere pauperes, ſed ſolùm miſereri occurrentibus, & non impedire nimia auſteritate, vel alio modo, ne occurrant. Neque etiam tenerentur omnibus communiter indigentibus ſubuenire, ſed aliquibus; nec tenentur in totum alicuius indigentiam ſubleuare, ſed ſatis eſt, quid ei dare. *ibid. verſ. Tertio. & 5. par. tr. 8. reſ. 3.*

33 Bona, quæ conſeruantur ad acquirendum maiorē ſtatum pro ſe, & ſuis conſanguineis, non dicuntur ſuperflua ſtatus. *ibid. verſ. 4. & 5. par. tr. 8. reſ. 20.*

34 Diues cum diminutione, & detrimento proprij ſtatus non tenetur ſubuenire proximo in extrema neceſſitate conſtituto. *ibid. verſ. Quinto.* Notent hæc omnia Confeſſarij ad tollendos ſcrupulos. *& 4. par. tr. 4. reſ. 215. & 5. par. tr. 8. reſ. 7. verſ. Notandum.* Si tamen ſolùm pateretur aliquid damnum in dignitate, & faſtu externo, tenetur opitulari extremè indigenti. *Eadem 5. par. citata.*

35 Poteſt vxor, etiam inuito marito, facere moderatas eleemoſynas, qui vigeſimam partem annui cenſus non excedant; nam maritus eſt irrationabiliter inuitus, cùm eiuſmodi donationes, & eleemoſynæ pertineant ad decentiam ſtatus *2. par. tr. 15. reſ. 33.*

36 Item poteſt inſcio marito tribuere eleemoſynam, vt Deus auertat graue damnum mariti, vel vt eum puniat, vel vt impetret eius conuerſionem a ſtatu malo, etiamſi crederet, quòd ſi maritus id ſciret, id illi diſpliceret, quia in tali caſu maritus eſt irrationabiliter inuitus. Videtur tamen non eſſe faciendam huiuſmodi eleemoſynam, ſi timerentur maximè contentiones. *ibid. tr. 16. reſ. 25.* Item in alijs caſibus, quos vide *5 par. tr. 8. reſ. 34.*

37 Eleemoſyna diuidenda inter viduas pauperes, poteſt dari mulieribus habentibus viros inutiles, quia priuilegia

Digitized by Google

legia conceſſa viduis extenduntur ad habentes viros inhabiles. 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 140.

38 Obligatio Epiſcoporum, & Beneficiariorum ad eleemoſynas elargiendas eſt hæc. Epiſcopus tenetur ſub mortali elargiri pauperibus ſaltem quartam partem, ſi verò non ſit Epiſcopus, quintam partem, dummodo reſiduum poſt ſuam congruam ſuſtentationem pijs alijs operibus impenderet, & non occurrerent ſpeciales, & vrgentiores pauperum neceſſitates. Dixi quartam, & quintam partem, non quia omnibus tanta ſit obligatio, cùm multi Eccleſiaſtici ſint quorum redditus non ſufficiunt, vt detrahatur quinta, immò nec octaua pars diſtribuenda pauperibus; ſed quia iſta quantitas in dictis caſibus ſufficit, vt vnuſquiſque cenſeatur obligationi ſuæ ſatisfacere, licèt pingue ſit beneficium. *ibid. reſ.* 214. & 5. *par. tr.* 8. *reſ.* 31.

39 Eccleſiaſtici ſi iuxta prædicta eleemoſynas debitas non præbeant, peccant quidem mortaliter, non tamen tenentur ad reſtitutionem. Et hoc etiam verum eſt quoad Regulares ad Epiſcopatus aſſumptos, qui habent dominium redditiuum Eccleſiaſticorum. *Eadem* 5. *par. tract.* 8. *reſol.* 31.

40 Præceptum elargiendi eleemoſynas obligat diuites ſub mortali, ſi hæc adſint. 1. Vt indigentiæ ſint illis notæ, quæ eos plerumque latet, quia qui patiuntur illas, plerumque occultant præ pudore; aut ſi apparent, latet verè eſſe graues. 2. Vt certò ſciant non ſubueniri per alium; hoc autem numquàm ſatis certum eſt. 3. Debent illis adeſſe ſuperflua, quibus poſſint indigentiæ occurrenti ſubuenire, id quod interdùm ſatis non conſtat, cùm præcipuè ex probabili vix in ſæcularibus diuitibus inueniatur ſuperfluum ſtatus. *ibid. reſ.* 41. Suadendi tamen ſunt diuites, vt largè eleemoſynas præbeant.

Digitized by Google

41 Ea neceſſitas cenſenda eſt extrema, in qua quis teneatur cum vitæ periculo opem ferre alienæ ſaluti, cùm phyſicè eſt impoſſibilis alicui ſalus, niſi me illi opitulante. Si verò ille ſuis viribus, adiutis gratia Dei, poſſit ſalutem adipiſci, quamuis difficillimè, & ægrè, ille non eſt in extrema neceſſitate opis alienæ: quod intellige per ſe, & ex vi præcepti charitatis; ſecùs autem dicendum, cùm quis ex voto, aut ex officio tenetur ad ſubueniendum alijs, vt ſunt Epiſcopi, Canonici, & Sacerdotes Curati, & Beneficiati, qui omnes tenentur in quacumque extrema neceſſitate, populi, & ſuorum ſubditorum illis ſubuenire, etiam cum vitæ periculo. 5. *par. tract.* 13. *reſ.* 24.

Epiſcopus.

1 Epiſcopus in aliena diœceſi non poteſt celebrare, Miſſam in Pontificalibus, ſeu cum baculo paſtorali, & mitra abſque licentia Ordinarij eius loci. 3. *par. tr.* 6. *Miſcell. reſ.* 36. & 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 143. *verſ. Notandum.*

2 Archiepiſcopus ſi fiat Epiſcopus, non poteſt vti pallio, niſi Summus Pontifex ſpeciali priuilegio vſum pallij illi concedat: quia pallium eſt proprium geſtamen Archiepiſcoporum in certo loco. *ibid. reſ.* 37.

3 Poteſt Epiſcopus nouum conſtituere Canonicorum numerum, & Collegium, nouaſque creare dignitates. *ibid. reſol.* 38.

4 Epiſcopus conſecrans chriſma, vel oleum, ſeu conferens minores Ordines, ſeu conſecrans Eccleſiam in peccato mortali, non peccat mortaliter. *ibid. reſ.* 67.

5 Si vigilia S. Matthiæ incidat in vltimum diem Bacchanalium, poteſt Epiſcopus transferre ieiunium in præcedens Sabbathum, ne violetur ieiunium. *ibid. reſ.* 66.

6 Poteſt Epiſcopus iterùm examinare Parochos ab

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopis anteceſſoribus approbatos, & examinatos. Ita cenſuit ſacra Congregatio die 6. Auguſti 1628. 4.*par.tr.* 4.*reſ.*59.

7 An Epiſcopi poſſint concedere Bullas cum facultate abſoluendi á caſibus ſibi reſeruatis, & diſpenſare, ac commutare in ijs, quæ ipſi iure ſuo ordinario poſſunt, licèt nonnulli DD. concludant affirmatiuè, tribus ſcilicet conditionibus poſitis, v.g. ſi non fuerit conceſſa alicubi Bulla Cruciatæ. 2. ob vrgentem neceſſitatem. 3. ſi pecunia, quæ per has Bullas datur, nullo modo applicetur in vſus, & neceſſitates ipſius Epiſcopi, ſed in opus pium ad bonum commune ſpectans. alij tamen negant. Auctor verò nihil de ſuo dicit, ſolùm referre voluit quid alij dixerunt. *ibid. reſ.*60.

8 Poteſt Epiſcopus committere Confeſſario Monaſterij, vt Monialem abſoluat ab hæreſi externa, quia licèt hæc per Conc. Trid. reſeruata ſit Pontifici, ceſſat tamen reſeruatio, quotieſcumque adeſt impedimentum, quo minùs Sedem Apoſtolicam adire poſſit. *ibid.reſ.*89.

9 Epiſcopus, qui propter bona temporalia, vel ambitum, alium pinguiorem Epiſcopatum procurat. Communior DD. opinio docet peccare mortaliter. *ibid. reſ.*190.

10 Caſus, quos Epiſcopus ſibi reſeruat, expirant morte ipſius, non verò illi, qui de iure, vel conſuetudine ſibi reſeruantur, neque illi, quos per proprium ſtatutum ſibi reſeruat, cùm enim ſtatutum duret poſt mortem, durabit quoque reſeruatio, & abſolutio petenda eſt à ſucceſſore, ſeu Capitulo Sede vacante. *ibid.reſ.*108.

11 Virtute Concilij Trid. poteſt Epiſcopus diſpenſare ſuos ſubditos in ſuſpenſionibus, & irregularitatibus non tantùm in foro conſcientiæ, & intra diœceſim; ſed etiam in foro externo, & extra diœceſim, quia Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.*6. nō apponit verba illa, *In foro conſcientiæ, & in diœceſi*

Digitized by Google

ſūa.in priori parte,in qua conceditur poteſtas diſpenſandi in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus .*ibid. reſ.*116.

12 Epiſcopi ſine aliqua cauſa non poſſunt abeſſe per trimeſtre ab eorum diœceſibus,ſtante Conc.Trid.*ſeſſ.* 23. *cap.*1. Hæc tamen abſentia poteſt honeſtari, ſi fiat animi recreandi cauſa,vel conſanguineos, aut amicos inuiſendi. *ibid. reſ.*90. *Vide etiam Sacramentum Ordinis.*

Excommunicatio.

1 IGnorantia etiam mortaliter culpabilis,ſiue iuris,ſiue facti,modò non ſit craſſa, excuſat à cenſuris, & pœnis, imò ſola ignorantia non craſſa excommunicationis, ſeu cenſuræ excuſat, licèt adſit ſcientia iuris. Eſt autem ignorantia craſſa, quæ ex malitia, vel nimia negligentia, procedit. Si tamen verba cenſuræ ſic haberent. *Qui ſcienter hoc fecerit,vel qui præſumpſerit.* ignorantia etiam craſſa,& ſupina,imò & affectata excuſaret. 3.*par.tr.*5.*Miſcell. reſ.*12.*&* 13.*&* 5.*par.tr.*9.*reſ.*17.

2 Nemo tenetur vitare eum, qui percuſſit Clericum publicè,& notoriè,niſi percuſſio ſit eiuſmodi,vt nullo modo celari, aut excuſari poſſit, quod vix poteſt conſtare ante ſententiam Iudicis. Quamobrem raro contingit,vt percuſſio Clerici ſit ita notoria,quin poſſit probabiliter excuſari: vnde ſequitur publicum Clerici percuſſorem ante ſententiam Iudicis vix eſſe vitandum.*ibid.reſ.*14.*&* 5.*par.tr.* 9.*reſ.*61.

3 Sacerdotes priuatim in domibus ſuis audientem lectorē legum,& Iuris ciuilis,non incidunt in excōicationē: neque ſi ſtudeant legibus in ſcholis publicis, quatenus illud ſtudium conducit ad notitiam Iuris Canonici: ſed hoc poſtremum intelligendum eſt in foro interiori; nam in exteriori præſumerentur excommunicati .*ibid.reſ.*27.

4 Chri-

Digitized by Google

4 Chriſtiani remigantes in triremibus Turcarum, nõ peccant mortaliter, neque incurrunt excommunicationem; quia illorum cooperatio ad inferendum damnum rei Chriſtianæ, eſt tantùm materialis; & etiam ſi nollent operam ſuam nauare, non deeſſent tamen alij, qui hunc laborem obirent. At ſi res ſit eo loco, vt niſi Chriſtiani captiui adiuuent, res Chriſtiana ſit imminenti periculo eripienda: tunc bonum Reipubl. Chriſtianæ erit propriæ vitæ anteponendum. *ibid. reſ.36.* Itẽ poteſt Chriſtianus vendere Idolum infideli, aut Iudæis in Synagoga ædificanda operam ſuam locare, ſi prematur inopia; quia non cooperatur peccato, niſi materialiter, vrgente neceſſitate. *ibid.*

5 Paruitas materiæ excuſat interdùm ab excommunicatione: vt ſi quis tranſiens paucis alloquatur monialem; ſi quis exiguum quid furatus ſit in Eccleſia. *ibid. reſ. 69. & 5. par. tr. 5. reſ. 21. & 46.* Excommunicatio tamen lata cõtra aliquos, quorum vnuſquiſque minimam quantitatem furatus ſit, eſt valida; quia licèt furtum ex ſe ſit veniale, vt in minima quantitate factum a ſingulis, tamen ob contumaciam in non reſtituendo peccant mortaliter, & hinc excommunicatio. *5. par. tr. 9. reſ. 54.*

6 Peregrini nõ obligantur excommunicationibus, aut cenſuris locorum, per quæ tranſeunt, quia poteſtas iuriſdictionis tantùm ſe ad ſubditos extendit. Ita excommunicatio lata contra eos, qui ſciunt aliquod furtum, ſeu delictum eſſe commiſſum, non ligat tranſeuntes. *ibid. reſ. 73.*

7 Epiſcopus non poteſt excommunicare etiam per ſententiam ſuum ſubditum exiſtentem extra diœceſim, vel in loco exempto, ſi in ea non deliquerit: quia eius iuriſdictio non extenditur extra diœceſim. vnde non poteſt Epiſcopus præcipere clerico peregrinaturo ſub pœna ſuſpenſionis ne ludat, ne arma prohibita ferat, &c. niſi fortè

Digitized by Google

quatenus ob iuſtam cauſam poſſit ei præcipere nè diœceſim egrediatur; & tunc quidem non incurreret ſuſpenſionem ludendo,&c. ſed egrediendo diœceſim. Si autem ſubditus deliquit in diœceſi, poteſt Epiſcopus illum excommunicare, etiamſi extra diœceſim commoretur. *ibid. reſ. 74. & 5. par. tr. 9. reſ. 32. vſque ad 37.*

8 Clericus ſeipſum voluntariè percutiens, non videtur incurrere excommunicationem, quia Canon. *Si quis ſuadente, &c.* clarè loquitur de perſona diſtincta. *ibid. reſ. 81. & 5. part. tract. 2. reſ. 84.*

9 Percutiens Clericum, qui non habet beneficium, neque requiſita Concilij Tridentini, incurrit in excommunicationem; quia hic Clericus amittit priuilegium fori, non autem Canonis. *3. par. tr. 5. Miſcell. reſ. 82.*

10 In percuſſione Clerici datur paruitas materiæ ad excuſandam excommunicationem; vt ſi quis percuteret Clericum prauo animo, itaut prauo animo percuſſio ſit peccatum mortale; at ex parte operis percuſſio ſit leuis, & venialis, & idem dicendum de quouis alio opere, cui annexa eſt excommunicatio, ſi opus externum fuit tantùm veniale, & leue, licèt internum fuerit mortale. Eccleſia enim non excommunicat actus internos, ſed externos, & requiritur vt actus externus ſit de ſe grauis. *5. par. tr. 5. reſ. 65.*

11 Si quis eadem actione, quæ fit tota ſimul, v.g. baculo percuteret duos Clericos, vel ſclopo duos interficiat, probabile eſt non duas, ſed vnam incurrere excommunicationem, quia illa eſt ſimpliciter vna tranſgreſſio, & vnicum peccatum, ſicut qui vnico verbo blaſphemat de 12. Apoſtolis vnicum tantùm peccatum cõmittit; & idem eſt de eo, qui eadem actione duo vaſa furetur diuerſorum dominorum. *ibid. tract. 9. reſ. 59.*

12 Nominatim denunciatus, vel publicus percuſſor

Cle-

Clerici non eſt vbique vitandus, ſed ſolùm in eo loco, vbi publica eſt eius cenſura; in alijs autem locis, vbi delictum eſt occultum non tenemur illum vitare, neque in publico, neque in occulto. Et hoc quidem ſatis probabiliter. *ibid. reſol.* 134.

13 Qui paratum occidere Clericum, ſuadet tantùm percutere, non ligatur excommunicatione, quia non dicitur culpabiliter influere in effectum prohibitum ſub cenſura: nam ad illam incurrendam requiritur peccatũ prohibitum ſub cenſura. *ibid. reſ.* 57. *verſ. Nota etiam.*

14 Percutiens equites D. Iacobi, Alcantaræ, &c. incurrit in eaſdem pœnas percuſſoris Clericorum, quia huiuſmodi equites gaudent priuilegio Canonis. *ibid. tract.* 13. *reſol.* 44.

15 Qui conſuluit homicidium cuiuſdam Clerici, & poſteà ſeriò tale conſilium reuocauit, ſi nihilominus homicidium perpetretur, non incurrit in excommunicationem, neque etiam probabiliter obligatur ad reſtitutionẽ, quia fecit quod potuit, vt prius cõſilium euerteret, ac proinde non videtur exequutor ipſius conſilio fuiſſe impulſus, ſed potiùs ſua malitia. *ibid. reſ.* 83.

16 Edictum (ſecundùm quoſdam) Superioris reuelare iubens delictum aliquod occultum ſub pœna excommunicationis intra certum tempus, non comprehendit eos qui tempore edicti ſunt extra diœceſim, vel territorium, vel qui ſunt ignari edicti: quare ſi poſt elapſum illud tempus non denuntiant cùm poſſint, non incurrunt excommunicationem; quia edictum iuxta præfixum tempus nõ habet vigorem: ſed tu a communi contraria ſententia non recedas. *ibid. reſ.* 95.

17 Excommunicatio lata contra ſcienter aliquid facientes, non afficit contrauenientes ex ignorantia affecta-

ta iuris vel facti; quia verba legis pœnalis non ſunt extendenda vltra propriam ſignificationem. *ibid.tr.6.reſ.7.*

18 Excommunicatio ferenda ſignum eſt obligationis ſub peccato mortali; niſi ad terrorem poſita ſit, vt fieri ſolet: ſuſpenſio autem interdictum, & irregularitas pęnalis ſi abſolutè non ferantur, ſed ferendæ ſint non ſunt ſignũ obligationis ſub mortali. *ibid.reſ.76.*

19 Poteſtas ferendi cenſuras poteſt & conſuetudine, & præſcriptione acquiri. Licèt autem hæc iuriſdictio dicatur acquiri præſcriptione, vel conſuetudine, verè tamen conceditur a Summo Pontifice, qui huc ſtatuit ita fieri, vt iuriſdictiones Eccleſiaſticæ eſſent firmæ, & certæ. 5.*part. tract.9.reſ.42.*

20 Non poteſt Epiſcopus ferre cenſuras in Regulares, niſi ſit a Summo Pontifice ad id delegatus; Religioſi enim ſunt exempti ab Epiſcopi iuriſdictione. Immò cenſura lata in vniuerſali, non ligat Religioſos mendicantes, niſi expreſsè nominentur. Licèt autem Epiſcopus non habeat iuriſdictionem in Moniales exemptas, poteſt tamen iuſtis de cauſis ferre cenſuras in ſuos ſubditos, qui ad illos acceſſerint, & erunt validæ. *ibid.reſ.43.*

21 Excommunicatus, vel ſuſpenſus nominatim denuntiatus, aut notorius Clerici percuſſor, non habet poteſtatem ferendi cenſuras in alios, quando, & vbi eſt manifeſtus. Secùs dicendum de eo, qui eſt occultus; huiuſmodi enim iuriſdictio ferendi cenſuras non tollitur niſi per manifeſtam ſententiam. *ibid. reſ.50.*

23 Qui habet poteſtatem ferendi cenſuram, non poteſt ea vti in ſua cauſa; nemo enim permittitur eſſe Iudex in cauſa propria, quod intellige, ſi cenſura feratur per modum iudicij, non autem per modum defenſionis contra violentum inuaſorem; quo caſu etiamſi cenſura habeat

ratio-

Digitized by Google

rationem pœnæ, tamen primò & per ſe non intelligitur, vt vindicetur delictum, ſed vt præcaueatur maius malum, quod iure impedire poſſumus. *ibid.reſ.*52.

23 Epiſcopali Cenſura concurrente cum Papali, ideſt, quod idem peccatum cenſuræ ſubdatur per Papam, & Epiſcopum; tunc ſi Papalis tollitur, vſu communi interpretari dicitur, vt etiam Epiſcopalis reſeruatio ſublata cēſeatur. *ibid.reſ.*70.

24 Abbatiſſa non poteſt quidquam præcipere monialibus ſub pœna excommunicationis. Fęminæ enim non poſſunt ferre cenſuras, cùm Ordinis Clericalis, & Eccleſiaſticæ iuriſdictionis ſint incapaces. 5.*par.tr.*9.*reſ.*16.

25 Collegium, vel Communitas non poteſt excommunicari ab homine, vnica ſententia, ſi verò quilibet ſigillatim excommunicetur, erit valida excommunicatio, etiamſi omnes eius collegij excommunicentur, hoc enim non eſt prohibitum. 5. *par.tr.*9.*reſ.*38.

26 Pueri ante annos pubertatis excuſantur à cenſuris, tàm à iure latis, quàm ab homine. *ibid.reſ.*46.

27 Excommunicatio, immò nulla alia cenſura incurritur propter peccatum veniale; cùm enim hæ pęnæ ſint grauiſſimæ, non eſt credendum illas piam matrem Eccleſiam infligere ob peccatum veniale. 3.*par.tr.*6.*reſ.*51. *&* 5. *par.tr.*9.*reſ.*47.

28 Cùm opus externum, cui annexa eſt excommunicatio, eſt ſolùm veniale, non incurritur excommunicatio, licèt internum fuerit mortale; vt cùm quis percuſſit Clericum, leuiter quidem, ſed malo animo; quia Eccleſia non excommunicat actus internos, ſed externos, & requiritur vt actus externus ſit de ſe grauis, & mortalis. 5.*part.tract.* 9.*reſ.*41. *&* *reſ.*48.

29 Actus, vel omiſſio externa, ob quam fertur excommu-

mu-

Digitized by Google

municatio, & cenſum debet eſſe ſignum actus interni ſub ratione, qua eſt prohibitus ab Eccleſia, & ſic ſi imponatur excommunicatio ob hæreſim, & quis ex iudicio hæretico faciat actum hæreticum, qui non ſit ſignum hæreſis, quando eſt, non incurret ob talem actum in excommunicationem; quia actus ſic exterior ſub ea ratione malitiæ eſt omninò incognitus Eccleſiæ. *ibid. reſ.* 49.

30 Adhuc vt teneamur vitare percuſſorem Clerici, non ſufficit dubium, quamuis prudens notorietatis, ſed requiritur notitia moraliter certa. 4 *par. tract.* 3. *reſ.* 71.

31 Certum eſt cenſuram non poſſe validè ferri, ac proinde nec incurri, niſi ob peccatũ exterius inobedientiæ, ſeu contumaciæ reſpectu Eccleſiæ, vnde non poteſt validè ferri cenſura ob peccatum exteriùs factum abſque inobediẽtia, ſeu contumacia reſpectu Eccleſiæ, ſeu miniſtrorum eius; ſeu quando non præceſſit aliqua iuridica monitio, ſeu prohibitio, qua monuerint opus illud peccaminoſum non eſſe faciendum. *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 55.

32 Tripliciter autem contingit aliquem eſſe contumacem. Primo modo; quando vocatus a Iudice Eccleſiaſtico ſub excommunicationis pœna, non comparet. Secundò, quando licèt compareat, diſcedit tamen ante licentiam, vel ſententiam Iudicis Tertiò, quando licèt compareat, & perſeueret vſque ad ſententiam Iudicis, tamen poſteà nõ vult parere ſententiæ. *ibid. verſ. Notandum.*

33 Ad valorem excommunicationis prærequiritur contumacia reſpectu Eccleſiæ comminantis ſub cenſura (licèt contrarium etiam ſit probabile) vnde ad valorem cenſuræ prærequiritur, vt præcedat monitio, non quæcũque, ſed ſub pęna excommunicationis. *ibid. verſ. Sed ſententiam.*

34 Ad incurrendam cenſuram requiritur actus conſum-

ſummatus; vnde quando in Iure fertur aliqua cenſura propter aliquod peccatum, niſi aliud exprimatur, intelligendum eſt de peccato in genere ſuo completo. *ibi. reſ.* 56.

35 Ad eſſentiam cenſuræ non eſt neceſſaria, neque trina, neque vna monitio. *ibid. tr. 9. reſ.* 18. Vnde cenſura lata ſine trina, vel vna pro trina monitione eſt illicita quidẽ, ſed tamen valida; cùm hæc monitio non ſit inducta a iure, vt quid ſubſtantiale pertinens ad eſſentiam cenſuræ, ſed ſolùm vt quid accidentale pertinens ad ſolemnitatem. *ibid. reſ.* 19.

36 Si iure decreta ſit excommunicatio, vel alia cenſura, non latę, ſed ferendæ ſententiæ, tunc non poterit Iudex contra reum conuictum procedere ad excommunicationem ei infligendam ſine aliqua monitione. Imò etiam in ſententia eorum, qui affirmant Iudicem in hoc caſu poſſe procedere ſine monitione, non poterit excommunicare talem reum ſine citatione; dando ei terminum ad allegãdum pro ſe. *ibid. reſ.* 18. *verſ. Non deſinam.*

37 Circa monitiones, hęc nota. 1. Vnamquamque triũ monitionem debere fieri aliquo dierum interuallo, niſi periculum ſit in mora, vel ex aliqua iuſta cauſa arbitrio Iudicis penſanda. 2. Neceſſitate vrgente poſſe licitè trinam monitionem, aut vnam pro trina omitti. 3. Dictas monitiones debere fieri coram perſonis idoneis ad teſtificandum, ſi opus fuerit. 4. Debere fieri in propria perſona eius, qui eſt cenſura ligandus, licèt hoc in aliquibus caſibus non ſit neceſſarium. *ibid. reſ.* 19. *verſ. Notandum primò.*

38 Cenſura nõ poteſt ferri ſine monitionibus, etiamſi ante monitiones conſtet de contumacia rei, vt ſi publicè aſſeuerauerit cum iuramento ſe monitionibus non pariturum. Imò nec ſubditus poteſt cedere iuri monitionis Canonicæ, ita vt non præuia trina monitione ligari poſſit per cen-

cenſuram. *ibid. verſ. Nota 2.*

39 Prælati Regularium etiam tenentur in excommunicationibus præmittere ordinem monitionum; & quamuis Prælati mendicantium habeant priuilegium ferendi ſententiam excommunicationis ſolo verbo ſine ſcriptis, non habent tamen priuilegium omittendi canonicã monitionem. *ibid. reſ.20.*

40 Iniuſta poteſt eſſe cenſura tripliciter, ſemper tamẽ valida. 1. ex prauo affectu Iudicis tantùm. 2. ex defectu Ordinis a Iure ſtatuti. 3. ex defectu cauſæ, quando reuera non eſt, licèt præſumatur. Etſi primo tantùm modo ſit iniuſta, non videtur quin habeat omnes effectus, quia ſi omnia alia requiſita adſint, ſolus prauus affectus Iudicis non impedit efficacitatem ſententiæ. Et idem iudicandum eſt de cenſura iniuſta ex ſolo defectu Ordinis, vel ex ſolo defectu cauſæ. *ibid. reſ.27.*

41 Sententia cenſuræ lata ſub forma diſiunctiua, v. g. præcipio hoc ſub pęna excommunicationis, vel ſuſpenſionis, habet quidem effectum, nec eſt neceſſe, vt Iudex determinatè intendat ſpeciem cenſuræ, ſed ſatis eſt vt relinquat eam arbitrio ipſius rei, vt ipſe eligat quã maluerit; nihilominus tamen grauiter peccaret, qui ſub hac forma cenſuram ferret, quia non eſt in vſu Eccleſiæ. *ibid. reſ.63.*

42 Cenſura poteſt ferri ſub conditione, ita tamen lata cenſura numquàm incurritur, niſi adueniat conditio, & impleatur: neque ideò dicendum eſt cenſuram fuiſſe ſuſpenſam vſque ad aduentũ conditionis, ſed ſolùm tunc habuit vires ſuas, cùm conditio extitit, & tunc cenſetur proferri a Iudice, non tẽpore pronunciationis. *ibid. reſ.64.*

43 Si, pendente conditione, ille in quem cenſura lata eſt forum mutet, adueniente conditione, cenſuram nihilominùs incurrit; ſecùs autem ſi pendente conditione Iudex mo-

moriatur. Si verò conditio eſſet de futuro,& omninò impertinens, probabile eſt in eo caſu cenſuram eſſe inualidam. *ibid.verſ.Sed ex.*

44 Si, pendente conditione, ſub qua lata eſt cenſura, creditor v.g. proroget terminum ſolutionis à Iudice datum,& poſteà debitor non ſoluat,probabile eſt debitorem non incurrere in cenſuram, ſi prorogatio facta fuit à creditore, Iudice inſcio, quia prorogare, aut ſuſpendere cenſuram eſt actus iuriſdictionis, quam non habet creditor. Contrarium tamen quoque non caret ſua probabilitate. *ibid.reſ.65.*

45 Cenſura lata, per vim, & metum valida eſt,quia ea, quæ metu fiunt, valida ſunt, niſi iure aliquo impediantur, cùm voluntas coacta, voluntas ſit. *ibid.reſ.69.*

46 Cenſuræ ferendæ ſunt in ſcriptis,& non ſolo verbo, & aliter facientes peccant, & incurrunt ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem, & à diuinis, quam ſuſpenſionem etiam incurrit ferens cenſuram ſine expreſſione cauſæ. *ibid.reſ.73.* Regulares autem non poſſunt, nec ipſi ferre cenſuras ſine ſcriptura, ſi illas ferant per modum ſtatuti; ſecùs autem per modum ſententiæ particularis contra aliquem. *ibi.verſ.Sed difficultas.*

47 Probabile eſt poſſe Epiſcopum excommunicare ſubditum exiſtentem in alieno territorio, quando cenſura eſt annexa præcepto ſiue generali, ſiue ſpeciali, licèt contrarium etiam ſit probabile. *ibidem reſol.32.& reſ.57.*

48 Cenſura lata per modum ſententiæ, ſiue particularis, ſiue generalis ligat proprios ſubditos etiam extra territorium peccantes. Et poteſt Epiſcopus ferre cenſuram in ſubditum exiſtẽtem in alieno territorio pro crimine, quod in proprio territorio commiſit. Itemque exiſtens in alieno Epiſcopatu, poteſt ligari cenſuris à ſuo Epiſcopo ratio-

ne

ne delicti commiſſi in proprio Epiſcopatu. *ibid. in Notandis* & *reſ.37. verſ. Non eſt.*

49 Si delictum inchoatum ſit in proprio territorio, & conſummatum in alieno, tunc ſubditus non incurret cenſuram ſtatuti generalis ſui Epiſcopi, quia cenſura lata eſt contra conſummantes, non contra inchoantes delictum. *ibid. reſ.33.* & *reſ.37. verſ. Sed obiter.*

50 Epiſcopus non poteſt citare ſubditum ſuum exiſtentē in aliena Diœceſi, quia non poteſt ibi exercere iuriſdictionem. *ibid. reſ.74.*

51 Licèt Epiſcopus exiſtens extra proprium territorium non poſſit in ſubditos ſuos ferre cenſuram, ſi tamen res ſit adeò manifeſta, vt non requirat cognitionem cauſę, poterit hoc facere. At & contrarium probabiliter ſuſtineri poteſt. *ibid. reſ.35.*

52 Poteſt Epiſcopus ratione delicti ferre cenſuram in ſubditum alienum, dùm manet in ſua diœceſi, vel etiamſi talis alienigena profectus ſit ab ea diœceſi antequàm ferretur cenſura, tamen fuerit præuentus citatione; vel ſi ad requiſitionem Epiſcopi eius territorij, in quo deliquit, citetur à proprio Epiſcopo, ad quod Epiſcopus requiſitus tenetur, & in tali caſu tenetur reus reſpondere, & ſi non faciat, poteſt excommunicari ab Epiſcopo territorij, in quo deliquit. *ibi. reſ.36.*

53 Si Epiſcopus, vel alius ferat cenſuram v.g. excommunicationis contra ſcientes quiſnam fecerit tale furtum, & non manifeſtantes, & poſt latam ſententiam adueniat alienigena, qui cognoſcat furem, & non manifeſtet, non incurret cenſuram; quia ſententia referenda eſt ad tempus, in quo pronuntiatur, tunc enim ſtatim ſumit vires aduerſus eos, contra quos fertur; ergo ſolùm habet vim contra eos, qui tunc erant ſubditi. *ibid. verſ. Sed inſurgit.*

54 Cen-

Digitized by Google

54 Cenſura lata ab Epiſcopo per viam ſententiæ generalis non ligat niſi ſubditos ratione perſonę, & domicilij, non autem eos, qui ſubditi non ſunt, etiamſi intra eius territorium exiſtant. *ibid. verſ. Hinc.*

55 Subditus Epiſcopi in alieno territorio non ligatur cenſuris connexis præcepto ſiue generali, ſiue ſpeciali ſui Epiſcopi, quia peccatum inferioris phyſicè, & moraliter in tali caſu conſummatur in alieno territorio, vbi non paretur impune ius dicenti. Vnde ſi Epiſcopus prohibens Sacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis, ne in aliena diœceſi celebrent, illam non incurrunt celebrando. *ibid. reſ. 37.*

56 Si quis aliquod crimen committat in loco excepto intra proprium territorium, proprius Epiſcopus non poteſt eum cenſura ligare, quia locus exceptus comparatur alieno. *ibid. verſ. Et tandem.* Et hoc intelligitur abſolutè de quocumque loco excepto, etiam de Monaſterijs Regularium. *ibid. & reſ. 66.*

57 Cenſura lata contra facientes, non comprehendit mandantes, aut conſulentes, quia lex pęnalis cùm ſit odioſa, eius verba ſtrictè accipienda ſunt ſecundum propriam, & rigoroſam acceptionem. *ibid. reſ. 57.* In dubio autem an cenſura liget mandantes, ſeu conſulentes, cenſendum eſt, quòd non. *ibid. verſ. Dico primò.*

53 Si ſtatutum Epiſcopi inferat cenſuram contra accedentes ad monaſteria monialium, ligat etiam eos, qui accedunt ad monaſteria monialium Regularibus ſubiecta; nam acceſſus fit in territorio. Non autem hi incurrerant cenſuram latam per modum ſtatuti contra loquentes cum monialibus, quia allocutio fit in loco excepto. *ibid. reſ. 71.*

59 Ignorantia inuincibilis, ſeu vtcumque vincibilis, dummodo craſſa, aut ſupina nō ſit, ſeu facti, ſeu iuris, tàm

vni-

vniuerſalis, quàm particularis, defendit, & excuſat ab excommunicatione incurrenda. Ignorantia autem craſſa, & ſupina numquàm excuſat. *ibid. reſ.* 17.

60 Sacerdos excommunicatus excommunicatione minori, miniſtrando Sacramenta, non peccat per ſe loquendo, ſed per accidens. *ibid. reſ.* 45.

61 Parochus excommunicatus quamuis non toleratus non modò validè, ſed etiam licitè matrimonio aſſiſtit, & licentiam confert abſque vllo peccato; quamuis enim in his duobus communicet cum alijs, id tamen efficit ob vtilitatem, immò ob neceſſitatem contrahentium; ſi verò a Iudice competente prohibitus Parochus matrimonio aſſiſtere, aut licentiam cõferre, id efficeret, peccaret quidem ob prohibitionem, at validè omnia efficeret. *ibid. reſ.* 78. 79. & 80.

62 Excommunicatus denunciatus, qui vitandus communiter appellatur, eſt priuatus actiua Sacramentorum communione, & ſacrificij oblatione. Excuſatur tamen. 1. per ignorantiam inuincibilem, & naturalem inaduertentiam. 2 per neceſſitatem prouenientem ex vi, aut metu graui, aut articulo mortis. *ibid. reſ.* 83. & 96.

63 Excommunicatus non toleratus, non modò licitè, ſed validè confert Sacramentum Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ in articulo mortis; reliqua verò Sacramenta nec licitè peti, nec dari poſſunt in eodem mortis articulo. Excipe primò, cùm exiſtens in articulo mortis non poteſt recipere Sacramentum Pœnitentiæ, neque Euchariſtiæ, poterit tunc licitè dari illi extrema vnctio. 2. Si in aliqua Prouincia remota eſſet penuria Sacerdotum, & non eſſet niſi vnicus Epiſcopus excommunicatus non toleratus, in eo caſu ſine damno communi licitè poſſet Sacramentum ordinis miniſtrare. 3. Cùm Parochus excommunicatus

de-

denunciatus aſſiſtit matrimonio eius, qui in articulo mortis duxit vxorem, quam anteà habuerat concubinam. *ibid. verſ. Igitur.*

64 Excommunicatus etiam non toleratus validè offert ſacrificium Miſſæ, ſi Sacerdos eſt, eiuſque fructum, qui ex opere operato habetur, validè, cui voluerit, applicat, modo hic eius ſit capax. Itemque Parochus, vel alius Sacerdos excommunicatus toleratus poteſt celebrare rogatus ob vtilitatem proximi, nullo tamen modo poteſt ſeſe ingerere. *ibid. in Notandis.*

65 Nominatim excommunicatus non poteſt validè abſoluere à venialibus. *ibid. reſol.* 84.

66 Excommunicati contrahentes matrimonium non ſolùm peccant mortaliter, quod Sacramentum recipiant in excommunicatione; ſed etiam ex eo quòd conferant, cùm iuxta communem ſententiam contrahentes ſunt miniſtri huius Sacramenti; non tamen peccant contra cenſuram, quia illa intelligenda eſt tantùm de Clerico. *ibidem reſol.* 85.

67 In dubio an incurrerit excommunicationem, miniſtrando quis Sacramenta non efficitur irregularis, ſi poſteà deprehendatur non fuiſſe excommunicatus; idque etiamſi putaſſet ſe eſſe excommunicatum. Si autem poſteà deprehendatur fuiſſe verè excommunicatus, videndum eſt an miniſtrans cùm tali dubio peccauerit mortaliter contra cenſuram, ſi enim excuſetur à mortali peccato, etiam excuſabitur à cenſura; ſecùs ſi mortaliter peccauerit. *ibid. reſ.* 94.

68 Non eſt peccatum petere Sacramentum ab excommunicato tolerato, cùm fideles poſſint cùm ſimilibus communicare abſque vlla culpa. *ibid. reſ.* 133.

69 Quamuis excommunicatus Sacramentum Penitentiæ

Digitized by Google

tiæ inualidè recipiat, quoties non confitetur ſuam excommunicationem, in tribus tamen caſibus poteſt validè abſolui, licèt hoc non præſtet. 1. Cùm ex ignorantia inuincibili neſcit ſe excommunicatum. 2. Cùm confitetur peccata ſua cum naturali inculpabili obliuione excommunicationis. 3. Cùm & peccata, & excommunicationem Confeſſario aperit, ſed hic abſoluens à peccatis obliuiſcitur pœnitentem abſoluere ab excommunicatione. In his enim caſibus valida eſt abſolutio, validum Sacramentum, nec iteranda confeſſio. *ibid. reſ. 53. & reſol. 82.*

70 Non ſolùm excommunicatus denunciatus, & publicus percuſſor Clerici, ſed etiam excommunicatus occultus, & toleratus non poteſt licitè Sacramenta recipere. Excipe tamen. 1. Si ignoraretur inuincibiliter eiuſmodi prohibitio. 2. Si ignoraret ſe eſſe in excommunicatione, vel non aduerterit, quæ eſſet ignorantia facti, vt frequentius accidit. 3. Si eſſet vrgens neceſſitas recipiendi Sacramenta ob vitandam grauem infamiam, ſiue ſcandalum, ſiue damnum, vt periculum mortis, vel quid ſimile. *ibid. reſ. 81.* Extra verò caſus prædictus quamuis non licitè, validè ſaltem excommunicatus recipit Sacramenta, præter Sacramentum Pœnitentiæ. *ibid. reſ. 82.*

71 Pro excommunicatis toleratis licet publicè orare, & ſacrificia offerre, & illis etiam ſuffragia communia proſunt, ſi tamen ſpecialiter, ſiue expreſsè, ſiue implicitè fiant, aut offerantur pro illis. Excommunicatus autem toleratus petens pro ſe offerri ſuffragia communia peccat, quia petitione ipſa communicat per modum commercij cum eo, a quo petit, non verò quia petit ſuffragia. *ibid. reſ. 74.*

72 Non licet offerre ſuffragia Eccleſiæ pro excommunicatis non toleratis, ſi per contritionem iuſtificentur ante obtentam abſolutionem. Licèt quidem applicare ea ſuffragia

ſuffragia illi, cuius excommunicatio eſt occulta, ſi mortuus eſt in gratia. *ibi. reſ.75.*

73 Pro excommunicato iam per contritionem iuſtificato poteſt applicari ſacrificium Miſſæ ante obtentam abſolutionem, & in Miſſæ Memento poteſt Sacerdos pro excommunicatis orare, dummodo id actu mentali faciat, non nominando illum exteriùs. Itemque licet priuatas orationes, & bona opera pro excommunicatis offerre. *ibid. reſ.76. & 77.*

74 Poſſunt excommunicati ingredi Eccleſiam, & in ea eſſe, & ibi orare, etiamſi alij in Eccleſia fideles priuatim orent, non autem communicare in oratione communi. Itemque poteſt excommunicatus in eadem Eccleſia audire cum alijs concionem; & dùm celebrantur diuina ingredi Eccleſiam, non vt illis interſit, ſed vt ſolùm tranſeat per Eccleſiam ob commoditatem itineris, vel ob aliud quoduis negotium. *ibid. reſ.86.*

75 Excommunicatus legens priuatè cum alio Horas Canonicas, vel Officium B. M. V. &c. peccat venialiter, quia talis recitatio in materia communicationis eſt materia leuis. Idem dic de recitante cum illo. *ibid. reſ.89.*

76 Licèt probabilius ſit excommunicatos non poſſe vti aqua benedicta, tamen pium eſt etiam credere, id eis permiſſum. *ibid. reſ.90.*

77 Sacerdos celebrans Miſſam, ſi alium non habeat, & vrgeat grauis cauſa Sacri faciendi, poteſt vti miniſtro excommunicato, non denunciato, aliàs minimè. *ibid. reſ.91.*

78 Si excommunicatus denunciatus intret in Eccleſiam dùm Miſſa celebratur, ſi ea non eſt incepta, expellatur per admonitionem, & coactionem, ſi neceſſaria fuerit; quòd ſi non ſufficiat, omittatur Miſſa, ſi deuentum non eſt ad conſecrationem, etiamſi Canon ſit inceptus: Si verò fa-

cta eſt conſecratio, perficienda eſt Miſſa; quia Sacrificium perficiendum eſt de iure diuino. *ibid. reſ. 92.*

79 Excommunicatus cùm recitat diuinum Officium, non debet dicere. *Dominus vobiſcum*, quia non eſt verbum priuatæ perſonæ, ſed *Domine exaudi orationem meam*, adeò vt irregularis fiat, ſi id faciat: ſecluſo tamen contemptu, peccaret tantùm venialiter, nec irregularitatem incurreret. *ibid. reſ. 93.*

80 Excommunicatus Miſſæ, aut diuinis officijs aſſiſtens nullam pœnam incurrit. *ibid. reſ. 95.*

81 Poteſt quis reſalutare excommunicatum non toleratum, quia in ſententia multorum per particulam *Vale*, ſolùm prohibetur ſalutatio verbalis, non autem alijs ſignis facta; vt aperiendo caput, aſſurgendo, &c. *ibid. reſ. 116.*

82 Communicatio in humanis, & ciuilibus cum nominatim excommunicato, vel denuntiato eſt tantùm peccatum veniale, & incurritur excommunicatio minor: poteſt tamen communicatio aliàs ex obiecto venialis, fieri mortalis ex circumſtantia aliqua. *ibid. reſ. 116.*

83 Excommunicatus nulliter, non tenetur quidem ex vi excommunicationis abſtinere a communione fidelium, & ab alijs prohibitis, ſed propter ſcandalum obſeruanda eſt publicè, donec veritas manifeſta fit; quòd ſi ante manifeſtationem veritatis excommunicatus publicè ſe ingerat diuinis, peccabit; nullam tamen pęnam iuris incurret ipſo facto, cognita tamen veritate nullum erit ſcandalum illam non obſeruare. At antequàm quis contra illam operetur, neceſſe eſt vt manifeſtetur vulgò iudicio ſapientiũ. *ibid. reſ. 26.*

84 Excommunicatio tripliciter poteſt eſſe iniuſta, valida tamen. 1. ex prauo affectu tantùm. 2. ex defectu ordinis a iure ſtatuti. 3. ex defectu cauſę, quando reuera non

eſt,

Digitized by Google

eſt, licèt præſumatur. Vnde qui vno ex tribus modis excõmunicatus eſt, debet illam pœnam timere, & a communione fidelium abſtinere, ne videatur cenſuram contemnere. *ibid. reſ.* 27. Iniuſtè tamen excommunicatus non incurrit in pęnas iuſtæ excommunicationis; quia non eſt credibile Eccleſiam velle hoc modo obligare. *ibid. reſ.* 28.

85 Qui probabiliter iudicat ſententiam excommunicationis eſſe inualidam, debet ſe abſtinere, & parere pœnæ tàm in exteriore conuictu hominum, & apparentia, quàm in occulto, quia in dubijs pro Iudice ferente ſententiam iudicandum eſt; & ſi contra quis fecerit, incidit in omnem pœnam a iure ſtabilitam, quia iam eſt peccatum inobedientiæ etiam in occulto contra ſententiam excommunicationis. *ibid. reſ.* 29.

86 Declaratus per cedulones incurriſſe in aliquam excommunicationem, ſi intra terminum appellauit, poteſt liberè cum omnibus communicare. Inſuper appellatio legitima, ideſt ex rationabili cauſa facta, antequàm Iudex abſolutè ferat excommunicationem ipſo facto ob peccatum factum, impedit incurſionem excommunicationis maioris (niſi quando Iudici conceſſum eſt, vt non obſtante appellatione procedat in cauſa.) *ibidem reſol.* 30.

87 Ad hoc vt euitetur aliquis excommunicatus, non ſufficit vt lata ſit ſententia, qua aliquis ſit damnatus, ac denunciatus de aliquo crimine, cui annexa eſt excommunicatio, ſed requiritur vt expreſsè ſit denunciatus excommunicatus. *ibid. reſol.* 62.

88 Effectus excommunicationis quoad priuationem vſus iuriſdictionis habet locum in Iudice etiam ſæculari excommunicato non tolerato. *ibid. reſ.* 108. Licèt autem Iudex excommunicatus toleratus poſſit validè exercere iuriſdictionem, poteſt tamen quis illius iudicium declina-

Digitized by Google

re, opponendo excommunicationem; nam quamuis fideles poſſint cum eo conuerſari, non tamen tenentur. *ibid. reſol.* 109.

89 Excommunicatus non poteſt eſſe actor in iudicio. Ex obiecto tamen non erit peccatum mortale ſi excommunicatus ius ſuum petat in iudicio, donec vel per exceptionem, vel per officium iudicis repellatur, ſi aliàs reuera petat iuſtitiam debitam, & non vtatur vi, aut fraude. *ibidem reſol.* 110. Sicut etiam abſque peccato poteſt in iudicio per ſeipſum, nec cogendus, vt reſpondeat per procuratorem. *ibid. reſ.* 111.

90 Non poteſt excommunicatus eſſe tabellio (acta enim illius ſunt inualida) nec teſtis, nec aduocatus, aut procurator, nec tutor, vel curator, cùm non poſſit excommunicatus officium publicum habere. *ibid. reſ.* 112. 113. 114. 115.

91 Fideles poſſunt licitè abſque vlla prohibitione cõmunicare cum excommunicato tolerato, ac ſi non eſſet excommunicatus, non ſolùm in humanis etiam eum prouocando, ſed etiam in Sacramentis, & in quibuſcumque alijs diuinis. *ibid. reſ.* 117.

92 Contractus cum excommunicatis illiciti ſunt, nec ratione illorum datur ipſis actio in foro exteriori durante excommunicatione, non tamen inualidi. Ex tribus tamen cauſis fieri poſſunt nulli. 1. Si ſint initi virtute reſcripti ſupplentis conditionem aliquam ad valorem eius requiſitam. 2. ſi ſint initi ab eo, vt a perſona publica, & vt a miniſtro per poteſtatem, quam habet ex vi ſui muneris, vel beneficij. 3. ſi in contractu fiat promiſſio de alio contractu excommunicatione durante faciendo. *ibid. reſ.* 128.

93 Excommunicatus non poteſt licitè teſtari, & omnes conuenientes ad teſtamentum peccant, niſi eſſet tole-

ratus,

Digitized by Google

ratus,tamen ſi teſtetur,teſtamentum eſt validum, etiamſi inſtituat aliquem excommunicatum pro hærede. Immò ille,qui ſperat ſe hæredem inſtituendum, poteſt teſtatorē inducere ad teſtamentum; quòd ſi vitandus ſit, tunc alijs nòn licebit communicare, niſi ſoli hæredi inſtituendo,excuſatur enim propter vtilitatem, ob quam etiam fortè excuſari poſſunt tabellio, & teſtes vocati ab hærede inſtituendo. *ibid. reſ.* 129.

94 Excommunicatus vitandus poteſt petere à ſuo debitore ſuum creditum, & is ad id tenetur; quia neque iure diuino, nec humano debitor liberatur à tali debito ſtatim ſoluendum poſt elapſum terminum. *ibid. reſ.* 130.

95 Excommunicatus toleratus, cuius acta valida ſunt, iudicium exercens peccat tantùm venialiter. *ibid. reſ.* 131. Immò Iudex excommunicatus toleratus validè etiam excommunicat alium. *ibid. reſ.* 135.

96 Nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percuſſor in vno loco, non eſt neque in publico, neque in occulto vitandus in alio, vbi delictum eſt occultum. *ibid. reſ.* 134.

97 Non licet comedere, & bibere ſimul cum excommunicato in eadem menſa, ſecùs in diuerſis, quæ ſint in diuerſis cubiculis. Immò ſi in aliquo hoſpitio ſit aliqua menſa mediocris longitudinis, & in vna parte comedat excommunicatus non toleratus, & in altera non excommunicatus eodem tempore nullam facientes ſocietatem, ſed vnuſquiſque per ſe, non cenſentur communicare in menſa, quamuis iidem cibi apponantur illis. Et hoc etiam dicendum eſt, cùm caſu, & abſque ſocietate comeditur, quamuis fiat in eadem menſa, licèt paruula; tunc enim verè vnus non communicat cum altero ratione ſocietatis. *ibid. reſ.* 121.

Digitized by Google

98 Sub prohibitione *Cap. Sacris, & Clement.* 1. *de Sepult.* ne excommunicati ſepeliantur in loco ſacro, non comprehenduntur excommunicati tolerati. *ibid. reſ.* 97. etiam ſi publicè innotuerit fuiſſe excommunicatum. 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 140.

99 Incurrere in excommunicationem latam contra ſepelientes excommunicatum in loco ſacro dicendi ſunt illi, qui proprijs manibus tradunt ſepulturæ, & mandantes, non autem comitantes, vel alij deferentes crucem, & lumina, vel etiam cantantes, quia hi non dicuntur propriè ſepelire. *ibid. reſ.* 98.

100 Sepelientes excommunicatum, etiam hæreticum notorium, ſed nondum denunciatum, in loco ſacro, nullam incurrunt excommunicationem latam contra ſepelientes ſcienter in loco ſacro excommunicatum neque locus ſacer ſepultura excommunicati, aut hæretici nondùm denunciati violatur; quia cùm hi vitandi non ſint, ſed tolerati, nulla ex ipſorum communicatione à fidelibus, aut ſacris locis cenſura incurri poteſt. *ibi. reſ.* 98. *verſ. Nō deſinā.*

101 Excommunicatus, qui tempore mortis dedit ſigna contritionis, vel ſi non dedit, certum eſt mortuum eſſe ſine peccato mortali, ſed non fuit abſolutus à cenſura, poteſt in Eccleſia ſepeliri, & à Cenſura etiam poſt mortem abſolui ab Epiſcopo. *ibid. reſ.* 24.

102 Effectus excommunicationis minoris eſt tantùm priuatio à receptione, ſeu paſſiua participatione Sacramētorum. Vnde infertur non peccare mortaliter ſi adminiſtret Sacramenta. Et poteſt hæc excommunicatio abſolui à quolibet etiam ſimplice Sacerdote ab Ordinario non approbato. Imò ex delegatione etiam Diaconus, & quilibet alius Clericus poteſt à minore excommunicatione abſoluere. Itemque electio paſſiua eius, qui eſt excommunicatione

tione minore irretitus, non eſt irrita, ſed irritanda; & ſi is excommunicatus celebret, vel Sacramenta recipiat, non incurrit irregularitatem, vel maiorē excōicationē. *ibi. reſ. 3.*

103 Remigantes in triremibus Turcarum excuſantur ab excommunicatione, & peccato, cùm perfringunt, deuaſtant, & ſurripiunt bona chriſtianorum, hoc enim metu mortis faciunt. Et licèt de rigore iuſtitiæ teneantur ad reſtitutionem, tamen regulariter credendum eſt Chriſtianos, neque ab illis reſtitutionem expectare, neque eam velle. 5. *par. tr. 7. reſ.* 30.

104 Vxor non peccat cohabitando cum marito excommunicato, nec cum illo communicando tàm in petitione, & redditione debiti; quàm in omnibus alijs obſequijs, & actibus, quæ ad matrimonium ſpectant. Excipe. 1. cùm excommunicatio lata eſt cauſa matrimonij, qualis eſt an ſit legitimè contractum. 2. Si coniuges eſſent diuortio ſeparati. 3. cùm communicatio eſt in his, propter quæ excommunicatio lata eſt, quia hoc eſſet communicare in crimine, quod numquam licet. 4. Cùm maritus excommunicatus eſt ſimul cum alio excommunicato, itaut ſine vtriuſque communicatione non poſſit vxor viri communicatione vti. 5. quando vir eſt excommunicatus ob hæreſim. 5. *par. tr* 9. *reſ.* 122.

105 Mulier, quæ ſcienter contrahit matrimonium cum excommunicato, poteſt cum illo communicare, quia hoc non eſt expreſsè in iure prohibitū. *ibid. verſ. Sed difficultas.*

106 Maritus item poteſt cum vxore excommunicata communicare, quia eadem conditione ſunt maritus, & vxor. Et hoc etiamſi vterque eſſet excommunicatus; nam concurrentes hæ excommunicationes non faciunt maius impedimentum, nec tollunt communicandi conceſſioné. *ibid. reſ.* 123.

107 Spon-

107 Sponſus de futuro excommunicatus non poteſt cũ ſponſa communicare, nec contra: ſed ſecùs eſt de ſponſis de præſenti, quamuis per copulam matrimonium non compleuerint, quia nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit. *ibid. reſ.* 126.

108 Filij quicumque etiam emancipati naturales, & adoptiui, poſſunt cum patre excommunicato communicare. Idem dic de nepotibus, pronepotibus, nuru, genero, ſocero, priuigno, priuigna, & pupillo reſpectu tutoris: hi enim omnes comprehenduntur ſub nomine filiorum, ita vt poſſint cum excommunicato communicare. *ibid. reſ.* 118. *&* 119.

109 Pater item poteſt communicare cum filio excommunicato, & cum ſeruo, ex regula iuris, quod in vno correlatiuo diſponitur, de altero diſpoſitum eſſe cenſetur. *ibid. reſ.* 120. *& reſ.* 125. *verſ. Notandum.*

110 Serui poſſunt communicare cum domino excommunicato, quamuis ſeruitus non præceſſerit, ſed fuerit poſterior excommunicatione. *ibid. reſ.* 124.

111 Serui eiuſdem domini, quando vnus illorum eſt excommunicatus, poſſunt alij cum illo communicare, & idem dic de filijs reſpectu alterius filij, quia vix poſſunt communicare vni tertio ſicut domino, quin communicẽt inter ſe. Hoc tamen ita intelligi debet, quod communicatio ſit eius tantùm, quod ſuppoſita cohabitatione, & famulatu vitari moraliter minimè nequeat. *ibid. reſ.* 125.

112 Religioſi non poſſunt communicare cum Prælato excommunicato non tolerato, niſi in excommunicatione, quæ ratione habitationis modo morali vitari non poteſt, perinde ſcilicet, ac ſi eſſet quiuis alius ex eadem familia ſic excommunicatus. Si verò eſſet toleratus, poſſent ſubditi illum vitare occultè, ſi excommunicatio eſt occulta, vel publi-

Digitized by Google

publicè, ſi publica. *ibid. reſol.* 127.

113 Ab excommunicatione lata generaliter ab homine, quando non reſeruatur, poteſt abſolutè Parochus, ſeu alius Confeſſarius, qui poteſt ab excommunicatione a iure lata non reſeruata. *ibid. reſ.* 4.

114 Ab excommunicatione maiore a iure lata, & reſeruata poteſt abſoluere is tantùm cui eſt reſeruata, aut eius ſuperior, aut is cui ipſi commiſerint, niſi excommunicatus ſit in articulo mortis. Tunc enim quilibet ſimplex Sacerdos poteſt abſoluere ſub onere comparendi (exceptis pueris) coram eo, a quo extra articulum erat abſoluendus. *ibid. reſ.* 6.

115 Ab excommunicatione Papæ reſeruata poteſt Epiſcopus ex Conc. Trid. abſoluere, quando delictum eſt occultum. Imò etiam iure ordinario poteſt ab eadem abſoluere, quando eſt publica, & excommunicatus non poteſt recurrere ad Papam. Impedimenta autem ſunt hæc. 1. Periculum mortis. 2. Infirmitas longa, etiamſi periculoſa non ſit. 3. Paupertas. 4. Ætas ſiue ſenilis, ſiue puerilis. 5. Secùs fragilitas vt fœmina cuiuſcumque conditionis. 6. Alteri aſtrictus, qui ſui iuris non eſt; vt filius familias, & ſeruus, quando non poteſt Papam adire ſine præiudicio parentis, vel domini. 7. Cura animarum; vel temporale dominium, cui timetur ne per abſentiam oues, vel vaſſalli patiantur. 8. Debilitas in viris delicatis. 9. Quodlibet aliud impedimentum, quod arbitrio prudentis viri iudicetur legitimum. *ibid. verſ. Notandum, & ſequent.*

116 Excommunicatus per generalem, vel particularem ſententiam ab vno Epiſcopo, ſi mutauerit domicilium, poteſt abſolui ab Epiſcopo, cui ſubditus tunc eſt. *ibid. reſ.* 8.

117 Qui verſatur in Epiſcopatu alieno, non eſt ſubditus illi Epiſcopo; ideò non poteſt excommunicari ab illo

per

per excommunicationem ab homine, nec generaliter, nec in particulari pro quantumcumque graui delicto. Adhoc autem vt poſſit ab illo excommunicari, neceſſe eſt quòd fiat ſuus ſubditus, vt puta ratione delicti in ſua iuriſdictione commiſſi, vel alio titulo. *ibid. reſ. 9.*

118 Valida eſt abſolutio, qua abſoluitur ab excommunicatione inuitus. Et licita etiam, ſi adſit tres conditiones. 1. quòd non ſit in præiudicium tertij, quia hic eſſet actus contra iuſtitiam. 2. Dummodo non adſit ſcandalum, vel contemptus cenſuræ. 3. quod ſint ſufficientia ſigna, quòd talis cenſura potius detrimẽtum afferat, quàm vtilitatem, & quòd procedendo via ſuauiore obedientiam obtinebit. *ibid. reſ. 10.*

119 Abſolutio ab excommunicatione data ſub conditione in futurum pendente, validè confertur. vt v. g. Te abſoluo ab excommunicatione, ſi infra quindecim dies, vel cras reſtitueris. *ibid. reſ. 14.*

120 Probabile eſt abſolutum ab excommunicatione ad reincidentiam, noua culpa indigere ad hoc, vt in eam reincidat. Contrarium tamen etiam pios habet auctores.

121 Si pars dilatet tempus abſolutionis ad reincidentiam a Iudice factæ, incurritur elapſo tempore excommunicatio, neque requiritur alia excommunicationis ſententia. *ibid. reſ. 22.*

122 Relinquere ceremonias in abſolutione ab excommunicatione ſecluſo contemptu, & ſcandalo, non eſt peccatum mortale. Vt ſi quis non exigeret iuramentum, vel non recitaret aliquem Pſalmum Pœnitentialem, aut Orationem Dominicam, &c. *ibid. reſ. 23.* Et licèt non exigatur, valida eſt abſolutio. *ibid. reſ. 68.*

123 Excommunicatus, adhuc vt abſoluatur ab excommunicatione; ſufficit ſi det vel fideiuſſoriam, vel pignoratiam,

Digitized by Google

tiam, vel iuratoriam cautionem; & quamuis poſſet dare fideiuſſoriam, vel pignoratitiam, ſufficit ſi det tantùm iuratoriam. *ibid.reſ.39.*

124 Cùm quis petit ab excommunicatione, vel aliqua cenſura determinatè abſolui, ſufficit dicere. *Abſoluo te*; nõ addendo ab excommunicatione, vel ſuſpenſione, &c. Si verò abſolutio à cenſura detur inuito, vel non petenti, vt fit in abſolutione Sacramentali, neceſſe eſt eam in abſolutione exprimere, vt abſolutio valida ſit. *ibid.reſ.31.*

125 Excommunicatus, qui non poteſt propter impedimentum Papam adire, non tenetur impetrare abſolutionem per Epiſtolam, quoniam à iure ad id non obligatur; ſed poteſt ab Epiſcopo abſolui, etiamſi poſſit adire Nuntium Summi Pontificis. 4.*par.tr.*4.*reſ.*58.

126 Excommunicatus non peccat toties quoties non audit Miſſam contra Eccleſię præceptum, etiamſi ſit negligens in obtinenda abſolutione. Non tamen excuſatur à præcepto confeſſionis, & communionis annuæ, quando facilè poteſt abſolutionem obtinere, quia obſeruatio horum præceptorum eſt magni momenti. *ibid. reſ.*57. *&* 5. *par.tr.*9.*reſ.*88.

127 Contumax in excommunicatione per annum inſordeſcens, ſuſpectus habetur de hæreſi, beneficijſque priuatur, quando eſſet excommunicatus pro crimine, ſecùs pro culpa ciuili. Vnde quamuis Inquiſitores poſſint, non tamen ſolent ex conſuetudine procedere contra excommunicatos pro alijs delictis extra hæreſim, etiamſi inſorduerint in excommunicatione. Si quis verò excommunicatus in cauſa fidei inſordeſcat per annum, & citatus ad reſpondendum contumax ſit, condemnatur vt hæreticus non verus, ſed præſumptus. Vt autem prædictus excommunicatus tamquàm hæreticus condemnetur, ſi facilè ca-

pi

pi non poteſt, debet ſpecificè citari ad reſpondendum de ſide, & ad ſe purgandum de ſuſpitione ex inſordeſcentia orta, & quamuis citatio vna fortè ſufficiat in dicto caſu, tutius eſt, vt triplex præmittatur. Annus verò debet eſſe continuus, & toto illo tempore cum poteſtate comparendi, & incipit à die declarationis, vel ſententiæ, vel notorietatis. Si tamen ante lapſum annum moriatur, non condemnatur vt hæreticus, neque eius bona confiſcantur, niſi ex teſtibus eſſet plenè conuictus. 4. *par. tract.* 7. *reſ.* 18.

FAMA.

1 QVi affectus iniuria, magnam famæ iacturam faceret, ſi fugientem non perſequeretur, poteſt perſequi inuaſorem, & percutere, imò & occidere ſi opus ſit ad ſui honoris reparationem, modò abſit odium, appetitus vindictæ, & exceſſus. Quia vt ego poſſum perſequi furem, & rem meam (quam ſuppono eſſe magni pretij) illata etiam morte ab eo extorquere; ſic potiori iure poſſum perſequi infamatorem, & raptam mihi famam qua poſſum ratione repetere. 2. *part. tract.* 15. *&* 1. *Miſcell. reſ.* 15.

2 Qui alium occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, cùm poſſet, fugiendo vitam ſeruare, non peccat, nec incidit in irregularitatem, ſi non poteſt fugere ſine graui infamiæ nota: quia non poteſt vitare periculum ſibi ab aduerſario imminens, niſi occidendo: quod enim ſine graui infamia vitari non poteſt, cenſetur moraliter ineuitabile. *ibid. reſol.* 16. Non tamen licet præuenire & occidere inimicum, quamuis paratum ad inuadendum, donec actu inuadat; quia nemini priuato licet alium occidere, niſi ad neceſſariam defenſionem. 3. *par. tr.* 5. *reſol.* 90.

3 Licet clàm occidere eum, qui in iudicio conatur aliquem

quem calumnijs opprimere in cauſa magni momenti; quia hoc non tàm eſt occidere, quàm ſe defendere. Licet autem id non prohibeatur iure naturæ; tamen iure poſitiuo prohiberi poteſt, & re ipſa prohibitum eſt legibus; nam talis occiſor deprehenſus, morte mulctatur, vt obuiàm eatur infinitis cędibus, quæ ſub prætextu tuendæ famæ, aut vitæ quotidie perpetrarentur. *ibid. reſ. 97. Vide etiam verbo Detractio.*

Feſtum.

RVſticani, qui diebus feſtis inter ſe cõtractus celebrãt, & Notarij qui adſunt, non peccant, modò abſit ſcãdalum. Quia neceſſitas illos excuſat, cùm pro feſtis diebus operi ruſtico ſint intenti. Item tonſores, qui feſtis diebus tondent, & radunt nouacula, quique ad tonſtrinam accedunt, ratione conſuetudinis quæ toleratur a Prælatis, & ratione lucri ceſſantis à peccato excuſantur; quia alijs diebus propter occupationes, tondendi non accedũt. Sic cap. licet de ferijs. Summus Pontif. feſtò die permiſit piſcationem halecum, quæ vno annis tempore recurrit. *2. par. tr. 15. reſ. 34. & 4. par. tract. 4. reſ. 62.*

2 Notarij, Commiſſarij, & alij Officiales Curię, diebus feſtis tranſcribentes acta; Item qui ſermones Concionatorum, & allegationes Doctorum mercede tranſcribunt, non videntur peccare mortaliter. Quia tranſcribere non eſt opus ſeruile; talis enim actio de ſe eſt mentalis & ſpiritualis, & per accidens eſt quòd hac, vel illa intentione fiat. *ibid. reſol. 35.*

3 Agaſones, ſeu muliones, qui audito ſacro cum iumẽtis oneratis itineri ſe committunt, nõ peccant mortaliter; quia in oneribus leuandis & imponendis (quod eſt opus ſeruile) non multum temporis conſumunt: ergo ob paruita-

uitatem materiæ a peccato mortali excuſantur. Paruitas autem materiæ excuſans a peccato mortali eſt ſpatium duarum horarum. *ibid.reſ.36.*

4 Epiſcopus non poteſt inſtituere diem feſtum alicuius Beati nondum canonizati: neque poteſt hic Beatus in Litanijs publicè inuocari; neque licet illius imagines pingere cum radijs, aut diademate. *3.par.tract.5.Miſc.reſ.9.*

5 Qui templorum parietes tapetibus,& auleis ornant, poſſunt hanc artem exercere etiam diebus feſtiuis abſque culpa mortali. *3.par.tr.5.reſ.8. verſ. An qui.*

6 Exiſtimo non poſſe damnari pictores, ſi poſtquam rei diuinæ ſatisfecerunt, artem ſuam ſine ſcandalo exerceant. Idem dicendum de Typographis caracteres ordinantibus; ipſa verò librorum impreſſio ſeruile opus eſt. Nec enim prædicta opera ſeruilia fiunt illicita, quod ob lucrum, & mercedem exerceantur, nam hoc per accidens ſe habet. *4.par.tract.4.reſol.62.*

7 Sartores item non peccant, ſi in diebus feſtis conficiant veſtes, vel alia pro aliquo funere, & interdum excuſantur cum poſt medium noctis feſto die laborare coguntur, vt veſtes promiſſas perficiant. *ibid.verſ.Nota 3.* Item in diebus feſtis prohibita ſunt tantùm iuramenta ciuilia. *ibid. verſ. Nota 2.* Item excuſari poſſunt a peccato puellæ in feſto Suentes, vel alio modo laborãtes, ſi ad fugandum otium hoc faciunt, & ne ad domus feneſtras ſe conſpiciendas exhibeant. *ibid. verſ. Nota 4.*

8 Probabilius eſt non eſſe licita opera ſeruilia in diebus feſtis propter pietatem, quia non eſt præmittendum opus religionis, qualis eſt feſtorum obſeruatio, propter pietatem, extra articulum neceſſitatis. Contrarium tamen etiam probabiliter ſuſtineri poteſt. *4. par. tr. 4. reſ. 177. & 5. par. tr. 13. reſ. 83. verſ. Notandum.*

9 Pi-

9 Piſcatio, & venatio, quæ in induſtria poſita ſunt, accedunt ad opus liberum, & non prohibitum in die feſto. Secùs dicendum de piſcatione, & venatione ex officio, quę tota poſita eſt in corporis defatigatione. *ibid. reſ.* 222. Itē iter agere non eſt prohibitum in feſtis; neque erunt opera ſeruilia quædam agitationes corporis, quę in ſaltationibus, choreis, & tripudijs conſiſtunt, & ideò talia opera erunt licita in diebus feſtis, non ratione conſuetudinis, ſed quia per ſe opera liberalia ſunt. *ibid. verſ. Notandum.*

10 Bellare in diebus feſtis, poſt auditam Miſſam, non eſt neque veniale peccatum. Imò ſtando in contraria etiā opinione, bellare in die feſto ferè ſemper erit licitum, cùm ſemper ſit aliqua vtilitas, aut neceſſitas in non differendo bello ad aliud tempus, ſi ſtatim commodè geri poſſit: vnde excuſantur qui aggere, foſſa, & vallo, vrbes, oppidaue muniunt, & alia ſimilia faciunt. *ibid. reſ.* 229.

11 Magiſtri artis digladiatoriæ, vulgò dicti *Schermidori*, poſſunt illam docere in diebus feſtis, quia non eſt ars mechanica. *ibid. reſ.* 230.

12 Epiſcopus licèt nequeat de iure inſtituere dies feſtos ſine populi conſenſu, tamen id poſſe de conſuetudine adhibito conſilio, non autem ſuffragio Clericorum. Et ſatis quidem videtur populus conſentire, cùm non contradicat. Sit tamen Epiſcopus parciſſimus in iſtitutione feſtorum, *ibid. reſ.* 178.

Fides Chriſtiana.

1 EXplicita fides Incarnationis, SS. Trinitatis, Circumciſionis, Reſurrectionis, &c. non eſt adultis neceſſarium medium ad ſalutem. Quia quidem ſunt adeò rudes, vt hæc myſteria vero conceptu non apprehendant, ac proinde nec explicitè credant: prætereà muti, & ſurdi à nati-

Digitized by Google

uitate non poſſunt iſta doceri. Quod attinet ad Sacramenta, omnes explicitè ſcire debent ſubſtantiã Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ: de cæteris idem dicendum ſi quis ea ſuſcipere voluerit. Item non peccant mortaliter adulti, neſcientes ſe ſignare ſigno Crucis, ſed venialiter tantùm. Item neſcientes Symbolum Apoſtolorum, Decalogum, Orationem Dominicam, dummodò eorum ſubſtantiam ſciant, venialiter tantùm peccant. Hortandi ſunt tamen fideles, vt illa omnia explicitè ſciant, & memoria teneant. *3. par. tract. 5. Miſcell. reſ. 46. & 48.*

2 In terris Turcarum licet vti pileo Turcico ad vitandum periculum mortis, aut iuſtam de hoſte victoriam reportandam, vel ob aliam cauſam ſatis grauem, & neceſſariam: quia huiuſmodi veſtes per ſe, & directè non ſunt ſigna protectatiua falſæ religionis, ſed ſunt res ex ſe indifferentes. Hinc infertur poſſe aliquem Romæ geſtare pileum cum ſigno flauo more Iudæorum, vt dùm quæritur ad necem, incognitus effugiat. *ibid. reſ. 49. & 5. par. tr. 7. reſ. 33. & reſol. 34.*

3 Non ſemper obligat præceptum de profitenda fide, ad reſpondendum infideli interroganti, an ſis Chriſtianus; ſed tunc tantùm, quando diſſimulatio fidei cederet in iniuriam rei Chriſtianæ, aut in ſcandalum proximi. Imò etiam tunc licet eludere aliqua ratione interrogantem, non tamen negare ſe eſſe Chriſtianum. *ibid. verſ. Notandum tertiò, & 5. par. tract. 13. reſ. 19.*

4 Prohibitum eſt laicis, quamuis doctis, & litteratis diſputare de fide, niſi in caſu magnæ neceſſitatis, vt ſi adeſſet hæreticus, qui fideles peruerteret, nec adeſſent Eccleſiaſtici, qui aduerſus illum partes fidei ſuſciperent: tunc enim laico docto non ſolùm prohibetur, ſed etiam tenetur cum hæretico de fide diſputare. *4. par. tr. 8. reſ. 56. verſ. Notandum.*

Digitized by Google

dum. Et hoc ſub pœna excommunicationis, quæ non incurritur ipſo facto, ſed eſt ab Eccleſiaſtico infligenda. *ibid.*

5 Clerici licèt indocti, quamuis non comprehendantur in dicta prohibitione, tamen peccarent contra legem naturalem, exponēdo ſe periculo errandi. *ib. verſ. Notandū.*

6 Tranſeunti per loca hæreticorum, & infidelium, licitum erit comedere cibos vetitos ad euitandum graue dānum, dummodo abſit ſcandalum, quòd quis facilè poteſt euitare manifeſtando cauſam, & niſi cibos illos edere prouoceris auctoritate publica in contemptum Eccleſiaſtici præcepti. 5. *par. tract. 7. reſ.* 35.

7 Quamuis in ordine ad familiaritatem liceat cùm Iudæis eſſe, dummodo nullum ſit periculum ſubuerſionis, & tales conuerſantes ſint firmi in fide; tamen non licet famulari, nutrire, vel alia idgenus efficere cum Iudæis, tùm quia ſunt acerbiores in Chriſtum, tùm quia argumentis minùs ſtultis poſſunt decipere familiares. Et hanc legem violare eſt peccatum mortale, licèt deſit periculum ſubuerſionis: non eſt autem periculum eadem officia exhibere Sarracenis, & Paganis, quia in lege non exprimuntur. *ibid. tr.* 13. *reſol.* 11.

8 Qui conſilia Regis Chriſtiani narrat alicui Turcarum proditori, probabile eſt non incurrere in Cenſuram Bullæ Cœnæ Domini. *ibid. reſ.* 13.

9 Non videtur licitum deferre arma infidelibus etiamſi pecunia reportata ſit Chriſtianis vtilior. Et ſi caſus huius neceſſitatis occurreret, conſulendus eſſet Summus Pontifex. *ibid. reſ.* 15.

10 Qui per multum tempus ignorauit myſterium Trinitatis, non tenetur reiterare confeſſiones factas; ſicut & ſi quis interrogatus de numero peccatorum in confeſſione, dicit ſe non eſſe ſolitum in præcedentibus confeſſioni-

Digitized by Google

bus illum exprimere, non videtur cogendus ad repetitionem prædictarum confeſſionum, ſi is bona fide crediderit numerum non eſſe neceſſarium ad integritatem, & validitatem confeſſionis. Imò ruſtici, qui bona fide putant ſe benè confeſſos, non ſunt multùm inquietandi interrogando de aliquo præteritæ confeſſionis, niſi aliquid eſſentiale defuiſſe manifeſtum ſit. *ibi.tr.*14.*reſ.*23.

11 Profeſſio fidei fieri poteſt per procuratorem, niſi aliud ſit à Sacra rituum Congregatione ſtatutum. Omittens autem intra terminum duorum menſium profeſſionem fidei, amittit fructus; non tenetur tamen illos reſtituere, donec condemnetur, ſeu ſequatur ſententia declaratoria. Si quis verò eam omitteret per ignorantiam, incogitantiam, ſeu inaduertentiam, non peccat mortaliter, neque tenetur reſtituere fructus in foro conſcientiæ, licèt in foro externo fuerit condemnatus. *ibid.tr.*14.*reſ.*23.

Furtum.

1 PRobabilis eſt ſententia aſſerens in graui neceſſitate licere furari aliena occultè; vt enim diues in hoc caſu tenetur dare, ita pauper poteſt accipere abſque iniuria; neque diues in hoc caſu poteſt eſſe rationabiliter inuitus circa ſubſtantiam rei acceptæ, ſed tantùm poteſt ei diſplicere modus, quia pauper maluit furari, quàm petere. 2.*par.tr.*17.& 3.*Miſcell.reſ.*29.

2 Quando plures alicui graue damnum inferunt per minuta furta a ſingulis ſeorſim commiſſa, ita vt nullus aliũ iuuerit, non peccant mortaliter, neque tenentur ad reſtitutionem: quia ſinguli leue damnum inferunt: neque ex eo quod alij furantur, aggrauatur aliorum peccatum, quia non ſibi mutuam opem præbent, nec alter alteri eſt cauſa furandi. *ibid. reſ.*42.

3 Fur,

3 Fur, ſeu quiuis alius iniquus poſſeſſor rei alienæ, tenetur præter rem ipſam, reſtituere æſtimationem illius incrementi ſeu pretij quo dominus eam vendidiſſet, ſi erat eam venditurus in optimo ſtatu, vel ſumma æſtimatione. Secùs autem ſi eum non erat venditurus; nam tunc ſufficit reſtituere rem vti eſt, modò tamen nō ſit effecta deterior, vel minoris pretij quàm erat anteà, quod non contigiſſet, ſi res fuiſſet apud verum dominum. *ibid. reſ.* 51. Si autem ignoratur quo tempore verus dominus eſſet rē illam venditurus, in tali caſu reſtitutio facienda erit iuxta valorem ſeu pretium medium inter ſummum, & infimum. *ibidem reſol.* 52.

4 Quantitas requiſita ad furtum vt ſit peccatum mortale, reſpectu diuitum eſt circiter 60. aſſium: reſpectu perſonarum communium circiter 20. aſſium: reſpectu pauperum circiter 7. aſſium. *ibid. reſ.* 57. *&* 5. *par. tract.* 5. *reſ.* 34.

5 Qui bona fide accepit pecunias a fure emente, eaſq. cùm proprijs commiſcuit, non tenetur eas reddere domino ſi comparuerit: quia non eſt factus inde ditior; nam pretio iuſto rem ſuam vendidit. 3. *part. tract.* 5. *Miſcell. reſ.* 40. *&* 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 67.

6 Qui rem a fure bona fide emptam maiori deinde pretio vendidit, non tenetur domino reſtituere illud plus quo factus eſt ditior: eſt enim fructus induſtriæ. *ib. reſ.* 41.

7 Probabilius videtur eū, qui bona fide comedit apud furem cibos furtiuos, teneri reſtituere domino id, in quo factus eſt ditior parcens ijs, quæ domi erat expenſurus. *ibid. reſ.* 43.

8 Si furi furandi gratia aſcendenti ſcalam teneas, quam & ſiue nemo teneret, tamen aſcenderet; & ſi aſportando rem furtiuam, illum adiuues, quam ſine tua ope auferret tamen, non teneris ad reſtitutionem. Quia non fuiſti cauſa

furti, ſed tantùm modi, aut circumſtantiæ. *ibid.reſ.*47.

9 Qui videt furantem, nec impedit, non tenetur ad reſtitutionem, niſi ex officio teneatur impedire. *ibid. reſ.*54.

10 Vir honeſtus, & cui pro ratione ſui ſtatus grauiſſimum, & maximum dedecus eſſet mendicare, nec poſſit alia via victum ſibi acquirere, videtur poſſe clanculum neceſſaria ſurripere: ſecùs ſi eſſet infimæ ſortis qui poſſet ſine notabili honoris detrimento mendicare, vel per aliquã artem ſibi neceſſaria acquirere. 5.*par. tr.*8.*reſ.*24.

11 In ſurreptione gratiæ, & in furto Reliquiarum datur paruitas materiæ, itaut harum rerum furtum non ſit ſemper peccatum mortale. 5.*par.tract.*5.*reſ.*33.34.*&* 35.

12 Excommunicatio lata contra aliquos, quorũ vnuſquiſque tamen minimam quantitatem furatus ſit, eſt valida, quia licèt ratione paruitatis vniuſcuiuſque peccatum ſit veniale, tamen cùm vnuſquiſque teneatur ad reſtitutionem propriæ partis, ſtatim ac intellexerit notabile damnum ex ſuo furto alicui proueniſſe, ſub pęna peccati mortalis, excommunicatio cadit ſuper iſtud mortale peccatum, & ſuper contumaciam non reſtituendi. 5.*par.tr.*9. *reſol.*54.

13 Cùm ex vi monitorij, quis tenetur reuelare furtũ, debet etiam reuelare filium familias, ſi furtum fecerit, niſi ſecùs conſtet de mente patris. *ibid.tr.*13.*reſ.*69.

HOMICIDIVM.

1 LIcitum eſt occidere inuaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ; etiamſi ex eius morte ſequatur notabile damnum Reipublicæ, quia ſit perſona valdè neceſſaria; & quamuis inuaſus fuerit in culpa, vt inuaſor aggrederetur ipſum. 5.*part.tract.*4.*reſ.*1.2.3.

2 Lici-

2 Licitum eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui ei fuſtem, vel alapam conatur inferre. Secùs dicendum de hominibus infimæ conditionis, qui ex alapis, & verberibus non magnam ſuſtinent ignominiam. *ibid. reſ.* 4.

3 Fas eſt interficere eum, qui nos interficere decreuit, quando aliter non patet via euadendi mortem, aut graue periculum mortis. Et ſic ſi Petrus per famulum, vel ſicarium ſtatuat Paulum occidere, licitum eſt Paulo (ſi non habeat vllam ſpem euadendi) præuenire, & occidere Petrum. Itemque licitum erit occidere falſum teſtem euntem ad teſtificandum falſum contra aliquem. Idemque dicendum de accuſatore: licèt hoc paſſim non ſit ſuadendum. *ibid. reſ.* 5. 6. 7. Inſuper reclùſus in aliqua domo, vbi videt inimicum expectare ad eum occidendum, poteſt præuenire, & illum interimere, ſi aliter ſaluari nequit. *ibid. reſ.* 3.

4 Pro defenſione honoris, qui ſit alicuius momenti, habita ratione perſonarum, & circumſtantiarum concurrentium, licitum eſt interficere aggreſſorem, quando aliter honor conſeruari non poteſt. Et prò eodem tuendo poterit quis inuaſorem poſt impactam alapam, vel fuſtem, fugientem inſequi, & repercutere, vel occidere, ſi opus eſt ad honorem recuperandum. 5. *par. tr.* 4. *reſ* 9. *&* 11.

5 Non licet occidere eum, qui minatur mortem, quia minari mortem verbis ſolis non eſt occidere; & contraria ſententia forſan procedit in foro exteriori. 5. *part. reſ.* 10. Nec contumelioſum, quamuis aliter ea iniuria arceri nequeat. *ibid. reſ.* 12. Nec eum, qui alicui viro honorato diceret: Mentiris. *ibid. reſ.* 13.

6 Quando aggreſſus eſſet perſona, cuius vita multùm Reipublicæ vel in ſpiritualibus, vel in temporalibus referret, non ſolùm poteſt, ſed tenetur ſub mortali interficere aggreſſorem ſi poſſet, vt vitam ſuam conſeruaret. Idem dic

ſi ex eius morte ſequeretur maximum detrimentum familię. *ibid. reſol.* 14.

7 Miles, qui certò ſcit bellum eſſe iniuſtum, poteſt nihilominùs licitè ad ſe defendendum occidere militem contrarij exercitus, à quo inuaditur, dummodò moneat, ſi poteſt, & procuret, vt miles aggrediens deſiſtat ab aggrediendo. *ibid. reſ.* 15.

8 Cùm quis interficit inuaſorem, poteſt etiam intendere eius mortem, vt medium ad ſui defenſionem. *ibid. reſol.* 16.

9 Licitum eſt etiã in conſcientia occidere inuaſorẽ pro defendendis proprijs bonis. Res verò pp quam alter interficiendus eſt, debet eſſe magni momenti, vel ex ſe, vel in ſuo pretio, vel ex ſuo conſequente, alioquin valdè iniquum eſſet pro re parua eripere vitam homini.. *ibid. reſ.* 17. & 18.

10 Pro defenſione vitæ, & rerum externarum proximi poteſt quis occidere iniuſtum inuaſorem, quia lege charitatis licitum eſt alijs facere, quod pro ſe ipſo quiſque poteſt. *ibid. reſ.* 19. & 20.

11 Licitum eſt occidere inuaſorem pro pudicitiæ defenſione, quia eſt res magni momenti. *ibi. reſ.* 36.

12 Non licet occidere contumelioſum, etiamſi aliter ea iniuria arceri nequeat; quia verbales iniuriæ verbis repelli poſſunt. 5. *par. tr.* 4. *reſ.* 12. Nec licet occidere eum, qui dicit viro honorato: Mentiris, quamuis hoc ſit valdè ignominioſum. *ibid reſ.* 13.

13 Tyrannus, qui inuadit aliquod Regnum, poteſt in actu inuaſionis à priuato etiam homine occidi gladio, veneno, proditoriè, inſidijs, aliove quouis modo. Si verò poſtquàm inuaſerit, retineat qualemcumque principatus poſſeſſionem, vel adminiſtrationem, id licitum non eſt, quia nullus deijci à poſſeſſione debet, niſi priùs audiatur, &

iudi-

iudicetur. *ibidem reſol.* 21.

14 Licet ſine peccato occidere bannitum etiam extra territorium proſcribentis, & proponere præmium illud occidenti; ſicut etiam poteſt à quolibet occidi graſſator, qui vias publicas tenet. *ibid. reſol.* 24. quamuis id fiat proditoriè, & per inſidias. *ibid. reſ.* 25.

15 Si Iudex deſit, poteſt quis intrare in locum, vbi rem furatam in pacifica poſſeſſione fur conſtituit, & illum occidere cum moderamine. *ibid. reſ.* 37.

16 Chriſtiani cum piratis, vel alijs inimicis dimicantes, non poſſunt ignem pulueri inijcere, ſeque mari committere, quia milites neceſſariò occidendi ſunt ab hoſtibus. *ibid. reſ.* 26.

17 Licet exponere propriam vitam pro conſeruanda amici vita, vel etiam pro alio inferiore bono amici, vel pro honore, vel facultatibus. *ibid. reſ.* 28. & 29.

18 Quamuis homicidium ſit contra lumen naturæ ſecundarium. i. contra concluſiones deductas ex principijs notis lumine naturali, tamen poteſt cadere ignorantia in huiuſmodi veritate, & excuſandus ab id, qui ſeipſum occideret. *ibid. reſ.* 30.

18 Etſi non liceat directè ſeipſum occidere, licitum tamen eſt, ſi iuſta cauſa adſit, aliquid facere, vel omittere, vnde certò mortem ſecutura eſt. *ibid. reſ.* 27. & *reſ.* 31.

20 Licitum quidem ſeipſum mutilare, quando ſalus totius corporis abſciſſionem requirit. *ibid. reſ.* 32.

21 Non licet vigilijs, pœnitentijs, &c. vitam ipſam abbreuiare, quamuis damnandus de mortali non eſſet, qui ob diuinum obſequium, & ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis corpus affliggeret, & ſic vitam abbreuiaret. Sed in hoc optimum conſilium erit nihil facere ſine conſilio prudentis confeſſarij, & ſuperioris. *ibid. reſ.* 33.

22 Licet

22 Licet quandoque ſumere venenum, vt experiatur virtus theriacæ, ſi tamen hæc concurrant. 1. Vt qui illam compoſuerit, optimè ſciat illam conficere. 2. Vt priùs in aliquo animali bruto experimentum ſumatur. *ibi. reſ.* 38. Damnatus tamen a Iudice, vt veneno pereat, non poteſt illud haurire, quia eſſet occiſio ſui ipſius. *ibid. reſ.* 39.

23 Reus non poteſt ſe ex ſcala præcipitem dare, dum jam carnifex funem collo appoſuit, occideret enim ſe ipſum. *ibid. reſol.* 40. Condemnatus verò ad mortem per famem, poteſt etiam abſtinere a cibo clanculum oblato, hoc enim non eſt ſeipſum occidere. *ibid. reſ.* 41.

24 Poteſt quis tabulam a ſe occupatam in naufragio alteri concedere, licèt certò ſit moriturus: Imò hoc eſſet laudabile pro Rege non ſolùm, ſed etiam pro quocumque amico, vel proximo. *ibid. reſ.* 42. *&* *reſ.* 28.

25 Morituro non licet reſpuere medicamenta, dùm adeſt ſpes ſalutis. Licitum quidem eſt, & meritorium iuris perfectis reſpuere medicinam in aliquibus morbis, & doloribus grauibus nõ afferentibus periculum mortis. 5. *par. tract.* 3. *reſ.* 135. Si tamen comedat, vel bibat rem nociuã, putans, vel non aduertens, quod ei nocebit, vel etiamſi credat ei cauſaturam nocumentum, ſed non magnum, non peccat mortaliter. *ibid. verſ. Nota.* Nec tenetur parere medico diſtincto præcepto obedientiæ, ſed eo, quo eſt aſtrictus propriam conſeruare vitam. *ibid. verſ. Non deſinam.*

26 Carthuſianus in articulo mortis poteſt quidẽ edere carnes, ſed non tenetur. *ibid. reſ.* 136.

27 Fœminæ etiam ignobiles in mortis periculo poſſũt non oſtendere verenda chirurgo ratione pudoris. Secùs ſi medicamenta poſſent adhiberi ab obſtetricibus, vel alijs fœminis. *ibid. reſ.* 138.

28 Iudex ſecundùm allegata, & probata poteſt occidere

dere reum quem ſcit ex priuata ſententia eſſe innocentem, ſi nequit deponere officium adhibitis requiſitis diligētijs, niſi cum magno damno, & incommodo. 5. *part. tract.* 4. *reſol.* 22.

29 Innocens poteſt, imò tenetur ſemetipſum tradere tyranno, id poſtulanti pro ſalute patriæ. Et hoc ipſum ei à Republica præcipi, imò ad hoc cogi poteſt. Et ſi contumaciter reſiſtat, etiam ab ipſa Republica occidi poteſt. *ibid. reſ.* 23.

30 Dubium eſt an licitum ſit occidere obſides, ſi aduerſarij non ſtent promiſſis: videndum enim eſt, an ſint innocentes iudicandi, necne. *ibid. reſ.* 35

31 Salutaris pœnitentia iniungenda occiſori hominis hæc videtur. Vt interfecti propinquis ſupplicem ſe abijceret, & veniam peteret, & illata damna ſarciret, & pro ſalute occiſi per annum ſingulis hebdomadis (ſi ei tantùm in bonis eſſet) ſacrificium offerri curaret, & eleemoſynam aliquam egentibus largiretur, & Litanias per eumdem annum, vel coronam B. Mariæ Virginis quotidie pro eodem flexis recitaret. Item vt octauo quoque die per annum pęnitentia ſua peccata expiaret, & ſingulis menſibus Euchariſtiam ſumeret; & in omni vita quotidie ſemel orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam pronunciaret, terram genibus tangens pro anima occiſi. *ibid. reſ.* 43.

32 Si quis quantumcumque iniuſtè inuaſus occidendo, vel percutiendo excedat moderamen inculpatæ tutelę, ad nullam tenetur reſtitutionem ratione exceſſus. Neque ſi quis occidat inuaſorem rerum ſuarum, etiamſi recuperare eas iudicialiter poſſet. *ibid. reſ.* 44. & 45.

33 Ex homicidio caſuali, ſeu fortuito, tunc incurritur obligatio reſtitutionis, cùm adeſt culpa, & negligentia lata, non autem leuiſſima, vel leuis, & in eo etiam caſu mitiùs

tiùs facienda reſtitutio, quàm ſi homicidium ex induſtria fuiſſet admiſſum. Vnde ſi dans operam rei licitæ, vel illicitæ, adhibuiſti ſufficientem cautionem, ne inde aliquid incommodi ſequatur, tunc ſi ſequuta ſit mors alicuius, non eſt tibi imputanda, nec teneris ad reſtitutionem. *ibidem reſol.* 46.

34 Adulter occidens cum moderamine inculpatæ tutelæ, & inuaſus, qui cùm poſſit fugere, occidit aggreſſorem, non tenentur ad reſtitutionem. *ibid. reſ.* 47. *&* 48. Idem dic de Clerico (licèt hic, & prædicti peccent contra charitatem) qui nolens fugere, cùm poſſit, interficit inuaſorem. *ibid. reſ.* 49.

35 Si quis prouocauit aliquem ad duellum, & ſic prouocatum occidit, non eſt à reſtitutione excuſandus. Secus ſi prouocatus occidat prouocantem: & ſi ambo æquè ad duellum ſe prouocauerunt, tunc enim neuter tenetur. *ibid. reſol.* 50.

36 Cùm quis aduertit ex ſuo homicidio ſecuturum damnum tertij, ſi reuera ſequatur, non tenetur ad reſtitutionem. Vnde vendens catapultam alicui, qua malè vſurum putat, ſi cum illa aliquem poſteà occidat, non tenetur ad reſtitutionem, quamuis contra charitatem peccet. Et idem dic etiamſi intendat vendendo illam catapultam, vt ille occidat inimicum ſuum. *ibid. reſol.* 51.

37 Si mancipium occidat aliquem abſque Domini culpa, Dominus non tenetur ad aliquam reſtitutionem ante ſententiam Iudicis. *ibid. reſ.* 52.

38 Homicida, ſeu mutilator, tenetur 1. ad impenſas in curatione morbi, ſeu vulneris. 2. Ad omnia damna ex nece ſequuta. 3. Ad lucrum ceſſans; non tamen ad integrum lucrum, quia lucrum in ſpe, quod multis modis impediri poteſt, non valet tantum, quantum lucrum in re. Et præterea

ex

Digitized by Google

ex lucro deducenda eſt æſtimatio laboris, & moleſtiæ, quę impręſtando officio, vel opificio ſubiturus fuiſſet. *ibidem reſol.* 53.

38 Pro propriæ vitæ, aut membri priuatione deformitate, cicatrice, &c. nulla facienda eſt reſtitutio. *ibid. reſ.* 54.

39 Homicida non tenetur ex iuſtitia pro anima defuncti offerre Miſſas, vel Preces. *ibid. reſ.* 55.

40 Non tenetur homicida reſtituere damnum, quod per accidens familiaribus, & amicis occiſi ex eius morte ſequutum ſit. *ibid. reſ.* 56. Neque creditoribus. *reſ.* 57.

41 Si occiſus habeat filios, & omnia interfectori remittat, non videtur hic ad reſtitutionem obligatus. *ibi. reſ.* 58.

42 Occiſor ſolùm videtur obligari parentibus occiſi, filijs, & vxori. Tàm autem frater, quàm alij hæredes ſuccedunt in iuribus debitorum realium, quæ defunctus habebat ante mortem: Vnde expenſæ, quæ fuiſſent factæ in curatione v. g. vulneris, reſtituendæ ſunt hæredibus quibuſcumque, quia ad illas habebat ius defunctus, ante mortem. *ibid. reſ.* 59.

43 Hæredes homicidæ excuſantur a reſtitutione, ſi ille capite damnatus ſit, quia capitis ſententia compenſat omnem iniuriam, & damnum homicidij. *ibid. reſ.* 60.

44 Inter nobiles ex homicidio non oritur obligatio reſtitutionis, nam damna facilè condonant, ſolamque iniuriam memoria tenent. *ibid. reſ.* 61.

45 Homicida non eſt compellendus reſtituere, cùm ex reſtitutione conſtituitur in graui neceſſitate, niſi etiam hæredes occiſi eſſent in graui neceſſitate. *ibid. reſ.* 62.

46 Qui ex timore mortis hominem aliquem demonſtrauit, qui poſteà occiſus fuit, in foro exteriori tenetur ad reſtitutionem, quamuis in foro conſcientiæ non ſit obligandus, quia non fuit moralis cauſa iſtius dãni. *ibi. reſ.* 63.

Horæ

Digitized by Google

Horæ Canonicæ.

1 BEneficiarius voluntariè recitans officium ſine debita attentione, non tenetur ad reſtitutionem fructuum: quia hæc pœna impoſita eſt omittentibus recitationem officij. *2.par. tr.* 12.*reſ.*1.

2 Recitans horas Canonicas cum voluntaria diſtractione, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. Idem dicendum de Miſſa ſine attentione audita, modò non deſit externa reuerentia. *ibid. reſ.*2.

3 Qui dedita opera mutat officium, vel ſi pro officio de feria dicat de aliquo Sancto, non peccat mortaliter. Quia hoc non pertinet ad ſubſtantiam recitationis officij, ſed tantùm ad modum. *ibid.reſ.*3.

4 Quamuis interruptio inter recitandum officium ſit notabilis, & ſine iuſta cauſa; non eſt peccatum mortale, non repetere ab initio. Quia hæ circumſtantiæ non pertinent ad ſubſtantiam præcepti. *ibid. reſ.*4.

5 Qui omittit omnes horas Canonicas vnius diei, vnũ tantùm peccatum mortale committit. Quia ſeptem horæ vnum efficiunt officium integrum. *ibid. reſ.*5. *&* 4.*par.tr.* 4.*reſol.*219.

6 Canonicus qui recitat quidem officium in Choro, ſed cum alijs non canit; etiamſi ex iure antiquo, & primã inſtitutione videatur peccati mortalis reus; tamen ratione conſuetudinis excuſatur, & poteſt percipere diſtributiones quotidianas, ſaltem mediam partem. *ibid. reſ.*6.

7 Canonici confabulantes in Choro, idque notabiliter, mortaliter peccant, & tenentur ad diſtributionum reſtitutionem (licèt de reſtitutione quidam negent) propter praxim Eccleſiarum, & conſuetudinem, quæ ſic obtinuit. *ibid.reſ.*7. *&* 4. *par.tr.*4.*reſ.*149.

8 Qui

8 Qui habet beneficium curatum, aut ſimplex, ſi per multos annos ſæpius omiſit horas Canonicas, non tenetur reſtituere, niſi partem fructuum reſpondentem obligationi recitandi horas. *ibid.reſ.*8.

9 Qui habet adeò tenue beneficium, vt non ſufficiat ad tertiam partem mediocris ſuſtentationis, ſi omittat recitationem horarum, probabile eſt non facere contra prę-ceptum Eccleſiæ, nec teneri ad reſtitutionem. *ibid. reſ.*9. & 4.*par.tr.*4.*reſ.*146.& 5.*par.tr.*5.*reſ.*25.

10 Qui priuatim officium recitat, ſatis eſt ſi vocem format, labia mouendo, etiamſi a nemine, neque a ſeipſo audiri poſſit. *ibid.reſ.*11. Cùm autem duo ſimul recitant, ſufficit ſi alter lectiones recitet, alter audiat. *ibid.reſ.*12.

11 Qui occupatur pulſandis organis, thure præbendo, &c. dum horæ canuntur in Choro, non tenetur recitare ea, quæ tunc a Choro dicuntur. *ibid.reſ.* 13. Idem dicendum de eo, qui vt benè pronunciet lectionem in Choro iniunctam, occupatur, dùm Chorus canit, in ea per legenda, excuſatur enim ab auditione, nec tenetur recitare ea, quæ tunc a Choro dicuntur. *ibid.verſ.Idem.*

12 Qui recitant officium, etiam in Choro extra horas præſcriptas, ſi ſcandalum abſit, non peccant mortaliter. Nec qui recitant Matutinum ſequentis diei, ante officium illius diei perſolutum. Peccant tamen iſti venialiter ob peruerſionem ordinis. *ibid.reſ.*14.15. Item qui ordine præpoſtero recitat officium, aut partem illius non peccat mortalirer. Quia ordo non eſt de ſubſtantia recitationis. *ibid.reſ.*16.

13 Moniales, & deputati ad Chorum tenentur ſub peccato mortali perſoluere horas Canonicas, ex vi conſue tudinis. *ibid.reſ.*17.

14 Monachus fugitiuus, aut eiectus è Monaſterio non tene-

tenetur recitare officium : quia non eſt in ſtatu, in quo obligetur. *ibid. reſ.* 18.

15 Poteſt Superior ex iuſta cauſa cum ſuis Religioſis diſpenſare circa recitationem officij. *ibid. reſ.* 19.

16 Clerici minores tenentur recitare Pſalmos ab Epiſcopo in ordinatione iniunctos. *ibid. reſ* 20.

17 Beneficiarius non tenetur horas Canonicas perſoluere ante pacificam beneficij poſſeſſionem. *ibid. reſ.* 21.

18 Sacerdos beneficiarius omittens horas non peccat dupliciter ratione Ordinis ſacri, & beneficij : quia vnicam violat virtutem, nempe religionem. *ibid. reſ.* 22. & 4. *part. tract.* 4. *reſ.* 219.

19 Beneficiarius, qui hodie ſupplet heſternum defectum in recitatione officij, non liberatur ab onere reſtitutionis : quia ex Bulla Pij V. qui non recitat ſuo tempore, non facit fructus ſuos. *ibid. reſ.* 24.

20 Beneficiarius non recitans officium primis ſex menſibus, non tenetur iure naturali ad reſtitutionem. Quia non tenetur recitare ex iuſtitia commutatiua, ſed ex religione. *ibid reſ.* 25.

21 Omiſſio minor quàm vnius horæ integræ non obligat ad reſtitutionem, licèt peccaret mortaliter. Qui ex ſingulis aliquid omiſit, non tenetur, quia lex pro ſingulis horis reſtitutionem definit. *ibid. reſ.* 26. & 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 220.

22 Reſtitutio ex omiſſione horarum facienda eſt fabricæ beneficij, vel agris meliorandis, vel pauperibus, vel defunctis, per Miſſas, & ſuffragia. *ibid. reſ.* 27.

23 Quando medicus dubitat an recitatio officij nocitura ſit ægro, non tenetur recitare. Cui non licet per morbum, Matutinum cum Laudibus recitare, ad nihil tenetur. *ibid. reſ.* 28. & 29. & 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 225.

24 Qui

Digitized by Google

24 Qui Breuiario carens, tenet memoriter Pſalmos, non autem lectiones Matutini, non tenetur ſolos Pſalmos recitare. Idem dic de cęco, qui Pſalmos tenet. Quia ſoli pſalmi non faciunt Horas. *ibid. reſ.* 30. Imò ſi quis haberet tantùm Diurnum, non tenetur recitare pſalmos ſine lectionibus, & reſponſorijs. *reſ.* 43. *&* 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 225. *verſ. Notandum.*

25 Probabile eſt Canonicum qui abeſt à choro ſine cauſa, animo amittendi diſtributiones, non peccare mortaliter, modò abſit contemptus, & non ſit cauſa cur officium diuinum in Eccleſia non dicatur. *ibid. reſ.* 31.

26 In recitatione officij, notabilis abſciſſio ſyllabarum, vel nimia celeritas in canendo eſt peccatum veniale tantùm, neque obligat ad officium denuò recitandum, niſi adſit contemptus, aut ſcandalum, aut notabilis corruptio verborum. *ibid. reſ.* 32.

27 Omiſſio officij per octo, vel decem dies in anno, non obligat ad reſtitutionem. *ibid. reſ.* 34.

28 Qui recitat cum alio habente priuilegium vtendi Breuiario breui, vel dicendi horas ante tempus, ſatisfacit. *ibid. reſ.* 35.

29 Prælatus Regularis non poteſt quidquam mutare in Breuiario, abſque licentia Papę: poteſt tamen ex iuſta cauſa diſpenſare ſemel atque iterùm, vel aliud officium dicatur, quàm quod habetur in Breuiario pro illo die. *ibid. reſ.* 36.

30 Qui recitat officium animo non ſatisfaciendi pro tunc, ſi poſteà pertęſus mutet intentionem, & velit ſatisfacere illa recitatione, ſatisfacit obligationi: quia qui facit quod lex imperat etiam ſine intentione ſatisfaciendi legi, verè ſatisfacit. *ibid. reſ.* 37.

31 Prælati Regulares grauioribus occupantibus non

impediti, tenentur adeſſe choro, ad exemplum. *ibid. reſ.* 38.

32 Ab hora quarta diei poſt meridiem licet dicere Matutinum ſequentis diei. *ibid. reſ.* 39. Imò probabile eſt hora ſecunda finita poſt meridiem, poſſe quis recitato Veſpere ſtatim recitare Matutinum ſequentis diei. 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 9.

33 Clerici, & Religioſi damnati ad triremes, ad recitandas horas non obligantur. 2. *par. tr.* 12. *reſ.* 40.

34 Qui breuiorum Horarum dimidiam partem ommittit; maiorum verò Horarum, vt Matutini, Laudum, Veſperarum quartam partem cēſetur peccare mortaliter; quia eſt notabilis omiſſio. *ibid. reſ.* 41. *&* 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 216. *&* 5. *par. tr.* 5. *reſ.* 26.

35 Qui non intereſt choro, vel proceſſionibus in diebus Rogationum, non tenetur priuatim recitare Litanias. *ibid. reſ.* 42. Et hoc quidem probabiliter, nam contraria ſententia eſt probabilior, & tutior. *ibid. &* 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 226. Sicut etiam non videtur recedendum ab opinione aſſerente teneri omnes ſub mortali recitare Off. Defunct. die 2. Nouemb. licèt contrarium etiam non ſit improbabile. 4. *part. tract.* 4. *reſ.* 243.

36 Cœcus, licèt memoria retineat Pſalmos, non tenetur recitare Matutinum, cùm lectiones legere nequeat, nec tenetur ſocium quærere, imò ſi aliquis cęco ſe offerat in ſocium ad recitandum, non tenetur illum admittere; quia recitare cum ſocio priuilegium, & fauor eſt, quo non vti liberè poteſt, quod etiam procedit in infirmo, qui cùm ſocio poſſet recitare officium; nam non tenetur, etiam ſi ſocius ſe offerat ad id faciendum. *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 11. *&* *reſ.* 221. *&* 5. *par. tr.* 6. *reſ.* 16.

37 Cęci verò, vel ita caligantes, vt legere nequeant, tenentur horas perſoluere, ſi illas memoriter ſciunt; quia

prę-

præceptum non obligat ad recitandum per librum, neque requirit vt conditionem neceſſariam, dicendi poteſtatem per librum. 4. *par. tr.* 4. *Miſcell. reſ.* 11.

38 Probabile eſt eum, qui ratione infirmitatis non poteſt recitare horam tempore debito, non teneri illam recitare præponendo, vel poſtponendo; vt qui v. g. poſt Veſperas patitur quartanam, vel aliam febrim, non tenetur manè recitare Veſperas, & Completorium, &c. *ibid. reſ.* 10.

39 Qui recipit beneficium per ſimoniam, vel ſi ſit irregularis, vel non habens legitimam ætatem, vel in alio caſu, in quo collatio eſt nulla, non tenetur recitare horas Canonicas, quia non habet verum titulum beneficij, nec facit fructus ſuos. *ibid. reſ.* 146.

40 Qui Subdiaconatum ſuſcepit, ordinationis ſuæ die non tenetur totum officium recitare, ſed ſolùm ab illa parte, à qua obligatio incepit, imò nonnulli cenſent ſolùm à Veſperis illius diei poſſe incipere. Qui verò antequàm Subdiaconatum acciperet, recitauit omnes Horas illius diei, probabile eſt ſatisfacere obligationi ſuperuenienti, & non teneri ampliùs recitare. *ibid.* 218. Cùm vero Epiſcopus iniungit aliquos pſalmos, & litanias recitare ordinandis, probabile eſt nolle ſub graui culpa obligare, ſed ex quadam honeſtate, & decentia. *ibid. verſ. Nota etiam.*

41 Surdi nulla ratione eximuntur à recitando horas Canonicas, cùm per ſe legere poſſint. An verò ſurdus ſeipſum audiat legentem, necne, nihil refert, cùm facilè percipere poſſit quid dicat, & ad illud mentem aduertere. Quòd ſi legitimè impediatur, quo minùs per ſe ſolus recitet, tunc quoque immunis erit à recitatione cum ſocio. 5. *par. tr.* 6. *reſ.* 15.

42 Coadiutaria etiam cum futura ſucceſſione non inducit obligationem recitandi horas Canonicas, quia non

P 2 eſt

eſt beneficium. *ibidem tract.* 13. *reſ.* 75.

43 Præbendatus probabiliter non peccat mortaliter, ſi abſit a Choro, imò ſtando in affirmatiua ſententia, tres, vel quatuor dies in anno abſentiæ a Choro non conſtituũt culpam lethalem in præbendatis, immò quibuſdam à iure conceditur abſentia a Choro tribus menſibus in anno. Et ſi præbendatus recitet ſubmiſſa voce ſuam partem, vel nõ recitet, ſed ſolùm attendat ad partem, quam alius Chorus recitat, lucratur ſecundùm probabilem opinionem mediã partem diſtributionum. 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 217.

44 Cùm Matutinum ſeparatur a Laudibus, in fine recitanda eſt Oratio diei; qui verò priuatim etiam ſine iuſta, vel vlla cauſa, Laudes a Matutino ſe iungit, nullum peccatum committit. 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 48.

45 Qui priuatim ex deuotione recitaret officium alicuius Beatificati tantùm, non impleret præceptum recitandi, hoc enim non licet, niſi perſonis determinatis, quibus poteſtas recitandi facta eſt. 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 231.

46 Hora competens perſoluendi omnes Horas non debet ſumi punctualiter, ſed cum amplitudine, vnde ad tollendam etiam culpam venialem ſi quis parum ante horam præfixam Chori, vel parum pòſt recitauerit, cenſebitur tempore competenti recitare. Imò cenſenda eſt etiam cauſa iuſta, & a culpa immunis, ſi Scholaſticus differat Horas in Veſpertinum tempus, eo quòd Matutinum eſt aptum ſtudio. 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 9. *in Notandis.*

47 Beneficiarius omittens totum officium per vnum diem, tenetur reſtituere omnes fructus illius diei; ſi Matutinum tantùm omittat, dimidiam partem, ſi reliquas omnes Horas, alteram dimidiam, ſi harum ſingulas, ſextam partem fructuum illi diei reſpondentium: ita Pius V. in Bulla particulari. An verò poſſit hæc Bulla limitari, alij viderint.

Digitized by Google

derint. 4.*par.tr.*4.*reſol.*111.

48 Beneficiarius, qui non recitauit Laudes non tenetur ad reſtitutionem aliquam, quia omiſſio vnius horæ integræ obligat ad reſtitutionem, Laudes autem non ſunt hora integra, ſed pars Horæ, nempe Matutini. 5.*par.tract.* 14.*reſ.*46.

49 Si quis per annum integrum omittat diuinum Officium, nec reſtituat, quamuis ſæpè intra annum doluit de culpa, & ſtatuit recitare, vel reſtituere, & poſteà propoſitum non impleuit, ſufficit ſi in confeſſione dicat: Anno integro amiſi diuinum Officium, vel non reſtitui, nec opus eſt prædictam interruptionem declarare. *ibidem reſol.*55.

50 Surdi, & cæci a Choro poſſunt abeſſe, & lucrari diſtributiones quotidianas. 5.*par.tr.*6.*reſ.*14.

IEIVNIVM.

1 CIrca quantitatem collationis ſerotinæ quando ab Eccleſia indicitur ieiunium; ſtandum eſt conſuetudini, quæ viget apud viros conſcientiæ timoratæ. Licet ſumere quantitatem 6. aut 8. vnciarium. Nec tantùm quantitas, ſed etiam qualitas ciborum eſt attendenda; nam cibos ſubſtantiales ad cœnam adhiberi ſolitos, comedere in collatione eſt illicitum & peccatum: licet tamen ſumere iuſculum, modò non ſit coctum cum cibo vetito. 1.*par.tract.*9.*reſ.*1.

2 Non tenetur peregrinus ſeruare ieiunia, & dies feſtos locorum per quæ tranſit, modò abſit ſcandalum. *ibid. reſol.*2. Et ſi inueniat tantùm panem, & pomorum fructus, & olera, non tenetur ieiunare. 5.*part. tract.*13. *reſol.*13.

3 Manè diſcedens ex loco domicilij vbi eſt ieiunium, peruenturus ad locum, vbi non eſt ieiunium, poteſt ſumere ientaculum in loco domicilij; non tamen veſci carnibus; quia peruenturus eſt ad locum vbi licebit cœnare. Quod putò etiam eſſe verum, licèt eodem die ſit ad domicilium ſuum rediturus. *ibid. reſ.* 3. & 5. *par. tr.* 5. *reſ.* 11.

4 Qui vouit ieiunium, in pane & aqua; ſi ſæpius biberit vinum, vnum tantùm peccatum committit. *ibidem reſol.* 4.

5 Qui vouit ieiunium, poteſt vti lacticinijs extra Quadrageſimam. *ibid. reſ.* 5. Idem dic de eo cui indictum eſt à Confeſſario, vel Iubilæo ieiunium: nec poteſt conſuetudo in contrarium adduci; nam illa conſuetudo abſtinendi à lacticinijs extra Quadrageſ. videtur potiùs deuotionis, & honeſtatis, quàm obligationis. *ibid. reſ.* 6.

6 Artes, quæ non ſunt admodum laborioſæ, non videntur excuſare à ieiunio. Non deſunt tamen qui exiſtiment. Eugenium IV. omnes artifices indiſcriminatim excuſare. *ibid. reſ.* 7. & 8. Qui autem excuſantur à ieiunio, non tenentur ieiunare ijs diebus, quibus non laborant. *ibid. reſ.* 9.

7 Concionatores, qui tota Quadrageſima concionantur, excuſantur à ieiunio. At qui ſolis Dominicis diebus, non item, niſi ſint debiles. Qui aſſiduam confeſſionibus audiendis dant operam, & lectores, ſi commodè ieiunare non poſſunt, excuſantur. Idem dicendum de Cantoribus, qui mercede canunt, qui etiam ouis in Quadrageſ. veſci poſſunt cauſa vocis conſeruandæ. *ibid. reſ.* 10. & 11. De aduocatis, procuratoribus, & lectoribus idem dicendum quod de Concionatoribus, nempe illos excuſari tantùm ob laborem improbum, vel imbecillitatem. *ibidem reſol.* 12.

8 Non

Digitized by Google

8 Non tenetur quis eos ſolos operarios vocare qui cum moderato labore ieiunare poſſint, ſed poteſt quoſcumque nullo diſcrimine. *ibid. reſ.*13. & 4. *par. tract.*4. *reſ.*141.

9 Prægnantes,& lactantes excuſantur à ieiunio.*ibidem reſol.*14.

10 Qui dubitat an obligetur ad ieiunium, petat à Superiore diſpenſationem, qui facilè concedat. Si autem iudicat cauſam diſpenſationis eſſe minùs ſufficientem,debet ieiunium in aliud opus pium commutare. *ibid.reſ.*15.

11 Non peccat dupliciter qui duo ieiunia in eumdem diem incidentia violat. Quia peccata non multiplicantur ex diuerſitate præceptorum pertinentium ad eamdem virtutem. *ibid.reſ.*16.

12 Nemo abſens obligatur ad ieiunia oppidi ſui:quare poteſt quis aliò ſe conferre, vt ieiunium vitet. *ibid. reſ.* 18. & 19.

13 Sexagenarij licèt robuſti & vegeti excuſantur à ieiunio:quia ſanitas ſenum fallax eſt,& incerta, ideòque indiget adminiculo cibi frequentioris. Imò nonnulli D.D. illos excuſant à ieiunijs,quæ vouerunt certis diebus anni in totum vitæ tempus. *ibid.reſ.*20.

14 Vſus ſagiminis licitus eſt in Sicilia tempore Quadrageſ.ex conſuetudine,& auctoritate DD.*ibid.reſ.*21.

15 Qui vouit omnes ſextas ferias ieiunare, ſi dies Natalis Domini inciderit in feriam ſextam, non tenetur illo die ieiunare,ni expreſsè incluſerit in ſuo voto diem Chriſti natalem. *ibid. reſol.*22.

16 Vini potus, etiam immoderatus, non violat ieiunium, etiamſi aliquid edatur,ne potus noceat. *ibid. reſol.* 23.&24.

17 Diſpenſatus in eſu carnium, cenſetur diſpenſatus

ad non ieiunandum. *ibid. reſol.*25. Et Diſpenſatus quoad eſum carnium, poteſt etiam edere piſces. *ibid. reſ.*26.

18 Qui die ieiunij notabiliter anticipat horam comedendi, non peccat mortaliter; quia determinatio horę non eſt de eſſentia ieiunij. Si tamen anticipetur ſine cauſa, peccabitur venialiter. *ibid. reſ.*27. & 5. *par. tr.*5. *reſ.*10.

19 Paterfamilias tenetur hortari filios, & ſeruos, vt obſeruent ieiunia; non tamen cogere, nec domo eijcere. *ibid. reſ.*28.

20 Qui die ieiunij ab amico rogatus, ſumit modicum cibi vrbanitatis cauſa, ne venialiter quidem peccat. *ibid. reſ.*29. Datur enim paruitas materiæ in fractione ieiunij. 5. *par. tr.*5. *reſ.*10.

21 Mulier prægnans ad vincendas carnis tentationes non tenetur ieiunare cum periculo prolis. *ibid. reſ.*30.

22 Licet in Quadrageſ. edere quod vulgo dicitur *Biſcoctum*, etiamſi pauxillum oui contineat; propter paruitatem materiæ. *ibid. reſ.*31.

23 Qui ieiunans ſurgit à menſa propter occurrens aliquod negotium, breui temporis ſpatio interiecto poteſt menſam repetere ad continuandam refectionem. *ibid. reſol.*32.

24 Licet rationabilem ob cauſam manè collationem ſumere, & veſperi cęnare, alioquin eſt peccatum veniale. *ibid. reſ.*33.

25 Collatio ſerotina in vigilia Natiuitatis ſumi poteſt largiuſculè, ratione conſuetudinis. *ibid. reſ.*35.

26 Ieiunium ab Epiſcopo indictum, Religioſos non obligat. Ieiunia tamen generali conſuetudine recepta, illos etiam obligant. *ibid. reſ.*36.

27 Qui comedit carnes eo die quo vouit ieiunium, peccat tantùm in prima comeſtione; nam violato ſemel

ieiunio

ieiunio ceſſat obligatio abſtinendi à carnibus. *ibid.reſ.* 37.

28 Qui vrbanitatis cauſa inuitat ad cœnam in die ieiunij, eum, qui paratus eſt cœnare, non peccat. Quia non inuitat illum abſolutè ad cœnam (cùm per ſe ſit iam paratus) ſed ad cœnandum domi ſuæ. Quare qui in die ieiunij carnes vendunt, non peccant. Neque item caupones, qui omnibus petentibus apponunt cœnam indifferenter. Quia alioquin alienarent hoſpites, & niſi illis miniſtraretur cœna, eſſent alibi cœnaturi. *ibid.reſ.* 38. *&* 39. *&* 5. *par. tract.* 7. *reſol.* 7.

29 Defeſſus ex ludo pilæ vel alia recreatione, non tenetur ieiunare: tenetur tamen abſtinere à ludo, ſi non poteſt ſimul ieiunare. Qui verò ſuſcipiunt peregrinationes ad loca ſacra, excuſantur à ieiunio; neque tenentur differre peregrinationem in aliud tempus. *ibid.reſ.* 40. & 46.

30 Lacticinia de iure communi, tantùm in Quadrageſ. prohibentur. *ibid.reſ.* 41. *&* 5. *par.tr.* 14. *reſ.* 13.

31 Licet miniſtrare carnes pueris ante ſeptennium expletum, in diebus ieiunij; quia nullis legibus obſtringuntur. Item Paganis, qui nulla lege Eccleſiaſtica obligantur; Nec non perpetuò amentibus. *ibid. reſ.* 42.

32 In die ieiunij paruitas materiæ ab eſu carnium non excuſat. *ibid.reſ.* 43. *&* 5. *par.tr.* 4. *reſ.* 32.

33 Quoties quis in die ieiunij carnes comedit, toties peccat mortaliter. Quia Eccleſia in die ieiunij carnes abſolutè interdicit. *ibid.reſ.* 45.

34 Qui niſi cœnatus dormire nequit, non tenetur ieiunare. *ibidem reſol.* 51.

35 Qui in die ieiunij ter, aut quater comedit, tantùm peccat quando ſecunda vice comedit. Quia præceptum ieiunandi eſt indiuiduum ex obiecto. *ibid.reſ.* 53.

36 Die Veneris delectari de eſu carnis mente concepto non

Digitized by Google

non eſt peccatum mortale; quia præceptum poſitiuum humanum per ſe non prohibet actus internos. *3.par.tr.5. Miſcell.reſ.5.*

37 Comedere, aut bibere abſque neceſſitate ob ſolam voluptatem, modò ne obſit valetudini, non eſt peccatum; ſecundùm quoſdam, quia licitè poteſt appetitus frui ſuis actibus. *ibid.reſ.6.*

38 Si quis teneatur ieiunare in pane, & aqua, & non poſſit niſi ſumendo aliquid cibi aut obſonij, non propterea ieiuniunium ſoluit; excuſabitur autem ab illo ieiunio, ſi vino aut obſonio carere non poſſit in ea quantitate, quæ ſuperet materiæ paruitatem; quia non eſſet ieiunium in pane & aqua, ad quod obligatur. *ibid.reſ.61.*

39 Poteſt peregrinus vti indulgentia ſui territorij, ſi in loco, vbi moratur ſeruatur ius commune quoad ieiunium: licèt enim hoc priuilegium videatur locale, tamen qui breui tempore abſunt in iure habentur pro præſentibus. *ibid. reſ.120.*

40 Qui ex licentia comedit carnes in die ieiunij, poteſt etiam comedere lardum, aut alias carnes nociuas; etiamſi tota refectio ex illo genere carnis fieret, quia ſic peccaret tantum aduerſus præceptum naturale temperantiæ, non autem aduerſus præceptum poſitiuum de abſtinendo à carnibus in die ieiunij: Imò ſi ſumeretur in parua quantitate nullum præceptum frangeretur. *3.par.tr.9.reſ 47.*

41 Qui nauigat in mari breui rediturus in Regnum, vbi per Bullam Cruciatæ edere poterit lacticinia, quocumque eat, veſci lacticinijs poteſt, quia mare paſſim omnibus patet, & vſus eius perinde ac aeris communis eſt omnibus ſaltem in hoc. 4. *par. tr.4.reſ.190. & 5.par.tr.14.reſ.20.*

42 Religioſus comedens lacticinia in diebus ieiuniorum (excepta Quadrageſima) non peccat mortaliter, etiamſi

Digitized by Google

etiamſi adeſſet conſuetudo loci, in quo degit, in contrarium, quia ea non tenentur Religioſi, & idem aliqui putant de Clericis. 5.*par.tr.* 14.*reſ.* 13.

43 In collatione ſerotina non poſſunt edi *v.g.* duo oua, piſces, &c. neque quis poteſt ſumere quartam partem comeſtionis; peccaretur enim mortaliter, & frangeretur ieiunium. 4. *par. tr.*4. *reſ.* 117. Neque aliquid ex caſeo, vel lacte confectum. 5.*par. tr.* 14. *reſ.* 12.

44 Famuli inſeruientes menſis dominorum, non frangunt ieiunium comedendo gulosè ex ijs, quæ de menſa tollunt, ſi ſtatim poſt Dominos ſuos ſint comeſturi. Item ſeruitores, & lectores ad menſam poſſunt ſumere aliquid ante talem lectionem, vel ſeruitium per modum cibi, & ſuſtentationis, quia poſſunt tunc velle incipere comeſtionem, & finita lectione, vel ſeruitio perficere. 4.*par.tr.*4. *reſ.* 142.

45 Potio in Hiſpania, vulgo dicta *Chocolate*, probabile eſt non frangere ieiunium, cùm ſit effecta potus vſualis: contrarium tamen videtur probabilius. *ibid.reſ.* 194. *&* 5. *par.tr.*5.*reſ.*111.*verſ.Notandum.*

46 Prægnantes, & lactentes licèt excuſentur à ieiunio, vt dixi. 1.*par.tr.*9.*reſ.*14. non tamen poſſunt edere carnes, & lacticinia ſine facultate. 4.*par.tr.*4.*reſ.* 126.

47 Qui viuunt ex officio ſcribendi, & reuera quotidie ſcribunt, excuſantur à ieiunio, quia opus eſt laborioſum, & imbecillitatem affert. *ibid.reſ.* 130.

48 Typographi prælum verſantes excuſantur à ieiunio, cùm eorum labor improbus ſit, non verò excuſantur colligentes typos, quia non videntur grauem ſubire laborem. *ibid.reſ.* 134.

49 Dominus compellendo famulos in die ieiunij ad opus incompatibile ratione laboris cum ieiunio, non pec-

cat

cat mortaliter, nec ipſi famuli tenentur ſub mortali ieiunare, licèt ſit illis conſulendum, vt id obſeruent, quando ſine nullo incommodo id poteſt fieri. *ibid. reſ.* 141.

50 Qui habet vires manifeſtas, & ſalutem ad ieiunandum, ſed ad præſeruandum ſe ab aliqua infirmitate cum facultate edit carnes, tunc ſi aliqua die ieiunij non comedat carnes, tenetur illa die ieiunare: ſi verò habeat facultatem edendi carnes ratione debilitatis, & infirmitatis pręſentis, licèt aliqua die illam non comedat, non tenetur ieiunare, licèt illius ſaluti conduceret illam non comedere eo die, & ieiunare. *ibid. reſ.* 189.

Immunitas Eccleſiarum.

1 COnſtitutio Gregorij XIV. de immunitate Eccleſ. non tantùm derogat priuilegijs Principum, ſed etiam iuri communi, & conſuetudinibus. Quia Pontifex illam promulgauit per modum legis vniuerſalis. 1. *par. tr.* 1. *reſ.* 1.

2 Qui commiſit atrocia crimina (excepto homicidio, & mutilatione membrorum) in Eccleſijs, ſeu cœmeterijs, gaudet immunitate Eccleſiarum. Quia Bulla Gregor. XIV. excipit tantùm homicidium, & mutilationem. *ibid. reſ.* 2.

3 Qui deliquit iuxta Eccleſiam, ſub ſpe confugiendi ad eam; gaudet ipſius Eccleſiæ immunitate. *ibidem reſol.* 3.

4 Qui proditoriè voluit alium occidere, ſed caſu non occidit, gaudet hac immunitate, etiamſi percuſſerit. Quia Bulla excipit occidentem actu, non autem volentem occidere. *ibid. reſ.* 4.

5 Qui occidit inimicum non proditoriè, ſed ex inſidijs, gaudet immunitate. Quia Bulla excipit ſolùm homicidium

cidium proditorium, ideſt quod factum eſt per ſimulationem amicitiæ; in odioſis autem verba ſtrictè ſunt interpretanda. *ibid.reſ.*5.

6 Committentes crimen læſæ maieſtatis in Principem non ſupremum, gaudēt immunitate: quia Bulla excludit offendentes perſonam Principis ſupremi. *ibid.reſ.*6.

7 Rebellis, vel qui offendit ſtatuas vel imagines Principis, gaudet immunitate; quia licèt committat crimen læſæ maieſtatis, non tamen perſonam Principis offendit. Porrò ſi is, qui perſonam Principis offendit, non eſt ei ſubditus nec origine, nec domicilio, hanc immunitatem non amittit; quia non cenſetur committere crimen læſæ maieſtatis. *ibid.reſ.*7.

8 Iudex laicus non poteſt in Eccleſia auferre reo arma prohibita, nec miniſtri eius, abſque licentia Epiſcopi. Quia Iudex ſæcularis prohibetur aliquam iuriſdictionem in Eccleſia exercere. *ibid.reſ.*8.

9 Si quis exiſtens in Eccleſia, vel monaſterio, per feneſtram occidat ſcopleto alium exiſtentem extra Eccleſiam, gaudet immunitate; à qua excluduntur tantùm occidentes in Eccleſia. At contra, qui exiſtens extra Eccleſiam, occidit exiſtentem in Eccleſia, immunitatem amittit. *ibid. reſ.*9. Non autem is, qui exiſtens in Eccleſia mandat homicidium extra illam committi; nec qui exiſtens extra, mandat intra homicidium committi. Quia qui mandat occiſionem, non dicitur propriè occidere; at in pœnalibus, & odioſis verba Bullæ non ſunt extendenda *ibid.reſ.*10.

10 Qui in Eccleſia committit homicidium, vel membrum mutilat, non deliberatè, ſed ex calore iracundiæ, videtur ex verbis Bullæ immunitatem amittere; non autem qui vulnerat tantùm abſque mutilatione, etiam cum ſanguinis effuſione. *ibid.reſ.*11.

11 Reus

Digitized by Google

11 Reus ad Eccleſiam confugiens, non poteſt a iudicibus Eccleſiaſticis, vel laicis, exilio, aut perpetuo carceri mulctari, nec ad triremes damnari: quia hę pœnæ ſunt grauiores. Licèt autem hic impunitus dimittendus non ſit; tamen non eſt iudicis laici, ſed Eccleſiaſtici pœnam decernere. *ibid. reſ.* 12.

12 Non poteſt iudex laicus extrahere ab Eccleſia reũ quem ſcit immunitate non gaudere, abſque licentia Epiſcopi, quin incurrat excommunicationem: debet enim priùs Epiſcopus cognoſcere an hoc ſit verum, deinde conſignare reum curiæ ſæculari. *ibid. reſ.* 14. Imò ſi iudex laicus ſolùm attentet extrahere, etiamſi reipſa non extrahat, incurrit excommunicationem. *ibid. reſ.* 15.

13 Reus ab Eccleſia per ſatellites vel alios extractus, etiam neſcio iudice, eſt ab ipſo iudice Eccleſiæ reſtituendus, alioquin incurrit excommunicationem. *ibid. reſol.* 16.

14 Qui confugiens ad Eccleſiam, ſecum geſtat ſclopetum, aut alia arma prohibita, non amittit immunitatem: quia eiuſmodi delictum non eſt exceptum in Bulla. *ibid. reſ.* 17.

15 Qui effracto carcere fugit ad Eccleſiam, gaudet immunitate. An verò falſus teſtis, ob cuius depoſitionem quis morti addictus eſt, gaudeat immunitate, debet Epiſcopus conſulere Summum Pontificem. Si tamen hic teſtis fuit pecunia corruptus, videtur tamquàm aſſaſſinus amittere immunitatem: is enim dicitur aſſaſſinus, qui alterius iuſſu accepto pretio hominem occidit: Bulla autem excipit aſſaſſinos. *ibid. reſ.* 18. & 19.

16 Qui occidit Regium miniſtrum, puta Gubernatorem, Præſidem, &c. gaudet immunitate: quia non offendit perſonam Principis. *ibid. reſ.* 20. Item qui violauit Eccleſiam frangendo fores, comburendo, &c. Quippe Bulla ex-

cipit

ɪit tantùm violantes Eccleſiam per homicidium, aut
ɪtilationem. *ibid. reſ.* 21.

17 Saracenus, ſeu quilibet infidelis non excluditur ab
c immunitate, quam Summus Pontif. non conceſſit in-
itu perſonarum, ſed loci ſacri. *ibid. reſ.* 22. Item Apoſtata
Religione, non quidem in Eccleſijs, & Monaſterijs eiuſ-
m Religionis, ſed in alijs gaudet immunitate. *ibid. reſ.*
. *&* 4. *par. tract.* 1. *reſ.* 83.

18 Clerici, & Religioſi confugientes ad Eccleſiam pro
minibus non exceptis in Bulla, non poſſunt à Iudicibus
cleſiaſticis, & eorum Superioribus extrahi, abſque li-
ıtia Summi Pontificis, ſub pœna excommunicationis;
ılatur enim immunitas Eccleſiarum. Excipiendi tamen
t ij Religioſi, qui in proprijs Monaſterijs delinquunt;
ſſunt enim à Superioribus puniri ſalua immunitate, id-
: ex recepta conſuetudine à Summis Pontificibus ap-
ıbata, alioqui diſciplina Regularis corrueret. *ibid. reſol.*
& 25.

19 Reus, qui egreſſus eſt ab Eccleſia, blanditijs, & fal-
bus verbis inductus, non amiſit immunitatem. *ibid.*
l. 26.

o Palatium Epiſcopi, etiam ab Eccleſia longè diſtãs,
det eadem immunitate qua gaudet Eccleſia, & tutum
perfugium præbet: Idem dicendum de Palatijs Cardi-
um extra Vrbem Rom. *ibid. reſ.* 27. *&* 37.

1 Reus confugiens ad cubiculum ægroti, in quo eſt
pus Chriſti; imò qui fugiens ſe immiſcet illis, qui
Euchariſtiæ Sacramentum per plateas proſequuntur,
ıiſi non tangat Sacerdotem, gaudet immunitate; illi
n omnes vnà cum Sacerdote geſtante SS. Sacramẽtum,
n Eccleſiam repræſentant. Secùs eſt de Oleo Sancto.
eſ. 28.

22 Hæ-

Digitized by Google

11 Reus ad Eccleſiam confugiens, non poteſt a iudicibus Eccleſiaſticis, vel laicis, exilio, aut perpetuo carceri mulctari, nec ad triremes damnari: quia hę pœnæ ſunt grauiores. Licèt autem hic impunitus dimittendus non ſit; tamen non eſt iudicis laici, ſed Eccleſiaſtici pœnam decernere. *ibid. reſ.* 12.

12 Non poteſt iudex laicus extrahere ab Eccleſia reũ quem ſcit immunitate non gaudere, abſque licentia Epiſcopi, quin incurrat excommunicationem: debet enim priùs Epiſcopus cognoſcere an hoc ſit verum, deinde conſignare reum curiæ ſæculari. *ibid. reſ.* 14. Imò ſi iudex laicus ſolùm attentet extrahere, etiamſi reipſa non extrahat, incurrit excommunicationem. *ibid. reſ.* 15.

13 Reus ab Eccleſia per ſatellites vel alios extractus, etiam neſcio iudice, eſt ab ipſo iudice Eccleſiæ reſtituendus, alioquin incurrit excommunicationem. *ibid. reſol.* 16.

14 Qui confugiens ad Eccleſiam, ſecum geſtat ſclopetum, aut alia arma prohibita, non amittit immunitatem: quia eiuſmodi delictum non eſt exceptum in Bulla. *ibid. reſ.* 17.

15 Qui effracto carcere fugit ad Eccleſiam, gaudet immunitate. An verò falſus teſtis, ob cuius depoſitionem quis morti addictus eſt, gaudeat immunitate, debet Epiſcopus conſulere Summum Pontificem. Si tamen hic teſtis fuit pecunia corruptus, videtur tamquàm aſſaſſinus amittere immunitatem: is enim dicitur aſſaſſinus, qui alterius iuſſu accepto pretio hominem occidit: Bulla autem excipit aſſaſſinos. *ibid. reſ.* 18. & 19.

16 Qui occidit Regium miniſtrum, puta Gubernatorem, Præſidem, &c. gaudet immunitate: quia non offendit perſonam Principis. *ibid. reſ.* 20. Item qui violauit Eccleſiam frangendo fores, comburendo, &c. Quippe Bulla excipit

cipit tantùm violantes Eccleſiam per homicidium, aut mutilationem. *ibid. reſ.* 21.

17 Saracenus, ſeu quilibet infidelis non excluditur ab hac immunitate, quam Summus Pontif. non conceſſit intuitu perſonarum, ſed loci ſacri. *ibid. reſ.* 22. Item Apoſtata à Religione, non quidem in Eccleſijs, & Monaſterijs eiuſdem Religionis, ſed in alijs gaudet immunitate. *ibid. reſ.* 23. *& 4. par. tract.* 1. *reſ.* 83.

18 Clerici, & Religioſi confugientes ad Eccleſiam pro criminibus non exceptis in Bulla, non poſſunt à Iudicibus Eccleſiaſticis, & eorum Superioribus extrahi, abſque licentia Summi Pontificis, ſub pœna excommunicationis; violatur enim immunitas Eccleſiarum. Excipiendi tamen ſunt ij Religioſi, qui in proprijs Monaſterijs delinquunt; poſſunt enim à Superioribus puniri ſalua immunitate, idque ex recepta conſuetudine à Summis Pontificibus approbata, alioqui diſciplina Regularis corrueret. *ibid. reſol.* 24. & 25.

19 Reus, qui egreſſus eſt ab Eccleſia, blanditijs, & fallacibus verbis inductus, non amiſit immunitatem. *ibid. reſol.* 26.

20 Palatium Epiſcopi, etiam ab Eccleſia longè diſtās, gaudet eadem immunitate qua gaudet Eccleſia, & tutum reis perfugium præbet: Idem dicendum de Palatijs Cardinalium extra Vrbem Rom. *ibid. reſ.* 27. *&* 37.

21 Reus confugiens ad cubiculum ægroti, in quo eſt Corpus Chriſti; imò qui fugiens ſe immiſcet illis, qui SS. Euchariſtiæ Sacramentum per plateas proſequuntur, etiamſi non tangat Sacerdotem, gaudet immunitate; illi enim omnes vnà cum Sacerdote geſtante SS. Sacramẽtum, vnam Eccleſiam repræſentant. Secùs eſt de Oleo Sancto. *ibi. reſ.* 28.

22 Hæ-

Digitized by Google

22 Hæreticus in criminibus non exceptis à Bulla, gaudet eadem immunitate, qua cæteri. *ibid. reſ.* 29.

23 Capite damnatus, qui per Eccleſiam ducitur ad ſupplicium, in rigore iuris plecti poteſt: tamen piè crediderim, illum etiam gaudere immunitate. *ibid. reſ.* 30.

24 Mercator, qui per fraudem decoxit, non priuatur immunitate: hic enim caſus non excipitur in Bulla. De quibuſlibet debitoribus idem dicendum. *ibid. reſ.* 32.

25 Occidens Clericum, non amittit immunitatem; quia excipiuntur tantùm homicidia proditoria, & per aſſaſſinium admiſſa. Neque dixeris interfectorem Clerici ſacrilegium committere; nam in Bulla ſacrilegium non inuenitur exceptum. *ibid. reſ.* 34. & 4 *par. tr.* 1. *reſ.* 68.

26 Qui occidit amicum reconciliatum, gaudet immunitate, quia non cenſetur homicidium proditorium; amicus enim reconciliatus æquipollet inimico. *ibid. reſ.* 35.

27 Qui veneno alium occidit, ex omnium ferè DD. ſententia non gaudet immunitate; quia proditoriè occidit. Nonnulli tamen putant Summum Pontif. eſſe ab Epiſcopo conſulendum. *ibid. reſ.* 36.

28 Suſpectus de hæreſi (in locis vbi hæretici non tolerantur) ſi ad Eccleſiam confugiat, poteſt à miniſtris Inquiſitionis ab ea extrahi: propter fidei orthodoxæ conſeruationem. *ibid. reſ.* 38.

29 Damnatus ad triremes, ſi ad Eccleſiam confugiat, gaudet eius immunitate. Quia hæc eſt Eccleſiæ immunitas, vt ad ſe confugientem liberet à pœna ſeu imponenda, ſeu iam impoſita. *ibid. reſ.* 40.

30 Contrauenientes huic Conſtitutioni Gregor. XIV. ex multorum DD. Sententia, poſſunt ab Epiſcopo abſolui. *ibid. reſ.* 41.

31 Qui effracto carcere, vel ex triremibus ad Eccle-

ſiam

ſiam confugiunt, gaudent immunitate. 3. *par. tr.* 1. *reſ.* 37. Item qui in atrio, vel ſcalis Eccleſiæ hominem occidit, nō amittit immunitatem, ſi poſt delictum, ad Eccleſiam confugiat. *ibid. reſ.* 39. Neque Epiſtolis Clement. VIII. contra debitores fugitiuos, fures, &c. quidquam derogatur Conſtitutioni Gregorij XIV. prohibuit enim tantùm Pontifex ne Epiſcopi dictos facinoroſos diu in eorum Eccleſijs detinerent. Deinde illæ epiſtolæ miſſæ fuerant ad Archiepiſcopos Bononienſem, & Neapolitanum; ergo ſolùm ibi obligant. *ibi. reſ.* 40.

32 Domus Eccleſiaſticorum circa Eccleſiam ad 30. paſſus, quamuis habitentur à laicis, gaudent immunitate. *ibid. reſ.* 71.

33 Blaſphemantes Deum, & B. Virginem, dummodo blaſphemia non ſit hæreticalis, gaudent Immunitate Eccleſiaſtica; quia non adeſt blaſphemia inter delicta exceptuata in Conſtit. Greg. XIV. & in Sacris Canonibus. 4. *par. tract.* 1. *reſ.* 51.

34 Aſſaſſinij mediator gaudet immunitate Eccleſiaſtica, quia nomine aſſaſſinij non venit mediator ex Communi 4. *par. tr.* 1. *reſ.* 33.

35 Qui alterum occidit in duello, gaudet immunitate Eccleſiaſtica, quia tale crimen non excipitur in Bulla. 4. *part. tract.* 1. *reſ.* 46. Vide etiam Tit. *Eccleſiaſtici, & Clerici.*

Inimicus.

SAlutatio, reſalutatio, allocutio, &c. eodem modo debentur inimicis, quo alijs. Allocutio, & conuerſatio non debentur omnibus, ſed tantùm inter ſe coniunctis. Salutatio anticipata nulli debetur niſi ijs, qui dignitate præcellunt, Reſalutatio, & reſpōſio omnibus debentur vir-

tute affabilitatis, præſertim conciuibus: illas autem omittere non eſt regulariter peccatum mortale, niſi ratione ſcandali; vnde infertur non eſſe certum, peccare mortaliter eum, qui occurrentibus pluribus, inter quos eſt inimicus, ſalutat omnes excepto inimico, quia poteſt illum prætermittere in ſignificationem acceptæ iniuriæ; non tamen in odium, aut vindictam. *2.par.tr.15.& 1.Miſcell.reſ.62.& 5.par. tr.13. reſ.89.* Vbi docet aliquando licitum eſſe deſiderare mortem inimico, ad euitanda ipſius maiora mala, vel noſtra, quæ aliter vitari non poſſunt, ſed non conſulendum.

Inuidia.

TRiſtari de bono alterius, quia ſibi proprium bonum diminuit, eſt peccatum mortale inuidiæ ex genere ſuo. *3.par. tr.6. Miſcell. reſ.85.* Ratione tamen leuitatis materiæ per accidens poteſt eſſe veniale. *5. part. tract. 5. reſol. 67.*

Inquiſitorum facultas.

1 IVriſdictio DD. Inquiſitorum à principio eſt delegata, & habet omnes excellentias delegatæ iuriſdictionis, ad ordinariam tamen valdè accedit, & cum illa ferè in omnibus conuenit, ita vt careat imperfectionibus delegatæ. *4.par.tr.8.reſ.1.*

2 Inquiſitorum iuriſdictio conceſſa fuit cumulatiuè non in præiudicium Epiſcoporum, licèt ex conſuetudine in Inquiſitione Hiſpanica introductũ ſit, vt de hæreſi ſoli Inquiſitores cognoſcant; & vt Epiſcopi per ſe, vel per Vicarios Inquiſitoribus aſſiſtant. Vnde ſi ab Ordinario comprehendatur reus, debet Inquiſitoribus tranſmitti, vt cuſtodiatur in eorum carcere. Habent etiam Inquiſitores

Hi-

Digitized by Google

Hiſpaniæ in ordine ad eorum miniſtros iuriſdictionem priuatiuæ. *ibid. reſ.* 2.

3 Inquiſitores Hiſpaniæ poſſunt exercere aliqua non ſolùm, quia ipſis competunt de Iure, ſed etiam propter conſuetudinem. *ibid. reſol.* 3.

4 Poſſunt procedere Inquiſitores in cauſa hæreſis ex leui ſuſpicione, abſque eo quòd præcedat diffamatio. Nota tamen hìc ſuſpicionem leuem dici per comparationem ad vehementem; vnde in ſe debet eſſe hæc ſuſpicio notabilis Iudicis abitrio, ad hoc, vt formari poſſit inquiſitio. *ibid. reſ.* 4. *&* 39.

5 Si Inquiſitores recuſentur à reis vt ſuſpecti, non ſunt eligendi arbitri, ſed ad ſupremum Senatum cauſa recuſationis remittatur, vt ibi Summatim recognita, poſteà determinetur, ſi Inquiſitor recuſatus ſit ſuſpectus. *ibidem reſol.* 5.

6 Si rei petant Confeſſarium, non videtur illius concedendus ante confeſſionem iudicialem, niſi in periculo mortis, ſi fuerit conuerſus. *ibid. reſ.* 6.

7 Poſſunt Inquiſitores non ſolùm verbaliter, ſed etiam realiter citare, & capere reum in alieno territorio ſine literis ſubſidialibus dominorum tàm temporalium, quàm ſpiritualium, & mandare, vt ad ſe tranſmittantur libri, & alia ſimilia neceſſaria ad cauſam. *ibid. reſ.* 7.

8 Inquiſitores, nec alij S. Officij miniſtri in Hiſpania poſſunt accipere non ſolùm munera, ſed nec eſculenta, & poculenta, alioquin incurrerēt excommunicationem, priuarentur officio, tenerentur reddere duplum, & alia pœna mulctarentur, & hoc etiamſi acciperentur ab ijſdem officialibus Sanctæ Inquiſitionis. Vbi verò non extant huiuſmodi prohibitiones, poſſunt accipere eſculenta, & poculenta. *ibid. reſ.* 8.

Digitized by Google

9 Tenentur Inquiſitores dare reo non ſolùm Aduocatum, ſed etiam Procuratorem; & quę Aduocati allegant, reo præſente, perinde habenda ſunt, ac ſi ab eodem reo proferantur, niſi fortè Aduocatus errauerit, & reus intra triduum cõtradixerit. Sed in cauſa hæreſis, etiam ſi poſt triduum de errore, aut imprudentia Aduocatorum conſtiterit, reo nocere non debet, quia ſimpliciter, & ſumma æquitate in hoc iudicio agitur. *ibid. reſ.* 9.

10 Inquiſitores poſſunt condemnare abſolutum, iterùm de eodem crimine ſuperueniente probatione; imò condemnatum pœna arbitraria poſſunt punire pęna ordinaria, ſuperueniente de eodem crimine legitima probatione. *ibid. reſ.* 10.

11 Ad reorum capturam plena delicti probatio, vel maxima indicia, aut vehementes ſuſpiciones præcedere debent; nam ex leuibus ſuſpicionibus non eſt ad eam veniendum, vbi rei fuga non timeatur, & licèt ſoli Inquiſitores poſſint capturam decernere, ſecurius tamen eſt maturo Conſultorum conſilio rem tantam aggredi, & ob delictum omnium grauiſſimum, & ob famam, quæ ob ſolam capturam non modicè læditur. *ibid. reſ.* 11.

12 Quando Inquiſitores recipiunt teſtes, præter Secretarium tenentur adhibere duas religioſas perſonas: ſufficiunt autem Clerici, imò etiam laici graues, & prudentes. *ibid. reſ.* 12.

13 Poſſunt Inquiſitores inquirere, & punire eum, qui in ſortilegijs immiſcuit Sacramenta, & Sacramentalia; imò qui immiſcuit ſolùm verba ſacra, vt Euangelium, Symbolum fidei, &c. hæc enim ſapiunt hæreſim manifeſtam; quia tales ſortilegi admittentes ſupradictas res in ſuis ſortilegijs, ſignificant ſe credere huiuſmodi adhibita habere vim ad maleficiorum operationem. Idem dic de-

mi-

Digitized by Google

miſcente reliquias Sanctorum, aut eas diſſoluente ad maleficia. *ibid. reſ.* 13. & 14. Item poſſunt punire eos ſortilegos, qui præſentia, vel præterita occulta reuelant, vt furta, &c. quia nobis omne cum dęmonibus commercium interdictum eſt. *ibid. reſ.* 15.

14 Non poſſunt Inquiſitores inimicos admittere in teſtes; quia teſti inimico non eſt credendum etiam in articulo mortis, & etiam quòd deponat in tortura, & etiamſi ſit reconciliatus, dummodo reconciliatio fuerit recens; ſecùs ſi antiqua: quæ tamen omnia intellige de inimico capitali. *ibid. reſ.* 16. & 40.

15 In ratificatione teſtium non debent Inquiſitores eis præbere primam atteſtationem ſi petant, quia ſi mendaces fuerunt, facilè conuincuntur, ſi veraces, eadem dicent in ratificatione. Quòd ſi poſteriora teſtimonia cum prioribus congruentia non fuerint, tunc teſtibus legi debent priora teſtimonia, & interrogandi ſunt, cur illa tàm variè dixerint, & modeſtè monendi ſunt, vt in veritate perſiſtant, poſtremò quidquid reſponderint, ſcribendum eſt, & teſtes varij, ac vacillantes in cuſtodiam mittendi ſunt, & ſi id cauſa depoſcit, torquendi, & puniendi ſunt. *ibid. reſ.* 17.

16 Non poſſunt Inquiſitores procedere contra Epiſcopos, licèt Titulares, niſi eſſent ſuſpecti de fuga, vel aliquid in manifeſtum fidei, & fidelium detrimentum molirentur, quia tunc poſſunt capi, & cuſtodiri, donec Summus Pontifex certior reddatur, poſſunt quidem Inquiſitores de hæreſi Epiſcopi cognoſcere, dicta teſtium aduerſus eum recipiendo, vt ſic negotium inſtructum ad Pontificem mittant. *ibid. reſ.* 21. Nec contra Generales Religionum poſſunt procedere Inquiſitores, ſed debent certiorem facere Summum Senatum Inquiſitionis, quia Generales in

Digitized by Google

hoc habent quid commune cum Epiſcopis. *ibid. reſol.* 23. Neque contra Nuncios, & Officiales Sedis Apoſtolicæ, qui noĩe Sedis Apoſtolicæ ad negotium Sedi Apoſtolicæ pertinens tractandum mittuntur. *ibid. reſ.* 24. Neque contra alium Inquiſitorem de hæreſi ſuſpectum. *ibid. reſ.* 25.

17 Inquiſitores non debent promittere reo impunitatem, ſeu gratiam ſe facturos, ſed quòd ſecum agent benigniori, quo poterint modo, vel dummodo relapſus nõ ſit, quod Eccleſia ſecum miſericorditer aget. *ibid. reſol.* 22.

18 Inquiſitores non ſubſunt Legati Summi Pontificis, non enim hi ſolent ſine ſpeciali facultate Pontificis, vel ſupremæ Inquiſitionis Romanæ ingerere ſe in rebus pertinentibus ad Officiũ Sanctæ Inquiſitionis. *ibid. reſ.* 27.

19 Inquiſitores, ſi extorqueant pecuniam prætextu Officij Inquiſitionis, incurrunt in excommunicationem ex Clement. 2 de hæret. Non afficiuntur tamen. 1. Si accipiant à ſpontè dante, non enim dicuntur extorquere. 2. Si curent ſibi tradi pecuniam prætextu pecuniæ mutuò datæ, vel alterius crediti, vel alio titulo etiam iniuſto, non enim extorquent prætextu Officij Inquiſitionis. 3. Si cogant etiam ſub eo prætextu ad tradendam ſibi mutuò pecuniam. *ibid. reſol.* 28.

20 Licèt Inquiſitores ipſimet poſſunt reos, & teſtes examinare, tamẽ ſi teſtes eſſent legitimè impediti poſſunt eorum examen delegare alteri, qui referat Inquiſitoribus de forma, & modo, quo talis teſtis depoſuit. *ibid. reſ.* 29.

21 Inquiſitores poſſunt habere familiam armatam, quòd ſi Domini temporales impediunt dictam familiam armatam pro delatione armorum, poſſunt ab ipſis puniri tãquam turbatores Officij Inquiſitionis. *ibid. reſ.* 31.

22 Poſſunt Inquiſitores reſpuere appellationem, quam affert reus, ſi appellet à ſententia definitiua contra eum lata.

Digitized by Google

lata. Debent tamen acceptare appellationem a grauamine illato ante definitiuam ſententiam, & ab interlocutoria. *ibid. reſ.* 32.

23 Inquiſitores non poſſunt Sede vacante procedere ad deciſionem cauſarum ſine Vicario Capituli, quia Capitulum ſuccedit Epiſcopo. Quòd etiam procedit, quando Epiſcopus eſſet captiuus, vel ſi non miniſtraret propter non expeditas literas. Non tamen poteſt Capitulum eſſe Iudex in cauſa hæreſis, ſede vacãte, in exemptos, vt eſt Epiſcopus, quia ſuccedit Epiſcopo in his, quæ Epiſcopo competunt de iure ordinario, non autem ex delegatione. *ibid. reſ.* 33.

24 Inquiſitor generalis non poteſt remouere alios Inquiſitores ab Officio, vel de loco ad locum transferre, niſi aliqua interuenerit iuſta cauſa, quas ibi vide. *ibi. reſ.* 34.

25 Si Inquiſitores in aliquo caſu omiſerint procedere contra hæreticos non odij, rancoris, vel lucri cauſa, ſed propter timorem, & ad euitanda ſcandala, non incurrent in excommunic. latam in *Clem.* 1. §. *Verùm de hæret.* Quòd ſi Inquiſitores incidunt in prædictam excommunicationem, non poſſunt abſolui, niſi à Romano Pontifice, præterquàm in articulo mortis. *ibid. reſ.* 37.

26 Poſſunt Inquiſitores procedere contra comedentes carnes diebus prohibitis, vel non recipientes Sacramentum Euchariſtiæ, & pœnitentiæ ſemel in anno, quia hi ſunt vehementer de hæreſi ſuſpecti. *ibid. reſ.* 38.

27 Teſtes etiam abſentes admittuntur in crimine hæreſis, ſi proprio nomine, & iuramento denunciationem firment. Non videntur autem poſſe examinari teſtes nominati in denunciatione facta, ſine nomine denunciatoris. *ibid. reſ.* 41.

28 Citatus ab Inquiſitore, & ab Epiſcopo eodem tem-

Digitized by Google

pore, poteſt adire quem maluerit, & eſt præuentioni locus: Verùm in Hiſpania hoc non habet locum, quia ſoli Inquiſitores proceſſum formant aduerſus reos in rebus fidei. *ibid. reſ.* 47.

29 Poſſunt Inquiſitores in cauſis fidei procedere ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij. Notandum tamen prædictam clauſulam, *Simpliciter, & de plano, in crimine hæreſis non tollere* Solemnitates iuris gentium, vel diuini, nec per illam ſublata eſſe neceſſaria, ac ſubſtantialia cauſæ, illa ſcilicet, ſine quibus nec iuſtè, & rectè, nec commodè negotium tractari poteſt; & ideò in cauſis hæreticalibus requiritur etiam legitimatio perſonarum, alias proceſſus redderetur nullus. *ibid. reſ.* 48.

30 Si Inquiſitor ſine Epiſcopo, & è contra cogeret reũ ad abiurationem, talis reus ſic abiurans maneret ſubiectus ſtante ipſa abiuratione ad pœnam relapſi. Verumtamen eſt non licere Inquiſitoribus cogere ad abiurandum ſuſpectum vehementer de hæreſi, ſine Epiſcopo. *ibidem reſol.* 49. Adde non poſſe ſine eodem proferre ſententiam abſolutoriam rei. *ibid. reſ.* 50.

31 Inquiſitores, Conſultores, & alij Miniſtri Sanctæ Inquiſitionis ſunt immunes ab Irregularitate quantumcumque, & quomodocumq; ad hæreticorũ condemnationẽ incurrant, ex priuilegio Pauli IV. & Pij V. *ibid. reſ.* 51.

32 Inquiſitores debent eſſe magis Iuriſperiti, quàm Theologi, quia in cauſis fidei plura vt Iuriſperiti, quàm vt Theologi efficere debent. *ibid. reſ.* 52.

33 Regulares delinquentes in ijs, quæ ſpectant ad Officium Inquiſitionis, non poſſunt niſi ab Inquiſitoribus puniri, ex Conſt. Pauli IV. *ibid. reſ.* 53. Si verò hi ſint Inquiſitores, non niſi a Cardinalibus vniuerſalis Inquiſitionis, & in Hiſpania a Generali Inquiſitore puniri poſſunt,

non

Digitized by Google

non tam ſi delinquant in ſuo Officio, quam ſi extra Officium. *ibid. reſ.* 53.

34 Quamuis de iure communi Inquiſitores eligendi debeant habere ætatem quadraginta annorum, tamen in Curia Romana cùm creentur ab Eminentiſſimis Cardinalibus Inquiſitionis, poſſunt eligi quacumque ætate. Et in Hiſpania ex priuilegio ſufficit, vt attingant annum trigeſimum. Commiſſarijs tamen Inquiſitorum ſufficit attingere 30. annum. *ibid. reſ.* 54.

35 Inquiſitores Hiſpaniæ habent iuriſdictionem in cauſis criminalibus, & ciuilibus ſuorum familiarium. *ibid. reſol.* 55.

36 Poſſunt Inquiſitores procedere, & punire diſputantes de fide in caſibus a iure prohibitis. *ibid. reſ.* 56. Prohibitum enim eſt laicis cum hæreticis diſputare de fide. *ibid.*

37 Non poſſunt Inquiſitores procedere cõtra Papam in hæreſi deprehenſum, ſed hoc ſpectat ad Generale Concilium. Licèt probabilior ſit opinio Papam etiam vt perſonam priuatam non poſſe eſſe hæreticum contumacem, licèt poſſit errare ex ignorantia. *ibid. reſ.* 58.

38 Debita contracta ab hæretico ante crimen hæreſis, tenetur fiſcus, ſeu Inquiſitores ſoluere, & in dubio an fuerint contracta ante, vel poſt, ad fiſcum pertinebit probare ea fuiſſe contracta poſt delictum, non ad creditores. Non tamen tenetur fiſcus ſoluere vltra vires bonorum publicatorum, ſi non confecerit inuentarium. *ibid. reſ.* 59.

39 Licèt in alijs delictis expediat confrontare teſtes cum reo, tamen in cauſa hęreſis ab Inquiſitoribus hoc minimè efficiendum eſt. *ibid. reſ.* 63.

40 Non ſunt ampliùs admittendi ab Inquiſitoribus ad Confeſſiones audiendas abiurantes de vehementi; non impediuntur autem exercere omnes Ordines, & Sacramenta

munera miniſtrare, & fidelium confeſſiones audire, abiurantes de leui. *ibid. reſ.* 54.

41 Magiſtratus, qui non obtemperat Inquiſitorum mandatis, & præſtare auxilium recuſat, eſt ſuſpectus de hæreſi, & ideò poteſt apprehendi, & iuriſdictione ſua priuari ab Inquiſitoribus. *ibid. reſ.* 65.

42 Si plures Inquiſitores in vna Prouincia eligantur, poteſt quilibet indepēdenter ab altero procedere, non tamen in Hiſpania, in qua quando Inquiſitores ſunt præſentes, vnus ſine altero non poteſt procedere ad capturam delinquentium, neque ad purgationem indicendam, neque ad publicationem teſtium, & à fortiori ad fulminandam ſententiam. *ibid. reſ.* 66.

43 Poſſunt Inquiſitores punire aliquem, qui dedit conſilium etiam iuſtum reo incarcerato, illis inſcijs, non vt fautore hæreticorum, ſed pœna arbitriaria ab Inquiſitoribus deputanda. *ibid. reſ.* 67.

44 Poſſunt etiam Inquiſitores compellere, vt abiurantes de leui; abiurent, generaliter omnem hæreſim, & ita obſeruatur Romæ in Sacro Tribunali Sanctæ Inquiſ. *ibid. reſ.* 68. Item poſſunt cognoſcere non ſolùm de cauſa hæreſis, ſed etiam de omnibus connexis, & incidentibus. *ibid. reſ.* 70.

45 Inquiſitores non ſunt Iudices competentes in reconciliatos: ſi tamen hi inter ſe rixati fuerint, dùm ſunt in perpetuis, vel temporalibus carceribus, vel propter habitum pœnitentiæ vnus in alterum conuitia dixerit, poſſunt Inquiſitores illos punire. *ibid. reſ.* 69.

46 Inquiſitores non excuſantur a reſidentia parochiali; in cęteris autem præbendis, aut dignitatibus habentur pro præſentibus, & reſidentibus, & percipiunt integros fructus ſuarum præbendarum ſimul cum diſtributionibus

quo-

Digitized by Google

quotidianis ex priuilegio ſpeciali a Paulo III. & Pio V. illis conceſſo. *ibid. reſ.* 71.

47 In cauſis fidei Inquiſitores, quanta fieri poſſunt breuitate procedant, nec differant, aut ſuſpendant ſpe futurarum probationum, quia fortè numquàm ſuperuenient, & interim rei opprimuntur, & eorum bona diſſipantur. *ibid. reſ.* 72.

48 Filij hęreticorum, quamuis nati ante hæreſim parentum, efficiuntur inhabiles ad Officia publica, qualia ſunt Magiſtratus, Prætoriatus, Notariatus, &c. In dubio autem quidnam intelligatur nomine Officij publici, ad Inquiſitores, vel ad eos vnà cum Epiſcopo pertinebit declarare. *ibid. reſ.* 74. Et à fortiori cenſendi ſunt inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica recipienda, etiam penſiones. *ibid. reſ.* 73. Ijſdemque pęnis puniri poſſunt filij hæreticorum, qui licèt traditi fuerint Curiæ ſæculari, eos tamen pœnituit, & mortui ſunt Catholici. *ibid. reſol.* 75.

49 Clerici ob hæreſim parentum ipſo iure priuantur beneficijs obtentis, poſtquàm eorum parentes in hęreſim inciderunt, non autem acquiſitis ante illorum hæreſim. Vnde Inquiſitores illis priuare non poſſunt. *ibid. reſ.* 76.

50 Quando reus non eſt plenè conuictus, ſed tantùm indiciatus, ita quòd iure abſolui non poſſit, habent Inquiſitores tria remedia terminandi proceſſum, vnum ſcilicet per purgationem, aliud per abiurationem, tertium per torturam, & hoc poſtremum videtur accommodatiùs cęteris ad eruendam veritatem. *ibid. reſ.* 77.

51 An poſſint Inquiſitores punire reum, qui fuit baptizatus inualidè ex defectu formæ, materiæ, vel intentionis, vtrumque eſt probabile. *ibid. reſ.* 78.

52 Qui negat propoſitionem Theologicam, quæ euidenter infertur ex propoſitione de fide, non eſt hæreticus, ſed

ſed præſumitur; quòd ſi illa negatione perſtiterit, tamquàm hæreticus erit ab Inquiſitoribus puniendus. *ibid. reſol.79.*

53 Inquiſitores debent citare abſentem vel trina citatione, vel vnica, quæ ſufficiat pro tribus, aſſignando ad comparendum 30. dies, nam citatio non ſolùm neceſſaria eſt ad conteſtandam litem, & firmandum proceſſum, ſed multò magis ad ſententiam pronunciandam. *ibid.reſ.*80.

54 Poſſunt Inquiſitores ex cauſa facere abiurare reos ſecretò, præſertim ſi ſint leuiter ſuſpecti de hæreſi: quòd tamen nō procedit in eo, qui contrahit binas nuptias, qui licèt leuiter ſit ſuſpectus de hæreſi, tamen abiurat publicè. *ibid.reſ.*81. Itemque poſſunt indicere purgationem, vel abiurationem propter ſolam infamiam. *reſ.*82. *part.*4.

55 Verba dubia interpretanda ſunt ab Inquiſitoribus in ſenſu catholico, niſi contrarium cōfiteatur reus, & ideò eius intentio, & conſenſus circa hoc diligenter ab Inquiſitoribus perquirendus. *ibid.reſ.*83. Et circa declarationem propoſitionum debent vocare peritos ſacræ Theologiæ, ſeu qualificatores, etiamſi ipſimet Inquiſitores ſint Theologi. *ibid.reſol.*84.

56 Quando reus comprehenditur, & carceribus Sancti Officij mancipatur, ſtatim fieri debet ſequeſtratio bonorum ipſius, ne bona ſurripiantur, vel abſcondantur, & penes aliquam perſonam idoneam coram Tabellione, & exequutore ponantur, quæ eorum cuſtodiam, & curam habeat, & illa bona, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, Inquiſitorum mādato per cuſtodem vendantur. *ibid.reſ.*86.

57 In cauſis ſpectantibus ad fidem cautiſſimè incedēdum eſt in examine hæretici verſuti, & callidi. Et primò examinandi ſunt de genere ſuo, de parentibus, natione, patria, educatione, &c. 2. Intra primos dies capturæ be-

nignè

nignè erunt admonendi ad dicendam veritatem. 3. Ad habenda indicia eorum ſtatus, ſciſcitentur ab eis conſueta Catholicæ Religionis, quas deuotiones habeant, quando, & a quo confeſſi ſint, & ſimilia. *ibid. reſ.88. par.4.*

58 Poſſunt Inquiſitores ſub pœna excommunicationis præcipere, vt Clerus, & Populus eorum concionibus aſſiſtant, & hi obligantur adeſſe ſub mortali. *ibid. reſ.39.* Item poſſunt punire illos, qui factis, aut verbis ipſis iniuriam fecerint. *ibid. reſ.91.* Et animaduertere non ſolùm in propoſitiones hæreticas, ſed etiam in alias inferioris notæ. *ibi. reſ.94.* Item punire ſumentes in communione maiores, aut plures Hoſtias, ſeu particulas. *ibid. reſ.96.*

59 Inquiſitores quando reuiuant bona alienata per hæreticos, non tenentur ad pretium, niſi pretium, vel aliquid loco pretij inter bona hæreticorum inueniatur, vel in vtilitatem hæreticorum pretium fuerit conuerſum: In his enim caſibus ab Inquiſitoribus pretium reſtituendum eſſet, aliàs non. *ibid. reſ.92.*

60 Non poſſunt Inquiſitores iudicere abiurationem de vehementi, & punire tamquàm credentes hæreticorum illos, qui ſemel, vel bis aſſiſtunt concionibus, vel conuentiunculis hæreticorum, cum hac limitatione, vt hoc non procedat in terris catholicorum: in his enim ſi aliquis intelligat occulta conuenticula ab hæreticis celebrari, & illuc vadat, etiamſi ſemel, & hoc non denunciet Inquiſitoribus, non carebit ſuſpicione hæreſis. *ibid. reſ.93.*

61 Inquiſitores non poſſunt punire Confeſſarios frãgentes ſigillum Confeſſionis, niſi adeſſet error in intellectu reuelantis, defendendo licitam eſſe reuelationem huius ſigilli, vel aliter malè ſentire de Sacramentis Eccleſiæ. *ibid. reſ.95.* Neque Confeſſarium aſſerentem pœnitenti, non poſſe; nec nolle eum abſoluere ni ſibi reuelet complicem.

ibidem

ibidem reſol. 97.

62 Poſſunt Inquiſitores facere actum publicum in die feſto, imò maximè conuenit ad exemplum aliorum. *ibid. reſ.* 98.

63 Poſſunt Inquiſitores procedere contra concionatorem aſſerentem animas non detineri in Purgatorio, vltra decē, aut viginti annos, quia hæc ſententia retrahit fideles ab operibus ſatisfactorijs, & Miſſis offerendis pro ſuis defunctis. *ibid. reſ.* 101. Item punire dicentes confeſſos Religioſis ab Epiſcopo approbatis, teneri iterùm eadem peccata confiteri Parocho. *ibid. reſ.* 102. Item frangentes Cedulones, in quibus aliqui declarantur excommunicati. Item facientes Breuja cum characteribus, ſeu literis ignotis, vel dicentes, ſeu recitantes quaſdam orationes pro ſanandis infirmis, &c. Item Spectores campanarum. *ibid. reſ.* 103.

64 Poſſunt etiam Inquiſitores cogere Dominos, & Magiſtratus, qui fecerunt aliqua ſtatuta, & decreta impedientia eorum iuriſdictionem, vt illa reuocent. Imò carceratus pro quibuſcumque delictis etiam atrociſſimis apud Iudicem ſæcularem, ſtatim remittendus eſt ad Tribunal Sancti Officij, quandocumque petatur ob negotium fidei ab Inquiſitoribus, ſtante Cōſtitutione Pij V. *ibid. reſ.* 104.

65 Iudices laici non poſſunt vllo modo de cauſis hæreticorum cognoſcere, nec iudicando, nec aſſiſtendo, niſi vbi adſit ſpeciale priuilegium Pontificis, nam aliter non poſſunt hoc permittere laicis. *ibid. reſ.* 105.

66 Debent Inquiſitores ferre ſententias in die, & non in nocte, niſi multitudo negotiorum aliter fieri non permittat, & in publico, & in ſcriptis, aliter non valent. Et in ſententijs condemnatorijs exprimēdus eſt ſpecialis error, de quo fuit reus notatus, ac criminis inueſtigatio, vt citatio-

Digitized by Google

tiones, admonitiones, &c. quæ ad iuſtum proceſſum conficiendum requiruntur. *ibid. reſ.* 106.

67 Bulla Sixti V. contra ſortilegos cumulatiuè tribuit Iuriſdictionem Inquiſitoribus, & Ordinarijs in omnes ſuperſtitiones; licèt ipſi ſpectato iure dictæ Bullæ poſſunt, & tenentur ſe intromittere solùm in ſuperſtitionibus ſapientibus hæreſim, etiam non manifeſtè. *ibid. reſ.* 107. & 111. & 112. & 119.

68 Inquiſitores ſi non ferant ſententiam in hæreticũ, non tenentur reſtituere aliquid Principi ſæculari, ad quem pertinebant bona confiſcata dicti hæretici. *ibid. reſ.* 108.

69 Poteſt dari caſus, in quo reus torqueatur, & non imponatur abiuratio de vehementi, cùm poſſint dari indicia ſufficientia ad torturam, & non ad abiurationem. *ibid. reſol.* 110.

70 Quando dubitatur an reus ſit baptizatus, videndũ eſt an ille conuerſatus, & natus ſit inter Chriſtianos, tunc enim præſumitur baptizatus, & poſſunt Inquiſitores contra illum procedere; ſi verò natus, & conuerſatus inter infideles, non poteſt contra illum procedi. Quòd ſi fuerit captus ab infidelibus, vel fuit captus ante annos diſcretionis, & tunc non poteſt præſumi hæreticus, vel poſſit quando iam ſciebat fidem Catholicam, & tunc eſſet hæreticus, & vt talis puniretur. *ibid. reſ.* 113.

71 Debent Inquiſitores circa examen teſtium interrogare, an ſint Iudæi, vel Saraceni, &c *ibid. reſ.* 114. Item poſſunt recipere eos ad perpetuam rei memoriam ad inſtantiam fiſcalis, vt poſteà fidem faciant contra reum. *ibid. reſ.* 115. In cauſa autem appellationis debent admittere oppoſitiones teſtium, etiam in cauſa hæreſis, in qua proceditur de plano, & ſine ſtrepitu iudicij. *ibidem reſol.* 117.

72 Poſ-

Digitized by Google

72 Poſſunt Inquiſitores in caſu hæreſis ex indicijs, & probationibus indubitatis punire reum pœna ordinaria; vt ſi quis faciat aliquam cæremoniam Iudæorum, cùm ſit de illorum genere, &c. *ibid. reſ.* 116.

73 Inquiſitores non debent tradere ſtriges, & lamias Iudicibus ſecularibus propter cædes infantium, ſed puniendæ ab ipſis, vt ſacri Canones ſtatuunt: Si tamen Iudex ſæcularis illas tradidiſſet Inquiſitionis officio, ſuſpenſa aliorum criminum cognitione, expedita hæreſis cauſa ſanctum Officium debet, ac ſolet eidem Iudici illas reſtituere, vt ab ijs puniantur ſecundùm leges. *ibid. reſ.* 118. Et poſſunt in cauſis lamiarum ſoli procedere, licèt in Hiſpania procedant ſimul cum Epiſcopo. *ibid. reſ.* 120. Item ad ipſos ſpectat cognitio En ſalmorum, & poſſunt illos punire. *ibid. reſ.* 22.

74 Non poſſunt Inquiſitores relaxare aliquem brachio ſæculari, inconſulto ſupremo Senatu Inquiſitionis. Hinc eſt quòd in Hiſpania Inquiſitores particulares nullum Religioſum, nullumve nobilem, aut aliqua ratione inſignem comprehendunt, quin priùs certiorem faciant Inquiſitionem Generalem, & eius ſupremum Senatum, miſſis ad eos indicijs, & probationibus habitis contra talem reum, & ex eorum præſcripto proceditur, excepto caſu periculi fugæ, vel alterius grauis mali. *ibid. reſ.* 121.

75 Poſſunt Inquiſitores per tres, vel quatuor teſtes minus idoneos punire reum pœna ordinaria, ſi ſimul adſint aliæ coniecturæ, circũſtantiæ, vel adminicula. *ibi. reſ.* 123. Non autem ſi cum teſte inhabili concurrat alius teſtis valdè dignus, quia ex dignitate vnius non reparatur alterius defectus, niſi alia indicia adſint *ibid. reſ.* 129. Et quamuis a reo nihil opponatur teſtibus, tenentur tamen inquirere qualitates, & vitam teſtium.

Poſſunt

Digitized by Google

76 Poſſunt item examinare reuelationes muliercularum, & aliorum. *ibid. reſ.* 125. Itemque habent poteſtatē erga exemptos, quo ad corpora, imagines, tabellas, &c. quæ locis publicis, aut priuatis apponuntur. *ibid. reſ.* 127. Item poſſunt punire mulieres Aegyptianas, vulgò dictas, *Zingare*, quæ bonam, vel malam fortunam, vt ipſæ aſſerunt, diuinant. *ibid. reſ.* 128.

77 In Regnis Hiſpaniarum ſoli Inquiſitores publicant edicta fidei, non Epiſcopi. *ibid. reſ.* 126.

78 Reus interrogatus à Iudice, non tenetur veritatem dicere, antequàm ſibi conſtet Iudicem iuſtè, & legitimè interrogare; vnde debet Iudex ei oſtendere proceſſus, & notificare, quod ipſe procedit iuridicè: ſed hæc non procedunt in cauſa hæreſis, & ſic Inquiſitores non tenentur ad ſupradicta. *ibid. reſ.* 130.

79 In Apoſtatas poſſunt procedere Inquiſitores, eoſque præter abiurationem alijs pœnis arbitrarijs punire, videlicet pecuniæ, triremium, fuſtigationum, &c. 4. *par. tr.* 7. *r. ſ.* 3.

80 Poſſunt etiam procedere Inquiſitores in Apoſtatas à Religione, præſertim ſi per annum perſtiterint in excōmunicatione, negligentes ad Religionem redire. *ibid. verſ. Quæro primò.*

81 Inquiſitores poſſunt ſubdelegare cauſas hæreſis; quia delegatus Principis poteſt ſubdelegare, ſed an delegatus Inquiſitoris poſſit ſubdelegare, anceps eſt quæſtio. 4. *part. tract* 8. *reſ.* 18.

82 Contra fautores hæreticorum, vt ſuſpectos de hæreſi, poſſunt procedere Inquiſitores. Item contra eorūdem defenſores, aut receptores. Ideòque pro qualitate circumſtantiarum, & indiciorum, prudentes Inquiſitores faciant illos de vehementi, vel de leui abiurare, vt eis videbitur.

Digitized by Google

Qui autem verè fautores hæreticorum inueniuntur, abiurabunt de vehementi, & anteà torquendi ſunt. Qui ſi omnibus indiſcriminatim fauerint, debent in genere abiurare omnes hæreſes: ſi verò tantùm Caluiniſtis, vel Lutheranis fauerint, in ſingulari abiurabunt. Inſuper poſſunt puniri arbitrio Inquiſitorum pęnis pecuniarijs, exilio, fuſtigatione, triremibus, alijſque corporalibus pęnis, pro qualitate delicti & ſi opus fuerit, vſque ad confiſcationem bonorum. 4. *part. tract.* 7. *reſ.* 21.

82 Redimentes, & legentes libros hæreticorum, puniendi ſunt tanquàm hæretici, & cenſendi ſunt ſuſpecti de hæreſi leuiter, vel vehementer, ſeu violenter iuxta perſonarum, & facti qualitatem. 4. *par. tr.* 7. *reſol.* 6.

83 Legentes, & tenentes libros Aſtrologiæ Iudiciarię, qui de futuris contingentibus, fortuitiſve caſibus, & liberis tractant, ab Inquiſitoribus puniuntur. Item legentes libros prohibitos ab Inquiſitoribus, etiamſi non ſint libri hæreticorum poſſunt ab Inquiſitoribus puniri.

84 Non poſſunt Inquiſitores præbere licentiam legendi libros hæreticorum, ſed ſolùm Summus Pontifex. Vnde neque Collegium Cardinalium ſede vacante poteſt prædictam licentiam concedere, & reuocata ſunt omnia priuilegia Generalibus Religionum conceſſa circa hoc. 4. *par. tract.* 8. *reſ.* 99.

De Tortura in Sancto Officio inferenda ſuſpectis vehementer de hæreſi.

1 INquiſitores debent eſſe proniores ad torquendum reos; quia crimen hæreſis eſt occultum, & difficilis probationis: ſi tamen delictum probari poſſit alia via, non eſt adhibenda tortura, nam hæc iuxta communem ſententiam eſt vltimum remedium in defectum teſtium.

4. *par.*

Digitized by Google

4. par. tract. 6. reſol. 1.

2 In materia torturæ non poteſt dari certa regula ad cognoſcenda indicia ſufficientia ad illam inferendam, ſed totum hoc negotium remittendum eſt arbitrio Inquiſitorum, quod quidem non debet eſſe abſolutum, ſed limitatum, & ſecundum iuris diſpoſitionem. *ibid. reſ.* 2.

3 Dicta tamen indicia ſaltem per duos teſtes debent eſſe probata, etiamſi hi non ſint idonei, vt familiares, infames, &c. dummodo ſint conteſtes ad hoc, vt Inquiſitores poſſint torquere reos. *ibid. reſ.* 3.

4 Quòd ſi adſit vnum tantùm indicium, probatum tamen per duos teſtes, nõ poſſunt reum torquere, ſed duo ſaltem indicia requiruntur. *ibid. reſ.* 4. Si verò adſint plura indicia, probata tamen per teſtes ſingulares, poſſunt Inquiſitores torturam adhibere. *ibid. reſ.* 5. Itemque poſſunt torquere reum ex dicto vnius teſtis immediatè deponentis de delicto, ſi teſtis ſit omni exceptione maior. *ibi. reſ.* 6.

5 Ex ſolo dicto ſocij criminis non poteſt reus torqueri ab Inquiſitoribus, niſi adſit alia præſumptio, vel adminiculum, aut indicium. Depoſitio tamen duorum ſociorum criminis facit indicium ad torturam. Item duo ſocij criminum non conteſtes, ſed ſingulares, ſi tamen fuerint interrogati à Iudice, non autem quando declarationem illam voluntariè fecerunt. *ibid. reſ.* 7. Depoſitio verò ſocij criminis, qui patitur plures defectus, vt qui eſt infamis, criminoſus, periurus, aut aliàs inhabilis, non facit indicium ad torturam. *ibid. reſ.* 8.

6 Dictum ſocij criminis adminiculatum, non videtur poſſe facere indicium ad torturam rei, qui ſit bonæ conditionis, & famæ, niſi cum dicto ſocij concurrerent adminicula, & præſumptiones, vt ſuperarent bonam famam. *ibi. reſ.* 9. Vt autem dictum ſocij fidem faciat, ſufficit iurare,

R 2 nec

nec opus eſt, vt torqueatur. *ibid.reſ.*10.

7 Teſtes inhabiles non videntur torquendi, vt fidem faciant, cùm faciant indicium ſine maius, ſiue minus, ſpectatis perſonarum qualitatibus, & circumſtantijs. Licèt quandoque poſſint, & debeant torqueri, quòd tamen relinquitur arbitrio Inquiſitorum. *ibid.reſ.*11.

8 Confeſſio extraiudicialis ſufficit, ad hoc vt Inquiſitores poſſint torquere reum; multa tamen requiruntur, quæ ibi vide. *ibid. reſ.*12.

9 Sola fama non eſt ſufficiens indicium ad torturam, ſed requiritur, quòd reus vilis, & infamatus ſit; quòd fama ſit orta non a maleuolis, aut leuibus hominibus, ſed ab honeſtis, & fide dignis, & poſtremò quòd per teſtes idoneos probatá ſit. *ibid.reſ.*13.

10 Fuga antequàm quis accuſetur, eſt ſufficiẽs ad torturam, quia facit ſemiplenam probationem; ſecùs autem cùm reus accuſatus fugit, tunc enim fuga non probat ſemiplenè. *ibid.reſ.*14.

11 Variatio, mendacium, & vacillatio rei per ſe ſola non præbent indicium Inquiſitorium ad torquendum, ſed debent eſſe adminiculata aliqua alia coniectura, indicio, ſeu præſumptione. *ibid. reſ.*15.

12 Reus tortus, & negatiuus, ſi ſuperueniant noua indicia, poteſt iterùm ab Inquiſitoribus torqueri. Sed iſta indicia debent differre à primis ſpecie, & ſubſtantia, ideſt non debent eſſe eadem, licèt poſſint coadiuuari alijs teſtibus. *ibid.reſ.*16.

13 Inquiſitores non poſſunt inferre torturam ſine Epiſcopo, immò in Hiſpania, dùm reus actu torquetur, adſunt Epiſcopus, & Inquiſitores. Vnde infertur, nõ poſſe ſubdelegare alios ad hoc, ſed ipſos adeſſe debere. *ibidem reſ.*17.

14 Non

14 Non eſt in Inquiſitorum arbitrio, quando adſunt indicia vrgentia contra reum, procedere ad pœnam extraordinariam, vel ad torturam, ſed ſi reus eſt perſona, quæ poſſit torqueri, de iure tenetur Iudex procedere ad torturam, vt comperta veritate poſſit damnare reum pęna ordinaria, vel abſoluere. *ibid. reſ.* 18.

15 Inquiſitores cautè debent interrogare reos in tortura, ne occaſio mentiendi contra ſe, & alios detur, ideò generaliter, & non particulariter, vel nominatim ſunt interrogandi, videlicet, vt veritatem dicant de omnibus, de quibus ſunt accuſati, & fuerunt, & nullo pacto falſum cõtra ſe, vel alios proferant. *ibid. reſ.* 19.

16 Inquiſitores debent admittere appellationem rei, niſi fuerit friuola, nam in tali caſu poſſunt illam reijcere, & ea non obſtante adulteriora procedere. Quando verò dicatur appellatio friuola, remittitur arbitrio Inquiſitorum. Notandum tamen hìc, quòd appellatio a grauamine, quo ſe reus grauari dicit, duo continere debet, primum eſt grauamen, a quo appellatur, alterum eſt cauſa grauaminis ſpecificè. Quòd ſi poſt appellationem aliud crimen deferatur, ipſa appellatione non obſtante poſſunt Inquiſitores circa illud contra appellantem procedere, ſi tamen cauſa grauiſſima non ſit; niſi cauſa appellationis fuerit ſuſpicio Iudicis. Et tandem nota, quòd in caſu, quo Inquiſitores admittunt appellationem, tranſmittendus eſt reus cum proceſſu, & idoneis cuſtodibus, ne fugiat. *ibid. reſ.* 20.

17 Poſt inflictum tormentum, & confeſſionem in eo extortam, vt virtute eius reus poſſit condemnari, neceſſarium eſt, vt eam ratificet extra locum torturæ. Dicta autem ratificatio recipi poteſt poſt tranſactas 24. horas, licèt aliqui benigniores velint fieri poſt duos, aut tres dies a tortura; ſed primùm communius ſeruatur. *ibid. reſ.* 22.

Digitized by Google

Si verò reus ſequenti die negat confeſſionem factam in tormentis, poteſt denuò torqueri. *ibid. reſ.*23. Si autem reus bis tortus, bis confitetur, & reuocat confeſſionem, non eſt tertio ab Inquiſitoribus torquendus, quia indicia prioris confeſſionis per pœnam ſecundæ torturæ ſatis purgata ſunt. Et in vno tantum caſu id conſulerem Inquiſitores, quando reus bis leuiſſimè tortus, in poſteriori confeſſione alia noua indicia priori confeſſioni addiderit. *ibid. reſol.*24.

18 Vnius teſtis minor 21. annis non poteſt ſufficere ad torturam, quia non habet requiſitam ætatem ſufficerent tamen ſi eſſent duo. *ibid. reſol.*25.

19 Si plures eiuſdem criminis ſocij, & participes torquendi ſunt, Iudex à ſuſpectiſſimo debet incipere, & a quo facillimè poſſe ſcire verum, veriſimilius fuerit, ideſt ab eo, qui timidior, debilior, deterior ſit. *ibid. reſ.*26.

20 Poſſunt Inquiſitores torquere reum confeſſum ad extorquendos complices, ſi tamen adſit ſemiplena probatio, eum habere complices. Nota tamen, quòd tortura in caput alienum debet eſſe moderata pro ratione cauſæ, & indiciorum. *ibid. reſol.*27.

21 Non poſſunt Inquiſitores torquere reos ſine data eis copia indiciorum; non tamen tenentur nominare teſtes, imò nec quaſdam circumſtantias, ex quibus poſſet reus deuenire in cognitionem teſtium, & accuſatorum. *ibid. reſ.*28.

22 Omnes perſonæ priuilegiatæ poſſunt torqueri ab Inquiſitoribus, exceptis minoribus annis 14. ſenibus, & prægnantibus, quæ nec etiam terreri poſſunt. Item non poſſunt torqueri mulieres poſt partum, niſi poſt 40. dies. Senes debent eſſe 70. annorum, vel etiam 60. ſi ſint infirmæ ſalutis, debiliſque complexionis. Neque torquendi ſunt labo-

Digitized by Google

laborantes quartana, niſi cum medicorum indicio: neque laborantes morbo gallico, brachio debilitato, patientes crudationem venæ, vel difficultatem anhelitus. *ibidem reſol.29.*

23 Inquiſitores in crimine ſagarum non poſſunt ex ſola denunciatione complicum, abſque vllis alijs indicijs torquere perſonas denunciatas, bonæ alioquin famæ. *ibid. reſ.30.* Neque torquere minorem, non dato ei curatore; qui tamen non debet eſſe præſens, dùm minor torquetur; neque debet eſſe pater, cùm hic non poſſit conſtitui curator filiorum. *ibid. reſ.31.*

24 Quando reus eſt conuictus, & datur tortura ſuper intentione, & complicibus, danda eſt cum clauſula, *citra præiudicium probatorum*; aliter enim ſi totus perſiſtat in negatiua, imò etiamſi cum dicta clauſula reus interrogetur ſuper delicto principali, per torturam purgabit omnes probationes. *ibid. reſ.32.*

25 Reus tortus cum pluſquam ſemiplena probatione, ſi ſit negatiuus, non videtur ſimpliciter abſoluendus ab inſtantia, ſed aliqua pœna arbitraria puniendus, niſi acris tortura cenſeretur euacuaſſe etiam omnia indicia. *ibidem reſol.33.*

26 De rigore iuris Inquiſitores poſſunt ponere ad torturam reum, qui non vult reſpondere interrogationibus, & cogere vt reſpondeant affirmatiuè vel negatiuè. *ibidem reſol.34.*

27 Non debent Inquiſitores in tortura recedere a tormento funis; circa cuius modum conſiderare debent qualitatem perſonarum, criminum, & indiciorum: aliter enim torquendi ſunt ſerui, quàm liberi, fortes, quàm timidi, iuuenes, quàm ſenes, robuſti, quàm debiles, humiles quàm honeſti, nobiles, quàm ignobiles; hi enim clementiùs, illi,

Digitized by Google

duriùs torquendi. *ibidem reſol.* 35.

28 Poſſunt Inquiſitores inferre torturam Clericis non infamatis, tantùm indiciatis, maximè in caſu hæreſis; mitiùs tamen torquendi, quàm laici, cęteris paribus, & non laici, ſed Clerici debent illos torquere. *ibid. reſ.* 36.

29 Inquiſitores ſi timent reos veritatem in torturarum fateri ex incantationibus, & maleficijs, debent illos expoliare, ac pilos vndique abradere, idq; diligentiſſimę in quacumque parte corporis, etiam in pudendis. Alia item Eccleſiaſtica remedia adhiberi poſſunt, vt exorcizatio, ſi aqua benedicta in os inſpergatur, &c. *ibid. reſ.* 37.

30 Inquiſitores ſi torqueant reum ex opinione probabili, relicta probabiliori, non ſunt à Viſitatoribus ſuis puniendi, quia qui iuxta opinionem probabilem agit, prudenter operatur, & caret culpa. *ibid. reſol.* 38.

De pœnis delictorum pertinentium ad Tribunal Sacræ Inquiſitionis.

1 POſſunt Inquiſitores, præſertim in Hiſpania, condemnare ad pœnam triremium, fuſtigationis, &c. reos abiurantes tantùm de leui. Cùm verò ex aliquo delicto oritur vehemens ſuſpicio, non debent ſemper imponere abiurationem de vehementi, ſed conſiderandæ circumſtantiæ perſonarum, & cauſarum, ex quibus interdùm vehemens ſuſpicio, interdùm leuis, interdùm nulla oritur. 4. *par. tract.* 7. *reſ.* 1.

2 Pœnæ hæreticorum a Iure impoſitæ ſunt. 1. Sententia excommunicationis maioris. 2. Priuatio omnis Eccleſiaſticæ dignitatis, officij, & beneficij, & inhabilitas ad illa. 3. Publicatio bonorum omnium, quibus priuantur a die commiſſi criminis. 4. Pœna temporalis. 5. Perpetua infamia. 6. Supplicium mortis, quo tandem plectuntur impœni-

pęnitentes, & incorrigibiles. *ibid. verſ. Quæro tertio.*

3 Hæreſiarchæ, & Dogmatiſtæ, ſi defendant errorem ſuum poſtquàm ab Inquiſitoribus apprehenduntur, quãuis poſteà conuertantur, non ſunt ad reconciliationem recipiendi. Si tamen ſtatim conuertantur, & veræ conuerſionis euidentia ſigna oſtenderint, recipi poſſunt. Sint tamen Inquiſitores cauti ad hanc reconciliationem concedendam; non enim eſt facilè credendum ex abyſſo impietatis quàm repentè velle diſcedere. *ibid. reſ.* 23. Quibus quidem non videtur deneganda Euchariſtia, ſi verè pęnitentes ſint. *ibidem.*

4 Hæretici pęnitentes abiurant dè formali. Qui ſi pœniteant in limine iudicij, & ante accuſationem confiteantur, ad carcerem temporalem cum habitu pęnitentiali pro breui tempore ſunt condemnandi: ſi verò poſt accuſationem, augenda erit pęna, & pęnitentia; quòd ſi poſt publicationem teſtium, hæreſes confiteantur, ad perpetuum carcerem damnandi ſunt, quia præſumitur, quòd metu publicationis confiteantur, & talis conuerſio non caret ſuſpicione; & in omnibus caſibus prædictis bona publicantur. *ibid. reſ.* 24.

5 Si autem hæretici pęniteant in ipſo tabulatu, tunc Inquiſitores in aliquo caſu, ſi viderint ſpecialiſſima conuerſionis ſigna, poterunt eos ad reconciliationem admittere; nec tradent curiæ ſæculari, quia id videtur, pietati, & miſericordiæ Eccleſiæ conuenire. *ibid. verſ. Sed reſtat.* An verò poſt latam, & publicatam ſententiam, reconciliari poſſit hæreticus, Inquiſitorum determinationi relinquitur; raro tamen reconciliari debet, maximè ſi iam traditus ſit Curiæ ſæculari. *ibid. verſ. Non deſinam.*

6 Hæretici impęnitentes pęna mortis puniendi, ſi in negatiua perſiſtunt, & non præſumatur obliuio. Obliuio

verò

Digitized by Google

verò non præſumitur in factis arduis, & in atrocibus, & horrendis, etiam poſt longum tempus.*ibid. reſol.* 25.

7 Hæretici relapſi, ſi ſpontè redeant, Inquiſitores debent illos admittere, & pęnam mortis relaxare. Ille verò dicitur ſpontè comparere, & redire, qui in iudicio non præuento comparet coram Inquiſitoribus; nam ſi hæreticus relapſus timet, ne ab aliquibus accuſetur, vel facilè id præuidere poteſt, tunc non dicitur ſpontè redire ad Eccleſiam, ſed potiùs ex metu, & tunc relaxandus eſt Curiæ ſæculari. Praxis autem obſeruat, vt ad relaxos pęnitentes mittantur duo, vel tres Eccleſiaſtici viri, qui eos in fidei veritatem confirment, & ad patientiam exhortentur in morte, quæ excuſari non poteſt: tunc recipiant Sacramentum pęnitentiæ, & Euchariſtiæ, & poſt duos, vel tres dies tradantur Curię ſæculari. *ibid. reſ.* 26.

8 Non poſſunt Inquiſitores damnare tamquam relapſum eum, qui poſt adiuratam hæreſim redditur de ſecundo lapſu vehementer ſuſpectus. *ibid. verſ. Solùm hìc.*

9 Impedientes Officium Inquiſitionis ipſo facto excõicantur, reſeruata Papæ abſolutione, declarantur rei læſæ Maieſtatis, priuantur perpetuò dominijs, feudis, honore, dignitate traduntur Curiæ ſæculari puniendi, bonis, rebuſque omnibus fiſco applicatis. Ita Pius V. in Bulla, quam etiam renouauit Vrb. VIII. *ibid. reſ.* 13. & ſupradictas pęnas poſſunt Inquiſitores inferre non ſolùm in eos, qui & contemptu, & odio S. Officij, illud impediunt, ſed etiam qui, & alia cauſa, vt ex amicitia, vel conſanguinitate, vel pretio; quia Bulla neminem excipit. Licèt cenſeam hos eſſe puniendos mitiùs. *ibid. verſ. Sed difficultas.* Et tandem imponenda eſt eis abiuratio in genere de impedimento, & fautoria, pro qualitate ſuſpicionis. *ibid. verſ. Verum.*

10 Non

Digitized by Google

10 Non implentes pęnitentiam generant non leuem ſuſpicionem de hæreſi, quaſi conuerſio antecedens fuerit ficta; Ideòque contra illos procedant Inquiſitores; non tamen puniendi ſunt vt relapſi, ſed tamquàm impęnitentes condemnandi pęna arbitraria, vt ieiunij, fuſtigationis, vel dupliciter pęna ordinaria. Si verò pęnitentia impoſita de directo contra hæreſim deteſtatam tendat, vt contra ipſam prædicare, cùm hæreticis non conuerſari, &c. tunc putò condemnandum eſſe reum tamquàm relapſum. *ibid. reſ.* 14. Quòd ſi impoſitas pęnitentias non modò non adimplet, ſed animo obdurato adimplere recuſat, velut impęnitens eſt iudicandus, & ſi nolit reſpicere, Curiæ ſæculari tradendus. *verſ. Nota.*

11 Frangentes carcerem, aut inde fugientes dùm eorum cauſa agitur non ſunt quidem pro confeſſis, neque pro conuictis habendi; tamen reſultat contra ipſos non ſolùm indicium ad torturam, ſed ſi non compareat ex tali indicio cum alijs adiuncto, poteſt citari ad comparēdum, & ſi non compareat, poteſt condemnari. Et ſi vir nobilis cuſtodiatur arctiùs, & duriùs puniatur: ſi vilis, publicè verberibus flagellandus, & cauſa hæreſis in ſuo ſtatu permanens tractatur, quamquàm & alijs pęnis arbitrarijs puniri poſſunt. *ibid. reſ.* 15.

12 Inquiſitores non poſſunt vnire duas ſemiplenas probationes ad damnandum reum pęna ordinaria, niſi adſint alia indicia. *ibid. reſ.* 30. Neque poſſunt condemnare reum hæreticum ad pęnam ordinariam, ſi adſint tantùm teſtes ſingulares, *ibi. reſ.* 31. Hæreticus tamen malæ vitæ, & famæ poteſt puniri ab Inquiſitoribus pęna ordinaria ex duobus tantùm teſtibus, conteſtibus tamen, & idoneis. *ibid. reſ.* 32.

13 Non poſſunt Inquiſitores damnare reum, vt publicè

cè abiuret de leui, ſed ſi reus eſt ſuſpectus publicè, publicè etiam debet abiurare de leui, ſi non abiuret in audientia ſecreta Inquiſitorum, ſecundùm quod apud plures, vel pauciores ſuſpectus fuerit de hæreſi; idque Inquiſitorum arbitrio. *ibid.reſ.*33.

14 Qui fecit ritus hæreticales, aut protulit verba hæreticalia, non videtur puniendus vt hæreticus, ſi ipſe confitetur delictum, & negat intentionem: ſecùs autem ſi non ſolùm confiteatur delictum, ſed de illo ſit conuictus. *ibid. reſol.*34.

15 Quando Inquiſitor, & Epiſcopus diſſentiunt in imponendis pœnis, conſulendus eſt Summus Pontifex in Curia Romana. In Hiſpania verò remittitur cauſa inſtructa ad Senatum Sacræ Inquiſitionis. *ibid.reſ.*37.

16 In imponendis pœnis tenentur Inquiſitores petere Conſilium Conſultorum, quorum tamen acta non ſunt deciſiua, ſed conſultiua; licet probabile ſit Inquiſitores teneri aduocare conſultores, ita vt ſententia ſine eis prolata ſit inualida. Pro captura tamen non tenentur adhibere peritorum conſilium, niſi id expedierit. *ibidem reſol.*38.

17 Poſſunt Inquiſitores procedere contra hæreticum defunctum, quia crimen hæreſis morte non extinguitur. Si igitur formato proceſſu hæreſis eſt plenè probata, hæreticus mortuus damnandus eſt, & eius bona fiſco ſunt applicanda, etiam ſi deuenerint in manus tertij poſſeſſoris & ſi eius oſſa a Catholicis poſſunt diſtingui, exhumanda ſunt, & eius ſtatua comburenda. Si tamen non probetur eius delictum, neque ſperetur breui probandum, tunc erit abſoluendus, nam ſuperuenientibus nouis probationibus, quæ cum prioribus coniunctis hæreſim plenè probent, poterit ſic abſolutus condemnari. *ibid.reſ.*28.

18 Hæreticus defunctus condemnari non poteſt, niſi citatis

Digitized by Google

citatis filijs, vel hæredibus, ſiue præſentibus, ſiue abſentibus; ſiue certis, ſiue incertis, & illis danda eſt copia indicionum, & accuſationum; qui quidem non tenentur per ſe comparere, ſed ſufficit ſi per procuratorem compareãt. Imò quilibet è populo volens defendere hæreticum defunctum, admittendus eſt, neque ob id dici poteſt hæreticorum defenſor. *ibid. verſ. Notandum.* Adde, quòd ſuſpecti de hæreſi damnari non poſſunt poſt mortem. *ibid.*

19 In duobus caſibus poteſt quis damnari tamquàm hæreticus poſt mortem. Primò, ſi in carcere exiſtens ſe ipſum interemit, quia talis mors eſt quædã hæreſis confeſſio. Secundò, quando hæreſis eſt probata ſufficienter ex eo quòd probetur extitiſſe quis contumax per annum in excommunicationem ſaltem ob cauſam fidei. *ibid. verſ. Sed Nota.*

Irregularitas.

1 QVando in rixa plures aliquem percutiunt, vnus autem lethale vulnus infligit, ex quo percuſſus moritur; ſi conſtat quis inflixerit, ille ſolus irregularitatem incurrit; cæteri verò vt ab homicidio, ita etiam ab irregularitate excuſantur. 2. *par. tr.* 15. & 1. *Miſcell. reſ.* 18.

2 Ad irregularitatem ex homicidio voluntario contrahendam, ſuper qua non poſſit Epiſcopus diſpenſare, requiritur, vt homicidium deliberato animo, & inito conſilio fiat: nam ſi in rixa repentè exorta, aut propter verba contumelioſa ſubito homicidium perpetratur, ſecundùm quoſdam, caſuale cenſetur, & non voluntarium, & poteſt Epiſcopus circa irregularitatem ex illo contractam diſpenſare. *ibid. reſ.* 19.

3 Qui in rixa præſcindit alteri digitum, non eſt irregularis: quia irregularitas non incurritur, niſi ob mutilationem

Digitized by Google

nem alicuius membri. At digitus non eſt membrum, vt docent iures conſulti: illud enim propriè dicitur membrum quod habet officium ab alijs corporis partibus diſtinctū, vt oculus, manus: vnde ſequitur non eſſe irregularem qui feminę amputat mamillam, vel auriculam, ideſt cartilaginem, &c. quæ tantùm pertinent ad ornatum. *ibid. reſ.* 20.

4 Poteſt Epiſcopus diſpenſare cùm illegitimo occulto ſuper irregularitate, ad ſacros ordines ſuſcipiendos: cùm enim hæc irregularitas orta fuerit ex peccato parentum, videtur pertinere ad irregularitatem ex delicto. *ibid. reſ.* 21. *&* 4. *par. tr.* 2. *reſ.* 64.

5 Infantes expoſiti quorum parentes ignorantur, cùm adoleuerint, poſſunt ſine diſpenſatione Papæ, aut Epiſcopi ſacros Ordines ſuſcipere; neque enim ob defectum natalium ſunt irregulares, quia quilibet præſumendus eſt legitimus, donec probetur contrarium. *ibid. reſ.* 22. *&* 4. *par. tr.* 2. *reſ.* 58. *&* 59.

6 Ob hæreſim exteriorem, non tamen notoriam, incurritur irregularitas; a qua tamen poteſt Epiſcopus diſpenſare. Licet enim per Bullam Cœnæ adempta ſit Epiſcopis facultas abſoluendi occulta; non tamen adempta eſt poteſtas ſuper irregularitate ex ea contracta diſpenſandi. *ibid. reſ.* 24.

7 Ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiritur peccatum mortale, neque ſufficit quęcumque negligentia venialis: quia irregularitas eſt pęna grauiſſima; ergo non niſi ob graue delictum infligenda. *ibid. tr.* 16. *&* 2. *Miſcell. reſ.* 18.

8 In dubio facti circa homicidium, cenſendus eſt aliquis irregularis: ſecus in alijs dubijs facti, v.g. ſi quis dubitat, an ſit legitimus, poteſt cenſeri legitimus, & ſacros ordines ſuſcipere; quia in iure tantum pro dubio homicidij

incur-

incurritur irregularitas: ergo in alijs dubijs non incurritur. *3.par.tr.5.Miſcell.reſ.72.& 4.par.tr.2.reſ.52.*

9 Sacerdotes, & alij qui comitantur reum ad ſuppliciũ, non incurrunt irregularitatem hortando illum, vt ſcalam conſcendat, vel alia ratione ei mortem accelerando: quia hæc irregularitas defectu lenitatis incurritur tantùm a iuſtitiæ miniſtris, & ijs qui concurrunt ad cauſæ probationem, & pęnæ executionem. Notent hic Sacerdotes poſſe ſe ſine periculo irregularitatis miniſtrare infirmis, eos vertere modò in hanc, modò in illam partem, licèt præter intentionem mors inde acceleretur, dummodo hæc fiant cum cautela quæ communiter a prudentibus adhibeatur. *ibid.reſ.79.*

10 Confeſſarius, vel alius Doctor interrogatus a Iudice, an teneatur reum morti addicere, non incurrit irregularitatem, etiam ſi expreſsè reſpondeat teneri: quia ſoli miniſtri iuſtitiæ, vel concurrentes ad cauſæ probationem, incurrunt irregularitatem defectu lenitatis. *ibid. reſ.*80.

11 Qui habet in manu ſex digitos, ſeu coniunctos, ſeu diuiſos; modò non ſit magna deformitas, nec impedimentũ in vſu membri, non eſt irregularis. *ibi.tr.6.Miſc.reſ.61.*

12 Irregularitas ex homicidio non incurritur ob concurſum ad illud, niſi aut factum a miniſtro publico iuſtè, aut factum a perſona priuata iniuſtè: vnde qui vendunt aut donant ligna ad viuos comburendos, & gladios, & funes ad interficiendos reos, nec Confeſſarius, nec quiuis alius qui accelerat mortem alicui, incurrit irregularitatẽ: quia in iure vbi fit mentio irregularitatis ex defectu lenitatis, tantùm eſt ſermo de Iudicibus & alijs officialibus ac miniſtris iuſtitiæ: ergo hæc irregularitas non eſt ad alios extendenda. *ibid.tract.5.Miſcell.reſ.79. & in Addit.in fin. 3.part.reſ.15.*

13 Si maritus, cognito adulterio vxoris, eam interficiat, non fiet irregularis adulter, quia ad incurrendam irregularitatem ex homicidio caſuali proueniente ex opere illicito, non ſufficit quælibet cauſa, ſed neceſſariò requiritur, vt alterum ex his interueniat, vel vt opus illud per ſe ſit aptum ad inferendum homicidium, vel vt ſit cauſa immediata illius: adulterium autem nullum iſtorum habet: ergo. 4.*part.tract.*2.*reſ.*1.

14 Adulter non efficitur irregularis, ſi cauſa neceſſariæ defenſionis maritum aggreſſorem occidat, dummodò homicidium fiat ſine peccato, & cum moderamine. *ibid. reſol.*2.

15 Qui occidit inuaſorem in defenſionem bonorum temporalium, honoris, pudicitiæ, &c. non efficitur irregularis, quia tale homicidium non eſt peccatum. *ibid.reſ.*4. Nota tamen has conditiones requiri. 1. vt nocumentum temporale ſit graue, & actu iniuſtè inferatur. 2. vt non ſit reparabile, vel cum tanta difficultate, vt ob eam cenſeatur graue nimis detrimentum. 3. vt verè ſit defenſio, & moderata. 4. vt non poſſit alio modo fieri niſi per mortem aggreſſoris *ibidem.*

16 Neque fit irregularis, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit alterum in defenſionem proximi innocentis, præſertim ſibi propinqui. *ibid. reſ.* 5. Neque qui occidit inuaſorem, ne grauiter vulneretur; vel ad ſe defendendum à graui deformitate vultus. *reſ.*6. Vel ad defenſionem alicuius membri. *reſ.* 22.

17 Qui non impedit homicidium, quod ex iuſtitia tenetur impedire, quamuis ex dolo non impediat, probabile eſt non fieri irregularem, licet contrarium ſit communiùs, & probabiliùs. *ibid.reſ.*7.

18 Sacerdos, qui ſcit mulierem prægnantem à ſe reddi-

tam

Digitized by Google

tam procurare abortum, & illam non impedit, non incurrit irregularitatem, quia pater non tenetur defendere vitam filiorum lege iuſtitiæ, ſed pietatis, & officij paterni. *ibid. reſ.* 8. Neque qui ſciens non contradicit volentibus alium occidere in vindictam iniuriæ illatæ; quia in tali caſu permittens homicidium, ſeu illud non impediens, non influit poſitiuè. *reſ.* 9.

19 Qui vulnerauit aliquem vulnere non lethali, & is mortuus eſt iniuria medici, vel propria, non eſt irregularis, quia vulnus non eſt cauſa mortis, ſed negligentia medici, vel ipſius vulnerati. *ibid. reſ.* 10.

20 Qui tradit alicui arma, quibus alterum occidit, efficitur irregularis, ſi ſuſpicionem aliquam habuit illa peti ad homicidium patrandum. Secùs ſi neſciuit, nec ſuſpicatus eſt peti ad malum. *ibid. reſ.* 11.

21 Qui dedit alteri conſilium, vt intret v. g. in duellum, vel occidat inimicum, & is, cui dedit conſilium, occiſus eſt, efficitur irregularis, vt eſt vera cauſa moralis, ſi verò non intenderet eius mortem, incurreret irregularitatem homicidij cauſalis. Contrarium tamen ſua probabilitate non caret. *bid. reſ.* 12.

22 Qui ratum habet homicidium ſuo nomine factum, non incurrit irregularitatem, quia hæc infligitur contra eos, qui ſunt cauſa homicidij, at in caſu noſtro homicidiũ eſt iam factum: ratihabitio autem mandato æquiparatur quoad culpam, non quoad pęnam, niſi Superior aliter diſpoſuerit. *ibid. reſ.* 13.

23 Mandans homicidium ad vitandam irregularitatem, ſufficit ſi reuocet mandatum, non autem tenetur monere occidendum, vt caueat. Idem dic de conſulente. *ibid. reſ.* 14.

24 Probabile eſt eum non eſſe irregularem, qui non

potuit dimouere fœminam à conſilio dato de abortu faciendo, quia ſufficit reuocaſſe conſilium, licèt contrarium ſit probabilius,& tutius.*ibid.reſ.*15. Idem dic de eo,qui fecit abortum,ſed dubitauit de animatione fœtus. *ibi.reſ.*16.

25 Si intimus amicus bono animo ſe dedit in ſocium alicui, ne in rixa periclitaretur, non incurrit irregularitatem, ſi amicus inimicum occidat,niſi exteriùs ita amicum rixantem aſſociando videatur illum animare ad occidendum.*ibid.reſ.*17.

26 Conſulens aliquem ad mutilandum fit irregularis: Excipe ſi dederit conſilium mutilationis ei,quem non poteſt aliter ab homicidio auertere. *ibid. reſ.* 18. Mandans autem aliquem verberari modo cauto,& prudenti,& cum miniſtro fideli, & ille occidatur, non incurrit irregularitatem, quia ita mandans nullo modo eſt reus homicidij. *ibid.reſ.*19.

27 Ob homicidium caſuale, quod factum fuit dando operam rei illicitæ, nulla vmquam incurretur irregularitas, niſi ipſa actio hic, & nunc ſit ita periculoſa, vt peccet contra ius naturæ præcisè ratione periculo occidendi, cui hìc,& nunc ita operando ſe exponit.*ibid.reſ.*20.

28 Ad hoc vt per homicidium caſuale quis efficiatur irregularis, requiritur ea negligentia,quæ omnibus conſideratis perueniat ad peccatum mortale. *ibid.reſ.*21.

29 Clericus in ſacris exercens chirurgiam per inciſionem,vel aduſtionem non fit irregularis morte ſequuta, ſi adhibuerit neceſſariam diligentiam, quia non incurritur irregularitas ex opere illicito etiam periculoſo,& de ſe tendenti ad homicidium, ſi adhibeatur omnis diligentia. *ibid.reſ.*23. Et idem probabiliter ſuſtineri poteſt de Clerico,ſeu Religioſo venam ſecante. *ibid. reſ.*24.

30 Qui dubitat an ſuum conſilium influxerit ad homici-

micidium factum, debet ſe exiſtimare irregularem: in tali tamen caſu ſtandum eſt dictis ipſius conſulti, ita vt ſi dicat ſe motum non fuiſſe per conſilium, liber maneat conſulens ab irregularitate. *ibid. reſ.* 25.

31 Milites pugnantes in bello iniuſto, non videntur omnes fieri irregulares, ſi aliquis occidatur, ex parte hoſtium, niſi numero ſint ita pauci, vt inter ſe mutuò omnes videre, vel audire poſſint, tunc enim omnes eſſent irregulares. Si verò ſint plura millia, non eſt extendenda irregularitas, niſi ad quinquaginta, vel etiam centum milites, quia poſſunt hi omnes ſe mutuò animare. *ibid. reſ.* 27. Militantes tamen in bello iuſto aggreſſiuo non fiunt irregulares, niſi ſuis manibus ſanguinem fundant, etiamſi alij mutilent, vel occidant. *ibid. verſ. Notandum.*

32 Vendentes, vel donantes arma militibus ad bellum iuſtum etiam in ipſo conflictu belli non incurrunt irregularitatem, quamuis ſint Clerici, modò iſti Clerici non præbeant arma ad occidendum hunc, vel illum in particulari. *ibid. reſ.* 28.

33 Milites in bello iuſto non fiunt irregulares, ſi occidant alios ad defendendam propriam vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia talis defenſio eſt licita. *ibid. reſ.* 29. Qui verò pugnauit in bello iuſto, ſed dubitat an occiderit, vel mutilauerit, probabiliter poteſt ſe non iudicare irregularem, quia ſi ſolum dubium ſufficeret ad irregularitatem in his, qui pugnant in bello iuſto, innumeri eſſent irregulares. *ibid. reſ.* 30.

34 Teſtis præcepto Iudicis obligatus, vel graui metu coactus, & in caſibus, in quibus iure naturali tenetur teſtificari, ſemper incurrit irregularitatem. Contrarium tamen etiam non eſt improbabile. *ibid. reſ.* 31. Idem dic de Aduocato, & teſte in cauſa ſanguinis, etiamſi præmittant pro-

S 2 teſta-

Digitized by Google

teſtationem eo modo, quo facit accuſator; quia dicta facultas proteſtationis ſolùm conceditur in iure accuſatori. *ibid.reſ.*32.

35 Clerici, & Laici accuſantes in cauſa criminali cum proteſtatione non incidunt in irregularitatem, ſi hoc faciant petendo ſatisfactionem prò iniuria ſibi, vel ſuis rebus illata, vel parentibus, vel conſanguineis. *ibid.verſ.Suppono,& reſol.*33.

36 Aduocatus, qui reum defendit, non efficitur irregularis, ſi ſequatur mors accuſatoris, niſi poſtulet pœnam talionis contra accuſatorem, ſed ſolùm defendat reum ſuum, & ex accidenti ſequatur mors accuſatoris. *ibidem reſol.*34.

37 Clerici aſſiſtentes, quando reus in patibulo ſuſpenditur, nec irregularitatem incurrunt, nec venialiter quidẽ peccant, quia Canones id prohibentes videntur contraria conſuetudine abrogari. *ibid.reſ.*35.

38 Homicidium voluntarium, quod inducit irregularitatem, eſt homicidium illicitum, & prohibitum 5. Decalogi præcepto, quod per inſidias, & ex propoſito fit; adeòque in illo perpetrando neceſſe eſt, vt adſit voluntas directa, & expreſſa, & non ſufficit vt ſit voluntarium in cauſa. Homicidium verò caſuale eſt non ſolùm, quod committitur indirectè, ſed etiam quod committitur directè excedẽdo moderamen inculpatæ tutelæ, & quod committitur ex ſubita ira, quamuis directè, & plenè voluntariè. Notent hæc Confeſſarij. *ibid.reſol.*72.

39 Proteſtatio facta animo ficto liberat ab irregularitate, etiamſi mors ſequatur, quia proteſtatio ficta tantùm valet apud Iudicem ignarum fictionis, quantum valeret ſi ex animo, & non fictè fieret. *ibid.reſ.*75.

40 Qui laqueo ſe ſuſpendit, & impeditus ab alijs non mori-

moritur, non videtur eſſe irregularis; quia irregularitas, impoſita eſt homicidio voluntario, & non attentato. *ibid. reſol.76.*

41 Eccleſiaſtici committentes Iudici laico in particulari caſum alicuius rei dignum morte, ſi ſequatur, non incurrunt irregularitatem. *ibid. reſ.78.*

42 Qui plura homicidia commiſit, probabile eſt non contrahere plures irregularitates numero diſtinctas, & neceſſariò in diſpenſatione manifeſtandas. Multi tamen aſſerunt hanc opinionem non eſſe tenendam, quia ſtylus Curiæ eſt in contrarium. *ibid. reſol.86.*

43 Ferens teſtimonium in fauorem rei non efficitur irregularis, ſi ob id ſequatur mors accuſatoris; quia huiuſmodi mors cenſetur ſequi per accidens ex ipſius teſtificatione. Et id etiamſi teſtis ſit Clericus. *ibid. reſ.96.*

44 Confeſſarius, qui obligat pœnitentem ad confitendum delictum dignum morte, ſi iuridicè interrogetur, nō eſt irregularis, quia hoc non eſt concurrere ex parte inferentis mortem, ſed ſuſtinentis. *ibid. reſol.99.* Neque ſi conſulat, vt conſentiat ſententiæ mortis iuſtæ, quam differre non poteſt, niſi per iniuſtam appellationem. Eſſet tamen irregularis ſi conſuleret omittere appellationem iure conceſſam, quia eſſet cauſa accelerationis mortis. *ibid.*

45 An verò Inquiſitores poſſint abſque metu irregularitatis remittere familiares Iudici laico, quando non gaudeant priuilegio fori, quia caſus eſt magni momenti, puto conſulendum ſummum fidei Quæſitorem, ſeu ſupremum S. Inquiſitionis Conſilium. *ibid. reſ.101.*

46 An item irregularitas homicidij tollatur per Baptiſmum, valdè controuerſum eſt, & vtrinque militant rationes. *ibid. reſol.51.*

47 Puer maior ſeptennio occidens fit irregularis.

4. par. tract. 2. reſol. 67.

48 Clericus in bello iuſto incitans ad aliquem determinatè occidendum non fit irregularis, cùm id in iure non exprimatur. 5. *par. tr.* 14. *reſ* 98.

49 Probabile eſt irregularitatem non reddere aliquem inhabilem ad beneficium obtinendum, & ad fructus percipiendos, licèt peccet quidem mortaliter acceptans beneficium in irregularitate. Ne recedant tamen à contraria opinione affirmatiua tamquam tutiori in praxi. 4. *par. tr.* 2. *reſ.* 37. *&* *reſ.* 79.

50 Epiſcopi incidunt in irregularitatem, quæ fertur aliquo iure generali, quia nullo iure ab hoc excluduntur. *ibid. reſ.* 53.

51 In nullo caſu à iure non expreſſo incurritur irregularitas. *ibid. reſ.* 80.

52 Irregulares non poſſunt initiari prima tonſura ſine præuia diſpenſatione, quia irregularitas reddit inhabiles ad omnes Ordines. Licet contrarium etiam probabiliter ſuſtineri poſſit, quia prima tonſura non eſt Ordo. *ibid. reſol.* 88.

53 Filij Saracenorum, Paganorum, & Iudęorum, ſi baptizati ſunt ab infantia, nullam incurrunt irregularitatem, ſecùs ſi ſint filij hæreticorum. Si autem conuerſi ſunt, & baptizati in adulta ætate, dicuntur Neophyti, & ſunt irregulares. Hi autem poſt decem annos à ſuo Baptiſmo, non ſunt ampliùs irregulares. 4. *par. tr.* 2. *reſ.* 50.

54 Latinus ordinatus à Græco, aut è contra, non fit irregularis, quia non reperitur id in Iure. Neque item qui ordinatur ab Epiſcopo Schiſmatico. *ibid. reſ.* 54.

55 Qui ſuſcipit Ordines furtiuè, ideſt non examinatus, neque admiſſus, fit irregularis. Cuius quidem irregularitatis diſpenſatio hodie eſt Papæ reſeruata, quia communi-

muniter Epiſcopi ferunt excommunicationem contra furtiuæ ordinationi ſe ingerentes. *ibid. reſ.* 55.

56 Si quis autem ordinetur in his caſibus, non efficitur irregularis. 1. Quando accipit ordines ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciauit, quoad locum, & dignitatem. 2. Qui ordinatur ante legitimam ætatem. 3. Ab Epiſcopo alieno ſine licentia proprij. 4. Per ſaltum. 5. Extra tempora ſine diſpenſatione. 6. Non ſeruatis interſtitijs. 7. Exiſtens in irregularitate ſine diſpenſatione ab ea; in his enim caſibus non incurritur irregularitas, ſed ſuſpenſio. *ibid. verſ. Nota.*

57 In duobus tantùm caſibus quis incurrit irregularitatem in mala ordinum ſuſceptione. Primò ſi furtiuè ordinetur, vt ſupra. 2. Si durante matrimonio etiam non conſummato, præſumit quis ſacros ordines ſuſcipere: In alijs caſibus, quos adducunt DD. aſſerentes incurri irregularitatem in ſuſceptione Ordinum, tene contrarium, quia cùm non exprimantur in iure, non ſunt admittendi. *ibid. verſ. Nota ſecundò.*

58 Qui præſumit ſolemniter baptizare carens ordine ad id requiſito, vel ſine Sacerdotali ordine præſumit Miſſam celebrare, efficitur irregularis. Idem dic de quocumque adminiſtrante alia Sacramenta ſine ordine requiſito, & de laico etiam. Ad incurrendam porrò prædictam irregularitatem, requiritur, vt qui vſurpat ordinem, exerceat illum ſeriò, & vt ordinatus, ſeu ſolemniter. i. eo modo, quo nequeat à non ordinato exerceri. *ibid. reſ.* 56.

59 Clericus excommunicatus non videtur incurrere irregularitatem, ſi faciat coram ſe celebrare. Sicut etiam, qui non eſt cenſura ligatus, & faciat, vt excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus coram ſe celebret, non eſt irregularis. Licèt autem Clericus ligatus cenſura incurrat irre-

Digitized by Google

gularitatem exercendo actum ordinis, attamen per indignam adminiſtrationem ordinis non incurritur irregularitas, quando non eſt adminiſtratio contra cenſuram. *ibid. reſ. 57.*

60 Epiſcopus, qui malè vtitur poteſtate ſua in conferendos ordines, non fit irregularis. Nec qui celebrat prætermiſſo toto ritu Eccleſiæ in celebrando, & ſacrificando. Nec Sacerdos, qui pro perſona viuenti dicit Miſſam Defunctorum; & tandem nulla incurritur irregularitas, quæ non ſit in iure expreſſa. *ibid. verſ. Et Nota.*

61 Si alicui ob ſuam culpam, aut delictum, membrum, aut pars membri abſcindatur, ſiue à Iudice, ſiue ab alio iniuſtè in vindictam delicti, quod is commiſit, aut quia ipſe occaſio fuit rixæ, in qua ei abſciſſum eſt membrum, aut pars membri, vel aliqua alia ratione operam dando rei illicitæ, irregularitatem incurrit. Licèt contrarium etiam probabiliter ſuſtineri poſſit. *ibid. reſ. 60.*

62 Qui ſpontè ſibi membrum, vel membri partem, v. g. digitum, vel partem digiti ex indignatione, vel impatientia abſcidit, irregularis efficitur, etiamſi ex tali abſciſſione non oriatur notabilis deformitas, vel impedimentū ad celebrationem. Licèt aliqui probabiliter aſſerant ad hanc irregularitatem incurrendam requiri notorietatem facti. *ibid. verſ. Notandum.*

63 Prælati Regulares debent iudicare circa ſuos ſubditos, an defectus corporis ſit ita notabilis, vt inducat irregularitatem, vel non: licet liberum ſit Epiſcopo, qui daturus eſt ordines, admittere, vel reijcere tale arbitrium Prælati Regularis. Poſſunt item ijdem Prælati diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate ex vitio corporis prouenien-te, dummodo vitium non ſit tàm fœdum, aut turpe, aut ex eo ſcandalum oriri rationabiliter formidetur. Idem dic de

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopo circa ſuos ſubditos. *ibid. reſ.* 73.

64 Ex ignorantia oritur irregularitas, & conſequenter illiteratus ſemel ordinatus, quamuis bona fide, non poteſt ordines exercere. Hoc tamen non procedit in Religioſis, ſed Epiſcopus poteſt initiare etiam Sacerdotio Regularem, qui benè legit, & cantat, quamuis minùs ſit litteratus. *ibid. reſ.* 74.

65 Probabile eſt damnatum ad triremes non effici irregularem, quia non reperitur id in iure: quamuis contrarium etiam probabile ſit. *ibid. reſ.* 83.

66 Æthiopes non ſunt irregulares, & id abſolutè loquendo. *ibid. reſ.* 84.

67 Curiales, & qui publicis functionibus occupantur, ſunt irregulares: ſub nomine autem curialium intelliguntur quicumque Curiæ ſæculari obligati ſunt in miniſterio alicuius officij publici, ſiue in perpetuum, ſiue ad tempus, & ſiue talis obligatio ſit ex iuramento, pacto, aut ſtipendio. Excipe tamen Conſiliarios Principum, qui ſiue ex Pontificis expreſſa conceſſione, ſiue ex conſuetudine præſcripta, non ſunt irregulares. *ibid. reſ.* 98.

68 Obligatus ad ratiocinia non poteſt ordinari ante rationem redditam, etiã deſerto officio, vel niſi exhibeat fideiuſſorem, qui cauſam ratiocinij ſe aſſumat: ſecùs verò dicendum eſt ante ſolutionem debiti pecuniarij, quia ſolutio nullibi in Sacris Canonibus requiritur. *ib. in Notãdis.*

69 Sacerdos, qui non habet facultatem confitendi, non incurrit irregularitatem, ſi excipiat alicuius confeſſionem, quia non exercet ordinem, quem non habet, ſed potiùs dicitur exercere actum iuriſdictionis, quem non habet. *ibid. reſ.* 89. Sacerdos autem excommunicatus, ſi audiat confeſſiones, fit irregularis, quia exercendo actum ordinis violat cenſuram. *ibid. reſ.* 90. Clericus item non-

dùm

Digitized by Google

dùm Sacerdos efficitur irregularis, ſi cõfeſſiones excipiat, aut alia Sacramenta miniſtret. *ibid.reſ.* 91.

70 Suſpenſus ab ordine non incurrit irregularitatem, ſi ad ſuperiorem ordinem aſcendat, quia non reperitur in iure expreſſa. Nec Epiſcopus ſuſpenſus a Pontificalibus efficitur irregularis ſi Miſſam celebret cum apparatu Epiſcopali; quia ab actu celebrandi ſecundùm ſubſtantiã ſuſpenſus non eſt, ſed tantùm ſecundùm ſolemnitatem accidentalem. *ibid. reſ.* 92.

71 Excommunicatus recitans Horas Canonicas priuatim, & dicens. *Dominus vobiſcum*, non fit irregularis, quia ſi peccat, venialiter tantùm peccat; ob culpam autem venialem non incurritur irregularitas. *ibid. reſ.* 94.

72 Epiſcopus non videtur irregularis effici ſi concedat licentiam Iudici laico exhumandi corpus occiſi ab Eccleſia, vt capiat cognitionem in genere de delicto. *ibidem reſol.* 95.

73 Valida eſt abſolutio irregularis, ſi pęnitens bona fide accedat, putans illum Sacerdotem poſſe abſoluere: ſi autem ſciret, illum non habere facultatem abſoluendi, & tamen abſolutionem peteret, peccaret grauiter. Inualida verò erit abſolutio, ſi irregularis ſit publicè denunciatus, niſi pęnitens accederet bona fide. *ibid. reſ.* 68.

74 Laicus bis contrahens, ſed cum altera, vel cum vtraque inualidè, aut inualidè contrahens cùm vidua, non videtur effici irregularis. Nec ducens fęminam a ſe defloratam. 4. *par tract.* 2 *reſol.* 38.

75 Clericus ſæcularis ſacris ordinibus initiatus, non incurrit irregularitatem Bigamiæ ſimilitudinariæ, ſi contrahat cũ Virgine, quia nullibi reperitur, & in *Cap. Quotquot.* 27. *q.* 1. Sermo tantùm eſt de Religioſis. *ibid. reſ.* 39.

76 Maritus cognoſcens vxorem vi ab altero cognitã,

non

Digitized by Google

non incurrit irregularitatem, bigamiæ, quia hæc incurritur ſolùm, dùm vxor adulterium commiſerit, ſed vim paſſa non poteſt dici adulterium commiſiſſe. *ibidem reſol.* 40. Si verò cognoſcat poſt adulterium, licèt non ſit notorium, vel ignoretur ab eo, incurrit irregularitatem. *ibid. reſol* 41.

77 Ad incurrendam irregularitatem bigamiæ requiritur in copula ſeminis virilis emiſſio intra vas fęmineum. Vnde in tali caſu, quis poſſet promoueri ad ſacros ordines, ſi res occulta fuerit, ſine aliqua diſpenſatione. *ibidem reſol.* 42. Et probabiliter ſuſtineri poteſt etiam fœminæ effuſionem requiri. *ibid. reſ.* 43.

78 Hæreticorũ fautores, receptatores, defenſores, &c. incurrunt irregularitatem ex communiori ſententia, ſi tamen foueant hæreticos formaliter, ſeu vt tales, ſecùs ſi ob amicitiam, parentelam, &c. Contrarium tamen etiam non eſt improbabile. *ibid. reſ.* 94.

79 Filius natus ex patre Catholico, qui poſteà in hæreſim incidit, & in ea mortuus eſt, vel etiam ſi pęnituerit, brachio ſæculari traditus eſt, incurrit irregularitatem ortam ex infamia. Sententia autem negatiua pro locis hæreſi valdè infectis. *ibid. reſ.* 45.

80 Hæreticus occultus eſt irregularis. *ibid. reſ.* 46. Suſpecti verò de hæreſi non item, niſi ſuſpicio oriatur ex eo, quòd faueant hæreticis, vel illos defendant, vel recipiant. *ibid. reſ.* 48. Sicut nec ſunt irregulares ſuſpecti de hæreſi, qui coguntur per Inquiſitores abiurare de vehementi; quia non damnantur tamquàm hęretici, nec imponitur eis aliqua pęnitentia ob hæreſim. *ibid. reſol.* 47.

81 Qui fictè negat fidem ab ea apoſtatando, ſiue ſponte, ſiue timore ductus, non eſt irregularis, præſertim ſi crimen ſit occultum: ſi autem eſſet notorium, incurreret irregularitatem ex infamia, non aliquam particularem.

ibi-

Digitized by Google

ibidem reſol.49.

82 Laicus celebrans Miſſam, vel Sacramentaliter abſoluens, non incurrit irregularitatem, quia Canones loquuntur tantùm de Clericis. *ibid. reſ.77.*

83 Religioſus nulliter profeſſus incurrit ſuſpēſionem, ſi ordines ſuſcipiat, & irregularitatem, ſi celebret. *ibidem reſol.82.*

84 Irregularitas orta ex bigamia propria, & interpretatiua numquam eſt diſpenſabilis ab Epiſcopo, neque à Prælatis Regularibus cum ſuis ſubditis, etiam ad ſacros Ordines ex communi DD. ſententia. *4.par.tr.2.reſ.61.& 63.* Sed neque ad minores, aut ſimplex beneficium. *reſ.62.* Poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare in Bigamia ſimilitudinaria cum eo, qui contraxit cum Virgine, ſecùs ſi cum vidua, vel ſi duplex inijt matrimonium. *ibid. verſ. Notandũ.* Id quod etiam poſſunt Prælati Regulares cum ſuis ſubditis. *ibid. reſol.63. verſ. Sed ego.*

85 Licèt illegitimus per profeſſionem legitimetur quoad ordines ſuſcipiendos, non tamen legitimatur quoad Prælaturas, vel intra Religionem, vel extra eam obtinendas. *ibid. reſ.65.* Itemque per profeſſionem Religionis tollitur irregularitas ex vſu Ordinis contracta, vt ſi illegitimus in ſæculo abſque diſpenſatione ad Ordines promotus fuiſſet. *ibid. verſ. Notandum.*

86 Eiecti à Religione qualibet non reincidunt in irregularitatem ex defectu natalium, ita vt poſſint exercere ordines receptos; & ad alios promoueri iuxta probabilem ſententiam. Excipe dimiſſos à Superioribus ex ſocietate Ieſu, hi enim poſt profeſſionem ſi ſint illegitimi non poſſunt ad ordines promoueri ſine diſpenſatione: Itemque eos, qui egreſſi ſunt è Religione poſt annullatam profeſſionem, quia neque hi legitimi ampliùs cenſendi ſunt. *ibid. reſ.66.*

87 In

Digitized by Google

87 In irregularitate prouenientе ex defectu lenitatis non videntur ex probabiliore DD. Sententia Epiſcopi diſpenſare poſſe: poſſunt quidem Prælati Regulares, & Cõmiſſarius Cruciatę ex Priuilegio. *ibid. reſol.69.* Itemque poſſunt Prælati Regulares diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate ex homicidio iuſto; non item Epiſcopi. *ibid. reſol.*70.

88 Poſſunt tàm Epiſcopi, quàm Prælati Regulares diſpenſare in irregularitate contracta ex mutilatione alicuius membri. *ibi. reſ.*71.

89 Diſpenſare ab irregularitate ex homicidio caſuali poſſunt Epiſcopi, quando homicidium eſt occultum. Prælati verò Regulares, etiam quando eſt publicum. *ibid. reſ. 72. verſ. Notandum.*

90 Poſſunt item Prælati Regulares auctoritate quaſi Epiſcopali gaudentes, diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate ex vitio corporis proueniente, dummodo vitium non ſit tàm fędum, aut turpe, vt ex eo ſcandalum rationabiliter oriri poſſit. Item cum ſubdito, qui caret pede, & ambulat pede ligneo, vel careat oculo dextro. Immò licet orbatio oculi ſiniſtri irregularitatem inducat, ſi oculus dexter tali polleat virtute, vt ſine deformi faciei conuerſione Canon legi poſſit; ad quam rem inſeruire poteſt Miſſalis accommodatio, puto in tali caſu non adeſſe irregularitatem. *ibid. reſ.73. verſ. Poſſunt.*

91 Licèt per Bullam Cęnæ adempta ſit Epiſcopis facultas abſoluendi ab hæreſi occulta; non tamen adempta eſt poteſtas diſpenſandi ſuper irregularitate ex ea contracta. 2. *par. tr.*15. *reſ.*24. Irregularitates autem diſpenſabiles, vel non diſpenſabiles per Bullam Cruciatæ, *vide in* 4. *par. tr.* 2. *reſ.* 80. *&* *reſ.*103.

92 Prælati Regulares non poſſunt diſpenſare in irregula-

gula-

gularitate, ſi delictum fuit deductum ad forum contentioſum, & iam finito iudicio punitum; quia in hac diſpenſatione non turbatur Tribunal Iudicis, quod vitare intendit, Conc. Trid. dicta exceptione: *ibid. reſ.* 97. Itemque poteſt in aliquo caſu cum irregulari ex homicidio occulto, vt miniſtret in Ordinibus ſuſceptis, vrgente ſcilicet magna neceſſitate ſcandali, vel alia, & difficili exiſtente recurſu ad Papam, vel propter inopiam, vel magnam diſtantiam. *ibid. reſ.* 100.

93 Inquiſitores poſſunt ſe ad inuicem ſuper irregularitatibus diſpenſare. *ibid. reſ.* 102.

Iudex.

1 IVdex ſecundùm quoſdam non peccat ſi quãdo plures litigantes æquali iure temporis gaudent, vnius cauſam ante alios expediat ex pacto oblati muneris; ſpectato enim iure naturali non facit alijs iniuriam. In gratiam verò Titij remuneratoris ſuſcipit nouam obligationem expediendi cauſam ipſius ante alios, quæ obligatio videtur pretio æſtimabilis: res tamen periculo non vacat. Notandum hìc obiter Iudicem ſecluſo ſcandalo, & periculo iniuſtitiæ, poſſe accipere, nec tenetur reſtituere id quod accepit a litigantibus, ſi datum ſit inſtar muneris liberalis, vt maiorem ſolito diligentiam in cauſa adhibeat. 3. *par. tract.* 5. *Miſcell. reſ.* 45. & *tr.* 6. *reſ.* 4.

2 Si circa litem aliquam ea eſt varietas ſententiarum, vt Iudici integrum ſit vtramlibet partem in iudicando ſequi, non peccat contra iuſtitiam ſi aliquid ab vna parte, accipiat vt hãc ſequatur potiùs quàm illam: neque in hoc caſu accipitur pretium pro æquitate ſententiæ. Imò probabile eſt Iudicem poſſe aliquid accipere pro ferenda ſententia iuxta opinionem probabilem, relicta probabiliori:

quia

quia non tenetur Iudex ſemper ſequi probabiliorem opinionem. Quæ omnia procedunt tantùm ſpectato iure naturæ, quando eſt quæſtio iuris non facti; Sed hæc iure poſitiuo prohibita ſunt. *ibid. reſ.* 55.

3 Aduocatus poteſt eſſe Iudex in cauſa, cuius fuit patronus, etiam altera parte inſcia, modò ſententiam ferat ſecundùm leges, nullo habito reſpectu ad affectionem carnalem. *ibid. reſ.* 56.

4 Non tantùm in cauſis capitalibus, ſed etiam in ciuilibus licet appellare a Iudice inferiori, etiamſi ſententiam tulerit iuxta opinionem probabiliorem: Iudex enim ſuperior, ad quem appellatur, poteſt iudicare ſecundùm opinionem probabilem, relicta probabiliori. *ibid. reſol.* 104.

5 In cauſis criminalibus Iudex opinionem probabilem in fauorem rei, relicta probabiliori in fauorem fiſci, & accuſatoris non ſolùm ſequi poteſt, ſed etiam debet: quia in criminalibus ad condemnandum reum debent probationes eſſe luce meridiana clariores, vt habetur in *lege, ſciant cuncti. Cod. de probat.* Sed quamdiù defenſio rei contra accuſatores manet probabilis, accuſationes contra reum licèt ſint probabiliores; non tamen ſunt meridiana luce clariores: ergo non eſt reus condemnandus, non ſolùm quando opinio in fauorem rei eſt probabilis circa factum, ſed etiam quando eſt probabilis circa ius. 2. *part. tract.* 13. *reſ.* 3. *& in Addit. in fin.* 3. *par. reſ.* 13.

6 Iudex exiſtente pari dubio iuris vtriuſque partis, ita vt ſit omninò pendulus, tenetur poſſidenti fauere, nec ipſum poteſt cogere, vt partem reſtituat, quia ius retinendi habet poſſidens in hoc dubio. In eodem autem dubio, ſi neuter poſſidet, Iudex tenetur inter vtrumque diuidere, quia æquum eſt vtriuſque ius. 4. *par. tract.* 3. *reſ.* 40.

7 Licitum eſt petere a meretrice Iudicis interceſſionē

in

in cauſa iuſta apud ipſum Iudicem, quia quod peto eſt actio indifferens. 5.*par.tr.7.reſ.*20.

Iuramentum.

1 IVrare vtendo amphibologijs abſque neceſſitate, non eſt peccatum mortale, neque periurium, modò id iuramentum non fiat in iudicio dùm iudex iuridicè interrogat, vel non cedat in damnum tertij: quia huic iuramento deeſt ſola diſcretio, ſeu iudicium; nam diuinum teſtimonium non debet abſque neceſſitate his amphibologijs, & æquiuocationibus miſceri. 2. *par. tr.* 1. *Miſcell.reſ.* 25. Quare Sacerdos interrogatus de culpa in confeſſione audita, verè iurare poteſt ſe neſcire, ſub intelligendo quòd neſciat tamquàm homini ſubiectus; & ſe nihil tale in confeſſione audiſſe. 3. *par. tr.*6. *Miſcell.reſ.* 30. & 5. *par.tr.* 11.*reſ.*43.

2 Iuramentum de ſeruandis ſtatutis Reip. Ciuitatis, &c. non extenditur ad ſtatuta, quæ in deſuetudinem abierunt; cùm enim per contrariam conſuetudinem ſint abrogata, illa non obſeruantes periuri non ſunt. *ibidem reſol.*39.

3 Blaſphemiæ, & iuramenta falſa, orta ex praua conſuetudine, & per inaduertentiam prolata non ſunt peccata mortalia; neque ita iurantibus eſt abſolutio deneganda; ſed admonendi ſunt vt ſe accuſent de negligentia in hac conſuetudine extirpanda. Vt verò imprecationes ſint mortales, debent eſſe ex animo, deliberatæ, & de graui malo. Si aliquid iſtorum deſit, erunt veniales tantùm. *ibid.tr.*5.*Miſcell.reſ.*62.

4 Si quis iurauerit dare meretrici pro actu fornicario centum aureos, quamuis præſtiterit iuramentum, non tenetur illos ſoluere, quia pretium eſt exceſſiuum; vnde ſol-

uere

uere tenetur tantam pecuniam, quantam huiuſmodi meretricibus dare conſueuerunt viri eius conditionis æquales. *par.4.tr.4.Miſcell.reſ.27.*

5 Iuramentum metu, aut dolo adiectum contractibus inualidis, & de iure reprobatis, vt v.g. in alienatione fundi dotalis, in renunciatione ſucceſſionis, in contractibus minorum abſque ſolemnitate celebratis, &c. eſt validum, quia talia iuramenta, nec iure naturali, nec humano ſunt irrita; ergo obligant. Contraria tamen opinio eſt probabilis. *ibid. reſ.28.*

6 Iuramentum circa rem parui momenti, ſi non obſeruetur, non eſt peccatum niſi tantùm veniale. Et ratio eſt clara, quia ſi violatio voti circa materiam leuem non eſt niſi peccatum veniale, ergo etiam violatio iuramenti promiſſorij circa ſimilem materiam. *ibid. reſ.70.*

7 Iuramentum promiſſorium de faciendo peccato veniali, eſt tantùm peccatum veniale, quia paruitas materiæ excuſat. *ibid. reſ. 160.*

8 Poteſt quis petere iuramentum ab aliquo, licèt timeat illum falsò iuraturum; dummodo non petatur vt ille iuret falſum, & adſit iuſta cauſa petendi iuramenti, vt neceſſitas aliqua, vel vtilitas, ad quam habet ius. 5. *par. tract. 7. reſol. 9.*

9 Non licet perſuadere alicui, vt iuret obiectum quidem verum, ſed quod ille ignorat; niſi iuraturus ſibi perſuadeat priùs rem ita eſſe probabili fundamento, ex quo poſſit formari dictamen practicum de honeſtate iuramenti: quia iurare ſine eo dictamine eſt peccatum mortale, ergo & inducere ad tale iuramentum. Si tamen priùs perſuadeamus homini veritatem, ita vt ille efformet dictamen practicum de honeſtate iuramenti, licitum erit petere, quia petimus rem licitam. *ibid. reſ. 10.*

Digitized by Google

10 Si quis inducat aliquem ad iurandum de re, quam ipſe ex ignorantia veram eſſe putat, licèt reuera falſa ſit, non peccat, quia hoc non eſt ſcandalum actiuum, nec paſſiuum, nec formaliter, nec materialiter. *ibid. reſ.* 14.

LEGES.

1 Leges humanæ ciuiles vt obligent, requiritur acceptatio populi; alioquin eſſent nimis oneroſæ. Leges autem Pontificiæ ab eiuſmodi acceptatione non pendent; quia Pontif. iuriſdictionem accipit immediatè a Deo: ſi tamen per non vſum aliqua eſt abrogata, non obligat ampliùs. 1. *par. tr.* 10. *reſ.* 1. & 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 8.

2 Quando lex eſt à Pontifice legitimè promulgata, peccant ſubditi ſi ſine cauſa nolint illam acceptare: licèt alij contrarium doceant, ſicut & de lege ciuili probabilius id negant. *ibid. reſ.* 2.

3 Quando dubitatur an lex ſit vſu recepta, necne, poteſt quis ſententiæ negatiuæ adhærere. *ibi. reſ.* 3.

4 Vt lex non obliget, ſatis eſt eam non obſeruari, etiãſi Princeps hoc neſciat: quia leges humanæ feruntur cum hac tacita conditione, ſi populus recipiat. *ibid. reſ.* 4.

5 Si Epiſcopi & Principes, qui tunc viuunt cùm lex Pontificis primùm promulgatur, eam non recipiunt, ſucceſſores eorum excuſantur. *ibid. reſ.* 5.

6 Licet ſupplicationem pro reuocanda aliqua lege porrigere, & interim ſuſpendere eius obligationem, & illam non ſeruare, donec legiſlator mentem ſuam aperuerit. *ibid. reſ.* 6.

7 Vt lex per non vſum abrogetur, non requiritur certum tempus, ſed ſolùm repugnantia per actus contrarios: nullum enim ius præſcribit certum tempus, v.g. 10. anno-

rum

rum . Sciente Principe & non puniente, vel eius Auditoribus & Epiſcopis, aliqui ſentiũt ſufficere duos vel tres actus contra legem. *ibid. reſol. 7. & 5. par. tract. 14. reſ. 62.*

8 Vt Pontificiæ leges obligent, non eſt neceſſe illas promulgari in ſingulis diœceſibus, & prouincijs, ſufficit ſi Romæ promulgentur. *ibid. reſ. 8.* Non tamen cenſentur obligare, niſi poſt duos menſes à promulgatione. *ibid. reſ. 9.*

9 Legislator, qui non habet Superiorem, tenetur quidem legibus, quæ omnes obligant, vt legibus taxantibus pretia mercium; non tamen vi coercitiua, ſed directiua, vt ſit conformitas inter caput, & membra; ſed non peccat mortaliter ſi eas non ſeruet, niſi iurauerit ſe illas ſeruaturum. *ibid. reſ. 10.*

10 Regulares non tenentur obſeruare leges ſynodales Epiſcoporum, niſi ex decentia, & ad vitandum ſcandalũ: Sunt tamen multi caſus, in quibus Religioſi etiam exempti tenentur legibus & ſententijs Epiſcoporum, quia ſunt in iure expreſſi. *ibid. reſ. 11.*

11 Aduenæ, & peregrini non obligantur ad ieiunia, obſeruationem feſtorum, & conſuetudinum locorum, in quibus verſantur, niſi habeant intentionem manendi ibi pro maiori anni parte; aut niſi tranſgreſſio legum cedat in damnum illius loci, vt ſi lex prohibeat frumenta ex illo loco exportari: hanc enim legem peregrini tenentur obſeruare. Tenentur etiam aduenæ ſi contrahunt ibi ſeruare ſolemnitates contractuum iuxta conſuetudinem loci. *ibid. reſ. 13. & 15.* At vagi, qui nullibi certam habent ſedem, tenentur obſeruare leges locorum, in quibus reperiuntur; alioquin viderentur exempti ab omnibus ſtatutis, & legibus, quod eſt abſurdum. *ibid. reſ. 16.*

12 Lex pœnalis in materia graui, v. g. quæ aliquid vetat ſub pœna capitis, confiſcationis bonorum, damnatio-

Digitized by Google

nis ad triremes, &c. obligat ſub peccato mortali. Quia pęna ſupponit culpam. *ibid. reſ.* 17. 18. *&* 20.

13 Fraudantes vectigalia iuſta in materia notabili quę ſufficiat ad peccatum mortale, peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem; quia tamen ſententia negatiua eſt etiam probabilis, ſi nolint reſtituere, non ſunt a Confeſſarijs vrgendi, ſed abſolui poſſunt. *ibid. reſ.* 19.

14 Lex pœnalis Eccleſiaſtica, puta excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. obligat ſub mortali, ex communi DD. ſententia. *ibidem reſol.* 21.

15 Decretum Cardinalium contra Religioſos accedentes ad loquendum cum monialibus, vbi eſt in vſu, obligat ad peccatum mortale. *ibid. reſ.* 22.

16 Lex pœnalis non obligat ad pęnam ſubeundam ante iudicis ſententiam, niſi clarè appareat talem eſſe mentem legiſlatoris. Neque tenetur ad reſtitutionem is, qui eſt in cauſa, ne quis perſoluat pœnam a lege impoſitam. Secùs tamen ſentiendum eſt de pœnis in teſtamento appoſitis; & ſic fœmina, cui relictum eſt legatum ſi caſtè viuat, non poteſt legatum recipere, ſi turpem vitam degat. *ibid. reſ.* 23.

17 Qui per legem pœnalem priuatur ipſo facto voce actiua, & paſſiua, non tenetur ſubire pœnam, ſi nequit hoc facere ſine infamia. Quia ius ad propriam famam conſeruandam præponderat iuri humano. Tenetur tamen in tali caſu delinquens diligenter inquirere diſpenſationem. *ibid. reſ.* 24.

18 In dubio, an lex obliget ad mortale, an ad veniale, poteſt quis ſequi mitiorem partem. Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem. *ibid. reſ.* 25.

19 Lex pœnalis ex identitate rationis non eſt extendenda ad alios caſus; etiam ſi in his concurrat maior ratio

Digitized by Google

tio vel malitia ipſius actus. *ibid. reſ.* 16.

20 Lex fundata in præſumptione non obligat in conſcientia ſi contingat præſumptionem in aliquo caſu falſam eſſe. Hæc ſententia eſt tuta etiam in foro interno. Quare hæres, qui non confecit inuentarium, non tenetur in foro conſcientiæ ſoluere legata vel debita defuncti, ſi excedant vires hæreditatis. *ibid. reſ.* 27.

21 Quando ceſſat finis adæquatus legis in aliquo caſu particulari, ceſſat etiam obligatio legis. Quia valet argumentum de toto ad partem: ſed quando ratio legis ceſſat in totum, ceſſat etiam lex in totum; ergo quando ratio legis ceſſat in partem, ceſſabit etiam obligatio legis in partem. *ibid. reſ.* 28. & 5. *part. tract.* 14. *reſ.* 96.

22 Declarationes Cardinalium maximi quidem ſunt ponderis, & ab ijs nulla ratione recedendum ſine firmiſſimo fundamento; attamen vim legis non obtinent: quia lex non obligat niſi promulgetur; ſed dictæ declarationes non promulgantur: ergo. *ibid. reſ.* 29.

23 In dubio an conſuetudo fuerit inducta ex deuotione, an ex intentione obligandi, præſumendum eſt nō fuiſſe inductam tamquàm obligatoriam. *ibid. reſ.* 30.

24 Poteſt Prælatus diſpenſare, quando dubitat an cauſa diſpenſationis ſit iuſta; quia in dubio inclinandum eſt in benigniorem partem. *ibid. reſol.* 31. & 4. *part. tract.* 3. *reſol.* 44.

25 Superior diſpenſans in propria lege, vel inferioris, ſine iuſta cauſa, non peccat mortaliter, ſed venialiter tantùm, ſecluſo ſcandalo, & graui alterius damno. Idem eſto iudicium de petente diſpenſationem: neque in vſu diſpenſationis obtentæ vllo modo peccat, quia eſt valida hæc diſpenſatio. *ibid. reſol.* 32.

26 Si Prælatus inferior bona fide diſpenſet, putans

Digitized by Google

cauſam eſſe iuſtam, valida eſt diſpenſatio, etiamſi poſteà conſtet cauſam non fuiſſe ſufficientem. *ibid.reſ.33*. Item ſi Prælatus inferior bona fide diſpenſet in lege Superioris, non præcognita cauſa, quæ reuera eſt ſufficiens, & legitima, valebit diſpenſatio in foro conſcientiæ, donec reuocetur: & vtens tali diſpenſatione ne quidem venialiter peccat. *ibid.reſ.34*.

27 Quando erratur in nomine perſonæ petentis diſpenſationem, vel etiam Diœceſis, vt ſi petens diſpenſationem dicatur eſſe diœceſis Lugdunenſis, cùm tamen ſit Grationopolitanæ valida eſt diſpenſatio. *ibid.reſ.36*.

28 Poteſt Epiſcopus inconſulto Summo Pontifice diſpenſare cum pauperibus, qui non poſſunt ſuis ſumptibus Pontificem adire: quia non tenetur Epiſcopus in impetrandis eiuſmodi diſpenſationibus redditus ſuos conſumere. *ibid.reſ.37*.

29 Si quis voluntariè occidit Sacerdotem, & in petenda diſpenſatione ab irregularitate, ſolùm dicit ſe occidiſſe hominem, valida eſt diſpenſatio. *ibid.reſ.38*.

30 Non poteſt peti diſpenſatio ſuper aliquo impedimento matrimonij, ſuppreſſo alio, poſteà diſpenſando: hoc enim eſt contra praxim, & vſum Romanæ Curiæ. *ibid.reſ.39*.

31 Si quis obtinuit diſpenſationem ad contrahendum cum conſanguinea, aut affine, ſed ea minimè eſt vſus; poſteà petens aliam diſpenſationem cum alia conſanguinea, non tenetur in ſecunda diſpenſatione mentionem facere prioris. Neque inde ſequitur duas illas diſpenſationes eſſe ſimul validas, nam per impetrationem poſterioris impetrans renuntiat priori. *ibid.reſol.40*.

32 Ceſſante cauſa diſpenſationis, non ceſſat diſpenſatio: quia per diſpenſationem extincta eſt obligatio legis: ergo

Digitized by Google

ergo ceſſante cauſa non poteſt reuiuiſcere. Ita qui diſpenſatus eſt ad eſum carnium in Quadrageſ. propter infirmitatem, non peccat, ſi ea ceſſante, carnibus veſcatur. *ibidem reſol* 41.

33 Illa diſpenſatio eſt ſubreptitia, in qua tacetur aliquid quod ſecundùm ſtylum Curiæ eſt neceſſariò declarandum. *ibid. reſ.* 42.

34 Regulæ Cancellariæ non obligant in foro interiori: quare donatio inter viuos facta per Epiſcopum intra viginti dies ante obitum, valet in foro conſcientiæ, licèt per regulam Cancellariæ, in foro externo ſit nulla. *ibid. reſ.* 43.

35 Diſpenſatio inter conſanguineos non eſt ſubreptitia, etiamſi non fiat mentio de copula habita inter eos: quia ſi copula illa fuiſſet expreſſa, faciliorem reddidiſſet diſpenſationem. Quod verum eſt, etiam ſi in reſcripto dicatur (*ſi copula non fuerit*) dummodo ea copula non probetur in foro externo, quia illa clauſula intelligenda eſt iuxta naturam illius diſpenſationis. *ibid. reſ.* 44. & 4. *part. tr.* 4. *reſ.* 135.

36 Si Pontifex promulget aliquam legem Romæ, & exprimat, & indicet ſe velle eam obtinere effectum, & obligare vbique, etſi alibi alia publicatio non acceſſerit, tenentur tunc Ordinarij curare, vt in ſuis locis lex obſeruetur, vel publicetur, & quamuis id non curent, tamen ſubditi tenebuntur, ſaltem quando ad notitiam plurimorum illius Prouinciæ quomodolibet peruenerit: ſecùs ſi nullum ſit ſignum voluntatis Pontificis, vt lex illa promulgetur. 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 127.

37 Lex verbo imperatiuo condita, regulariter loquendo, obligat ſub mortali in materia graui, niſi aliud ex coniecturis appareat. Vnde verba imperatiua poſita in reliquo Canone, Bulla, ſeu Decreto Pontificio, dicenda ſunt

obligare ad mortale. *ibid.reſ.* 191.

38 In Bullis Pontificijs, & Decretis Sacræ Congregationis ſub nomine priuationis officiorum, graduum, dignitatum, &c. non comprehenduntur Concionatores, Lectores, Confeſſores, &c. quia hi non ſunt gradus honorifici, ſeu officia, quibus annexum eſt ius ſuperioritatis. *ibid. reſol.* 224.

39 Poteſt Superior ratione circumſtãtiarum ſub peccato mortali præcipere materiam leuem. Communiter tamen ſolus Deus in materia leui poteſt ad mortale obligare. 5. *part. tract.* 5. *reſ.* 47. Præceptum nihilominus impoſitum ſub mortali in materia leui, obligat ſub veniali. *ibid. reſ.* 48.

40 A lege prohibente ne extrahatur aurum, argentum, vel quid ſimile à regno, paruitas materiæ excuſat. *ibid. reſ.* 49.

41 Si in iure, vel aliqua Bulla inferatur pœna priuationis vocis, eſt intelligenda de ſola actiua, non autem de paſſiua; niſi id expreſsè caueatur. *ibid. tr.* 13. *reſ.* 91.

42 An omnia viuæ vocis oracula, annullentur per Conſtitutiones Gregor. XV. & Vrb. VIII. die 20. Decembris 1631. non poteſt ita certò ſtatui, ſed attendendus eſt ſtylus Romanæ Curiæ. *ibid. tr.* 14. *reſ.* 17.

43 Superiores Regulares, & alij excuſantur à pœnis impoſitis in aliquibus Bullis Pontificijs ratione ignorantiæ, & bonæ fidei, etiam in foro externo. *ibid. reſ.* 24.

44 Ius ciuile in nullo Regno obligat in caſibus, in quibus aliquid non ſit definitum in legibus illorum Regnorum. Non enim obtinet vim legis obligatoriæ per totum orbem. *ibid. reſol.* 68. & 69.

45 Bulla Vrbani VIII. edita contra monetarios die 28. Ianuarij 1618. non extenditur ad commorantes in

Digitized by Google

in Regno Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ. *ibid. reſol.* 88.

46 Donatio facta concubinæ Iudicis, vt intercedat apud illum, licita eſt, ſi negotium graue ſit, neque alia via appareat, qua poſſis illum tibi propitium reddere; quia non petis aliquid, quòd ipſa licitè præſtare non poſſit. *ibid. tract.* 4. *reſ.* 138.

47 Surdus, & mutus non poſſunt aliquid donare, neque inter viuos, neque mortis cauſa. 5. *par. tract.* 6. *reſ.* 12. Cæcus autem poteſt cum certis conditionibus donare cauſa mortis, ſi nimirùm ſit præſens donatarius, vel alius, qui pro eo ſtipuletur. *ibidem reſol.* 25.

48 In emptionibus, & venditionibus tunc præſumitur donatio circa exceſſum, vel defectum iuſti pretij, cùm aliquis ſcit valorem rei, & tamen eo modo emit, vel vendit, nec neceſſitate compulſus contrahit, nec metus, vis, vel fraus interuenit. *ibidem tr.* 14. *reſol.* 39.

Ludus.

1 QVi domum ſuam exponit omnibus ad ludendum alea, peccat mortaliter: nam talis ludus deſtinatur vt plurimum ad malum vſum: ibi enim vel blaſphematur, vel rixæ excitantur, vel dilapidantur bona, vel furta committuntur, vel fiunt periuria, &c. Denique talis ludus rariſſimè abſque peccato mortali exercetur; quare ex lege naturali oritur obligatio non miniſtrandi ludentibus materiam peccati. Vnde infertur exponentes domum eiuſmodi ludo non tantùm peccare mortaliter, ſed etiam ſi luſores teneantur ad reſtitutionem, & non reſtituant, ipſos teneri ſatisfacere. 2. *par. tract.* 15. & 1. *Miſcell. reſ.* 65.

2 Non tenetur quis ſoluere pecunias, quas ludo prohibito perdidit: cùm leges concedant ius repetendi pecunias in ludo prohibito amiſſas. Secùs eſt ſi alicubi id ius

non

non concederetur, vel ludentes ceſſerint iuri ſuo. Licèt quidam hoc inualidè factum putent. *ibid. tract.* 17. *&* 3. *Miſcell. reſ.* 8.

3 Prohibitus ludere ex voto, &c. ſi ludat v. g. per totam noctem continuatè cum pluribus, vnum tantùm peccatum mortale committit, quia licèt illi actus numero ſint diſtincti, in genere tamen moris pro vno actu habentur. *par.* 4. *tract.* 4. *Miſcell. reſ.* 45.

4 Qui vicit ludentem cum falſis chartis, vel taxillis, nō tenetur ad reſtitutionē; quia in iſto caſu inæqualitas procedit ex culpa alterius ludentis. Notandum verò quòd ob ſolam importunitatem, qua impellitur ad ludum, non debet fieri reſtitutio, neque ſi alter nolit, colluſor dicat, ſe non ſoluturum, niſi ludum ſuſtineat, vel dicat quòd tenetur ſuſtinere ludum, & alter ex verecundia perſeuerat, &c. *ibid. reſ.* 169.

5 Clerici in Sacris, ludendo ludis prohibitis aleæ, & taxillorum, Communis, & probabilior ſententia affirmat quòd peccant, quando ſæpe his ludis ludunt, ſecùs autem ſi citra ſcandalum ſemel, vel iterum his ludant, quia in Sacris Canonibus ſub grauibus pęnis prohibetur Clericis conſuetudo ludendi, quod procedit, etiam ſi luderent recreationis cauſa. Verùm ſi Religioſi ludis prohibitis luderent, incurrerent pœnas Canonum, quia hi ludi ſunt valdè indecentes ſtatui Religioſorum. Notandum eſt etiam non eſſe peccatum mortale, ſi Clerici, vel Religioſi inſpiciant notabili tempore ludos fortunę mortaliter peccaminoſos, niſi ludi cauſa ſint, vel omittant corrigere, quando tenentur, quia materia non videtur tàm grauis. Si tamen in tali inſpectione adeſſet ſcandalum, putant aliqui eſſe peccatum mortale. *ibid. reſ.* 183.

Luxu-

Digitized by Google

Luxuria.

1 SI in cogitationibus Venereis voluntas nec conſentiat, nec diſſentiat poſitiuè, ſed tantùm permiſſiuè ſe habeat, non impediendo, nec reprimendo motus luxuriæ, quos poteſt reprimere, ab his animum auocando, probabiliter non eſt peccatum mortale: debet enim eſſe complacentia poſitiua in motibus ſenſualitatis, vt imputentur ad peccatum mortale, neque tenetur voluntas illã cogitationem repellere, niſi ſit periculum formalis, & expreſſi conſenſus. Quia præceptum negatiuum, *Non concupiſces*, obligat tantùm ad non conſentiendum, non autem ad motus concupiſcentiæ comprimendos. Contrarium tamen eſt probabilius. 2. *par. tract.* 17. & 3. *Miſcell. reſ.* 33.

2 Ad ſemen corruptum expellendum, vel ad pruritum ſedandum, fas eſt confricare verenda, licèt præter intentionem ſequatur ſeminis emiſſio. (Contrarium tenet Auctor. *par.* 3. *tr.* 5. *Miſcell. reſ.* 85. Item poteſt chirurgus curationis cauſa attrectare pudenda infirmi cum periculo pollutionis. 2 *par. tr.* 16. & 2. *Miſcell. reſ.* 54.

3 In delectatione moroſa nihil eſt opus fateri circumſtantias, ſi illa delectatio conſiſtat in ſimplici complacentia ſine vllo affectu ad opus externum: nam circumſtantiæ non mutant ſpeciem, v.g. delectatio ſimplicis complacentiæ, quæ fertur in fœminam coniugatam, non habet malitiam diſtinctam ab ea, quæ fertur in virginem: vtraque enim opponitur virtuti caſtitatis per turpitudinem veneream: quippe delectatio de coniugata non verſatur circa illud obiectum, quatenus eſt iniurioſum alteri, ac proinde non participat malitiam adulterij; ſed tantùm quatenus eſt delectabile ſecundùm tactum, quia ſcilicet mulier eſt pulchra: neque expreſsè, neque interpretatiuè approba-

tur

tur iniuria in maritum, quia nullus eſt conſenſus in opus externum. Idem videtur dicendum ſi delectatio illa ſimplicis complacentiæ feratur in perſonam affinem, vel religioſam; præſcinditur enim ab hac circumſtantia, nec ea quidquam confert ad illam delectationem. Excipe ab hac doctrina conjugatos, qui contra caſtitatem & fidem matrimonialem, & votum abſolutum caſtitatis habentes, qui contra Religionem peccant. *ibid. tract.* 17. & 3. *Miſcell. reſ.* 34.

4 Non eſt peccatum mortale intereſſe Comœdijs, ſi audiantur, aut ſpectentur ob ſolam vanam curioſitatem, abſque periculo probabili lapſus, etiamſi res turpes turpi modò exhibeantur: tamen eſt periculoſæ plenum opus aleæ. *ibid. reſ.* 35.

5 Confricare genitalia brutorum ſine delectatione, ex curioſitate inſpiciendi ſemen, non eſt peccatum mortale; quia non eſt mortale impedire generationem bruti. *ibid. reſol.* 37.

6 In rebus venereis non datur paruitas materiæ: cùm enim nulla ſit tàm exigua fornicatio, quin ſit peccatum mortale, & delectatio ſequatur naturam actus; omnis delectatio moroſa in hac materia eſt peccatum mortale. 3. *part. tract.* 5. *Miſcell. reſ.* 1. & 5. *par. tract.* 5. *reſ.* 5.

7 Si vidua, vel ſponſa de futuro carnaliter delectetur de copula præterita vel futura, vtraque peccat mortaliter. Quia ſicut actus venereus externus vtrique eſt illicitus, ita eſt illicita delectatio circa illum actum. *ibid. reſ.* 2.

8 Chirurgus expertus ſe in pollutionem conſentire, dùm medetur pudendis fœminarum, non poteſt ſe tali periculo obijcere. Idem dicendum de Parocho fœminarum confeſſiones audiente: quia nulli licet exponere ſe formali periculo peccandi etiam ob bonum ſpirituale proximi.

ibi-

Digitized by Google

ibidem reſol. 3.

9 Omiſſio orationis in graui tentatione carnis, vbi eſt periculum conſenſus, non eſt ſpeciale peccatum, & diſtinctum ab eo peccato, ad quod vitandum requirebatur oratio. *ibid. reſ.* 16.

10 Non tenetur quis pollutionem in ſomno inchoatam, euigilans reprimere; quia cœpit inuoluntariè, & ſine peccato: continuatio verò illius eſt effectus naturalis illius cauſæ inculpabilis. Imò gaudere de illa pollutione non ob delectationem, ſed ob ſanitatem, & illam optare, non eſt peccatum ne veniale quidem. *ibid. reſ.* 21.

11 Accubans hoc vel illo modo, & ſentiens ſe ex tali ſitu in pollutionem cadere, ſi abſit periculum conſenſus, non tenetur mutare ſitum, aut aliter decumbere. Item ſi qua mulier in choreis ſciat ſe tangi ab aliquo intentione mala, modò tactus ex ſuo genere ſit licitus, vt conſertio manuum in choreis, vel oſcula vrbanitatis, non peccat eiuſmodi tactus admittendo coram alijs. *ibid. reſ.* 22.

12 Tangere immediatè viri vel fęminę verenda, vel alias partes corporis ſecretiores, eſt peccatum mortale; quia id valdè prouocat ad luxuriam. Item aſpicere perſonam alterius ſexus nudam, niſi valdè leuiter, & quaſi per tranſennam id fieret, vel attenta ætate, & complexione quis prudenter ſibi perſuaderet nullum eſſe periculum magnæ commotionis, etiamſi ex propoſito inſpiceret. Sed tu hæc fuge. *ibid. reſ.* 88. 89. & 5. *par. tr.* 5. *reſ.* 5.

13 Fœmina vi compreſſa a viro non peccat mortaliter, ſi habeat firmam voluntatem non conſentiendi, etſi impediat quantum in ſe eſt ne ſibi vis inferatur, clamore, & niſu corporis; alioquin cenſetur conſentire: tamen ſi obniti non poteſt, vel clamare, ad vitandam mortem vel graue incommodum infamiæ vel in bonis, poteſt (etiam

ſecun-

ſecundùm quoſdam cum periculo conſentiendi) pati externam corruptionem non conſentiendo, ſed merè paſſiuè ſe habendo. *ibid. tr. 6. Miſcell. reſ. 31. & in Addit. in fi. 3. par. reſ. 27.*

14 Licet ex iuſta cauſa locare domum meretrici, vel alicui petenti ad fornicandum: quia locare domum eſt res per ſe indifferens, quæ ex ſola praua abutentis intentione ad malum ordinatur. *3. par. tract. 6. Miſcell. reſ 45.*

15 Scribentes & deferentes litteras ad mulierem, quibus ad peccatum inuitatur, peccāt mortaliter. *ibid. reſ. 46.*

16 Quantumcumque aliquis clauſtra pudoris frāgat, niſi commixtio ſeminum ſequatur, ita vt etiam fœmina ſeminarit, non contrahitur affinitas, nec cenſetur conſummatum matrimonium: quæ ſententia eſt tuta in praxi, ſicut & probabile eſt per copulam fornicariam nō contrahi affinitatem iure naturali, nullum quippe eſt nomen quo nominari poſſint ſic affines ex fornicatione: quare ſi Chriſtianus habuit copulam cum muliere infideli, poterit deinde ſibi matrimonio iungere illius ſororem factam chriſtianam; illa enim affinitas tantùm contrahitur inter fideles. *In Addit. in fi. 3. par. reſ. 21. & 4. par. tr. 2. reſ. 43.*

17 Oſcula, quæ fiunt ex delectatione ſenſibili ex illis conſurgente etiam abſque alia ſiniſtra intentione, & admixtione alterius delectationis de aliquo actu luxurioſo, ſunt peccata mortalia, & omninò vitanda; quia in rebus venereis non datur paruitas materiæ. *4. par. tr. 4. reſ. 136.*

MAGISTRATVS.

QVi conuocantur ad electionem Magiſtratuum, & Officialium alicuius Reipubl. aut Ciuitatis, debent ante omnia præſtare iuramentum de bona electione facienda,

cienda, quod iuramentum obligat ſub peccato mortali: cùm ſit res magni momenti in vtilitatem, aut damnum Reipubl Qui autem eligunt indignos, non ſolùm peccant mortaliter, ſed tenentur ad damna ex illa electione ſecuta reſarcienda. Cùm verò plures ſunt electi, & eorum nomina ſcripta in chartulis conijciuntur in pileum, ſeu in vrnam, vt ex illis pluribus vnus aſſumatur ad hanc aut illam dignitatem, ſi Prætor vel aliquis ex Senatoribus vnum pro alio legat, aut vnam chartulam alijs paulò grandiorem faciat, vt illam poſſit ab alijs dignoſcere, peccat mortaliter propter iniuriam, quam fraudulenter infert alijs, qui habent ius æquale ad illam dignitatem: nam eiuſmodi dignitates non ſolùm ordinantur ad Reipubl. vtilitatem, ſed etiam ad ciuium honorem & commodum. 2.*part. tr.* 15. & 1. *Miſcell. reſ.* 67.

Metus mortis.

1 IN obſidione Ciuitatis, quando alius cibus non ſuppetit, metu mortis licet carnibus humanis veſci, ſecluſo homicidio: quia quod non eſt intrinſecè malum, poteſt fieri licitum ob vitæ conſeruationem. 3. *part. tract.* 6. *Miſcell. reſ.* 48.

2 Metu mortis licet celebrare Miſſam ſine altari, calice conſecrato, aut veſtibus ſacris; modò id non fiat in cõtemptum vel odium Religionis. Item metu mortis licet contrahere matrimonium cum impedimento dirimente; tamen ſine intentione conſummandi. Item metu mortis licet Sacerdoti porrigere Euchariſtiam peccatori occulto. Item conficere Sacramenta in materia dubia: cùm enim hæc non ſint intrinſecè mala, ob grauem metum a peccato excuſantur. *ibid.*

NVPTIAE.

1 SAbbato integro ante primam Dominicam Aduentus nuptiarum ſolemnitas non eſt prohibita; ſed prohibitio incipit à media nocte, quia à media nocte incipit prima Dominica Aduentus; vt fer. 4. Ciner. incipit etiam à media nocte. *3. par. tract. 4. reſ.* 202.

2 Vt mulier tranſire poſſit ad ſecundas nuptias, non ſufficit præſumptio veriſimilis de morte viri: ſi tamen perſuaſio eſſet valdè probabilis, & iuſtiſſima credendi cauſa, non peccaret ſi bona fide ad ſecundas nuptias tranſiret. Quia in moralibus ad inſtituendas actiones ſufficere debet probabiliſſima, licèt non omnino certa opinio. *ibid. reſol.* 214.

3 Si coniuges ante benedictionem matrimonium conſummet, ne venialiter quidem peccant; ſi verò ante denuntiationes factas contrahant, peccant mortaliter, vti & Parochus tali matrimonio aſſiſtens: non tamen eſt irritum matrimonium, ſi cętera requiſita obſeruentur. At ſi denuntiationes ante nuptias factæ non fuerunt, faciendæ ſunt ante conſummationem matrimonij, niſi Epiſcopo videantur omninò prætermittendæ. *ibid. reſ.* 240.

4 Cęremoniæ in ſecundis nuptijs adhiberi ſolitæ non poſſunt temporibus ab Eccleſia prohibitis fieri; quia pertinent ad ſolemnitatem nuptialem, licèt non adhibeatur benedictio nuptialis, quæ ſine mortali omitti poteſt. *ibid. reſ.* 265.

5 Non videtur peccatum mortale tempore Aduentus & Quadrageſimæ traducere ſponſam ſolemniter in domum ſponſi, & celebrare conuiuia; ſic enim conſuetudine receptum eſt, conniuentibus Prælatis. *ibid. reſol.* 266.

Offi-

Digitized by Google

OFFICIVM.

1 OFficia ſæcularia ex natura rei vendi poſſunt, cum his tamen circumſtantijs. 1. vt vendantur ſaltem dignis. 2. vt pretio moderato. 3. vt id fiat ob Reipubl. neceſſitatem, vel vtilitatem. *3. part. tract. 5. Miſcell. reſ.* 108.

2 Qui habet licentiam à Rege transferendi Officium in alium, poteſt cum expreſſa vel tacita eiuſdem Regis licentia illud vendere. Qui tamen ſine Principis licentia venderet officium, non teneretur ad reſtitutionem pretij, modò habuerit licentiam illud transferendi. *ibid. reſ.* 109.

Opinio probabilis.

1 LIcet relicta opinione probabiliori, & tutiori, ſequi probabilem, & minùs tutam: quia prudenter agit qui ex opinione probabili operatur. *2. par. tract.* 13. *reſ.* 1. Quare miniſtrantes Sacramenta ſequentes opinionem probabilem, & minùs tutam, non peccant contra reuerentiam quæ debetur Sacramento, ſed aliquando contra charitatem. Nam ratione charitatis, quando diuerſæ ſunt ſententiæ circa valorem Sacramenti, tenetur Sacerdos ſequi tutiorem ob periculum grauiſſimi detrimenti inde ſecuturi. *ibid. reſ.* 2.

2 Iudex in ſententijs ferendis poteſt ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, etiam contra propriam opinionem, dummodò probabilitas ſit circa ius, non verò circa factum; nam circa factum tenetur ſequi probabiliorem. Hinc infertur in ſequentibus caſibus poſſe Iudicem alterutrum ſententiam ſequi. 1. An vnicus teſtis in criminalibus faciat ſemiplenam probationem. 2. An in ſemiprobatione poſſit Iudex in cauſa capitis obligare reum ad

Digitized by Google

dicéndam veritatem. 3. An Iudex poſſit incarcerare delinquentem, in alieno territorio inuentum. 4. An fructus induſtriales bona fide conſumptos, poſſeſſor bonæ fidei teneatur reſtituere. 5. An filij reorum maieſtatis diuinæ, vel humanæ, geniti ante parentum crimen, afficiendi ſint pœnis iure ſtatutis in eorum filios. 6. An infantes expoſiti ad Eccleſiæ lapidem cenſendi ſint legitimi. 7. An ius patronatus poſſit præſcriptione acquiri. 8. An pater teneatur filiam naturalem dotare. 9. An tempore peſtis poſſit fieri teſtamentum cum paucioribus teſtibus. 10. An collatio beneficij facta infami ſit ipſo iure nulla. *ibid. reſ. 3.*

3 Poteſt aduocatus ex opinione probabili, relicta probabiliori, patrocinari cauſæ actoris etiam vbi agitur de ſanguine, honore, aut amiſſione omnium bonorum. *ibidem reſol. 4.* Imò etiam ſi cauſa ſit dubia, non peccat illam ſuſcipiens. Quia aduocatus non profert ſententiam, ſed ſolùm proponit quæ videntur cauſæ profutura. *ibid. reſol. 6.*

4 Secundùm quoſdam poteſt aduocatus in praxi tutò amplecti opiniones Antonij, Fabri, Duareni, Cuiacij, &c. ſimilium Iuriſconſultorum: putant enim ſpeculatiuè veras etiam practicè tales eſſe: ſed an probabiliter iudicent alij. *ibid. reſ. 5.*

5 Medicus ſi medicamentum habet certum, tenetur ex charitate, & iuſtitia illud applicare: ſin minùs, ſecundùm quoſdam, poteſt ſequi opinionem probabilem, probabiliori relicta; quia id applicat quod ſalutiferum probabiliter credit. *ibid. reſol. 7.*

6 Quando ſunt vtrinque opiniones probabiles, non poteſt Rex bellum gerere contra alium Regem. *ibidem reſol. 8.*

7 In articulo mortis tutior opinio eſt ſequēda. *ib. reſ. 9.*

8 In

8 In varietate opinionum inter Superiorem, & ſubditum, tenetur ſubditus obtemperare, niſi euidenter cognoſcat illicitum eſſe quod præcipitur. *ibidem reſ.* 10.

9 Confeſſarius quicumque tenetur ſequi pœnitentis opinionem probabilem, licèt illam ipſe iudicet falſam; modò inter Doctores probos probabilis habeatur. Et peccat mortaliter ſi nolit abſoluere, quando de mortalibus fit confeſſio. *ibid. reſ.* 11.

10 Præferenda eſt ſententia fauorabilis ſuſcipienti, ſententiæ, quæ fauorabilis eſt Sacramento etiam in articulo mortis. Quia Sacramenta inſtituta ſunt in fauorem fidelium. *ibid. reſ.* 13.

11 In his, quæ pertinent ad fauorem, & vtilitatem interrogantis, poteſt Doctor conſulere iuxta aliorum probabilem opinionem, contra ſuam; vt illum eximat v. g. ab obligatione reſtituendi. Imò quando de benigniore ſententia interrogatur, tenetur eam declarare. *ibid. reſ.* 14.

12 Auctoritas vnius Doctoris probæ notæ, ac docti, ſi loquitur de aliquo caſu ab alijs non agitato, vtique reddit opinionem probabilem; aliquoties verò quamuis nonnulli DD. contradicant, probabiliorem opinionem facere poterit, quando non innititur leui fundamento. *part.* 4. *tract.* 4. *Miſcell. reſ.* 30.

PAVPERTAS RELIGIOSA.

Super Bullam Clem. VIII. De largitione munerum.

1 HÆc Bulla non videtur vſu recepta quoad pœnas quæ in illa continentur, neque legitur quotannis in Capitulis Monaſteriorum. 1. *par. tr.* 6 *reſ.* 1. Neque edita eſt ad nouum ius; ſeu nouam obligationem inducendam,

Digitized by Google

ſed ad ius commune reſtituendum, ac reformandum. *ibid. reſ.2.*

2 Ad Conuentus, & Superiores ſpectat determinare quantitatem muneris largiendi, cùm Bulla non determinet. *ibid.reſ.3.* In hac autem determinatione Superiores attendent conditionem dantis, & accipientis, & expendēt cauſas, ob quas datur munus, vtilitatem, quæ ex illo munuſculo redire poteſt, & facultatem Monaſterij. *ibid.reſ.4.*

3 Si Religioſus ſine licentia Superioris det munuſculū duorum aureorum, peccatum quidem furti admittet; non tamen incurret in pœnas Bullæ. *ibid.reſ.5.*

4 Si Monialis, ſeu Religioſus de licentia Prælati faciat amico, aut cognato corporalia, aut picturam, &c. non incurret in pœnas Bullæ, etiā ſi illa ſint magni valoris, quando ad illa facienda ſuppeditantur ab amico, aut conſanguineo omnia neceſſaria: vel cùm antequàm fiant, Prælatus dat licentiam vt fiant pro tali amico, & ſuppeditentur neceſſaria de rebus Monaſterij; modò tamen ea, quæ dantur de Monaſterio, non ſint magni valoris; quia tunc non agitur de alienanda, ſeu donanda re, quæ ſit Monaſterij, ſed tantùm de non acquirenda, quo in caſu Prælatus poteſt præiudicare Monaſterio. *ibid. reſ.6.*

5 Caſus in Bulla excepti extendi poſſunt ad alios ſimiles: quare licèt excipiat tantùm leuia quædam comeſtibilia, & ad deuotionem pertinentia, tamen poſſunt etiam dari leuiuſcula alterius generis. *ibid.reſ.7.*

6 Religioſus, qui rogat amicum, vt det alteri ſuo nomine aliquod munus, neque peccat contra votum paupertatis, neque contra Bullam. Quia non diſponit de re aliqua Monaſterij ſine facultate Superioris. *ibid.reſ.8.*

7 Religioſus celebrans Miſſas ad intentionem amici, quem ſcit ſtipendium accipere pro illis Miſſis, non peccat

in

in Bullam: non poteſt tamen de ſola licentia Superioris donare ea, quæ acquiſiuit ex eleemoſynis Miſſarum, quas ſibi intra annum Religio concedit. *ibidem reſ.9.*

8 Si Monialis, vel Religioſus accipiat a parentibus pecunias, quarum tamen dominium parentes ſibi reſeruent, vt illas pecunias Religioſus, vel Monialis diſpenſet in eleemoſynas, non incurrit in pœnas Bullæ, nec peccat contra paupertatem, quia non donat, vt proprietarius, ſed diſpenſat vt miniſter. *ibid. reſ.* 10.

9 Monialis vel Regularis dans eleemoſynam non peccat in Bullam, quæ prohibet tantùm largitionem munerum. Non prohibet autem ſumptus, qui fiunt diebus Feſtis ſolemnibus in muſicam, in ſuſtentationem concionatoris, & eorum, qui altari miniſtrant; hæc enim omnia pertinẽt ad commodum Monaſterij. *ibid. reſ.* 11.

10 Huius Bullæ duo ſunt fines præcipui, nempe ne bona Monaſterij dilapidentur, & ne detur ambitionis occaſio. *ibid. reſ.* 12.

11 Eſculenta & poculenta, quæ Bulla dari concedit a Religioſis, intelligenda ſunt ea, quæ paucis diebus conſumi poſſunt. *ibid. reſ.* 13.

12 Religioſi excipientes externum hoſpitem non occaſione tranſitus, aut deuotionis, ſed recreationis cauſa, non incidunt in pœnas Bullæ. *ibid. reſ.* 14.

13 Regulares largientes aliquod donum in remunerationem, non contraueniunt Bullæ: quia remuneratio non eſt donatio gratuita. *ibid. reſ.* 15. Hæc autem remuneratio licet excedat merita, & beneficia accepta, in quarta parte, non eſt contra Bullam: quia gratitudo id poſtulat. *ibidem reſol.* 16.

14 Moniales cum licentia Abbatiſſæ ſeu Prælati, poſſunt aliquid dare Confeſſario vltra iuſtum pretium aſſi-

gnatum. *ibidem reſol.* 17.

15 Religioſus, qui alteri Religioſo dat munus, cum tacita licentia Superioris nullo ambitionis intuitu, non incurrit in pœnas Bullæ. Quia Bulla prohibet largitionem munerum propter metum ambitionis: igitur ſi ceſſet ambitio, ceſſabit, & prohibitio. *ibid. reſ.* 18.

16 Religioſus de annuis redditibus ſibi ad ſuum vſum a Superiore conceſſis poteſt alijs donare parciùs viuendo, cum licentia ſaltem tacita Superioris: quia Bulla prohibet largitiones munerum, ex quibus Monaſteria graue damnum patiuntur; hæc autem donatio eorum quæ Religioſus parciùs viuendo largitur, non affert multum damni Monaſterio; ergo. neque enim Religioſus fraudat Monaſterium, ſed genium ſuum. *ibid. reſ.* 19.

17 Abbatiſſa poteſt concedere Monialibus eamdem licentiam donandi, quam poteſt Prælatus ſuis Religioſis. Imò poteſt Abbatiſſa concedere Monialibus licentiam habendi peculium, quando poteſt Superior Religionis illam concedere, & facultatem conuertendi in proprios vſus ea, quæ proprijs operibus acquiruntur. *ibid. reſ.* 22.

18 Milites D. Iacobi, Alcantaræ, &c. non includuntur in hac Bulla: nam expreſsè Pontifex illos excludit; vnde colligitur hos milites eſſe verè, & propriè Religioſos. *ibid. reſol.* 23.

19 Poteſt Abbatiſſa aliquid dare Epiſcopo ob benedictionem, ſuſceptionem habitus, aut profeſſionem Monialis alicuius, non quidem vt pretium, aut mercedem; ſed in remunerationem: neque mens Papæ fuit tollere virtutem gratitudinis a Religioſis. *ibid. reſ.* 24.

20 Religioſus, qui inſcio Superiore acceptis a pœnitentibus nummis libros emit, dummodò habeat illos in cubiculo palàm expoſitos, non violat paupertatem: quia

quid-

Digitized by Google

quidquid hoc pacto Religioſus poſſidet, ſubijcit Prælatorum voluntati. *ibid. reſ.* 26.

21 Nouitij non includuntur in hac Bulla ſub nomine Religioſorum. *ibid. reſ.* 27.

22 Religioſus, qui abſque Superioris licentia accipit pecuniam, vt de ea liberè diſponat in eleemoſynas, eius nomine qui dedit, non peccat contra votum caſtitatis, neque contra Bullam. Quia votum paupertatis obligat Religioſum ne acceptet dominium, & proprietatem alicuius rei inſcio Superiore; ſed hic Religioſus non accipit dominium huius pecuniæ, ſed illam accipit nomine alieno, ſcilicet tradentis, vt det pauperibus. *ibid. reſ.* 29.

23 Religioſus, qui ſine licentia Superioris ſolet ſumere aliqua bona monaſterij pertinentia ad cibum, & potum, vt ijs ipſe vtatur actualiter, in parua tamen quantitate, ita vt Religio non multum inde capiat damni, non videtur peccare mortaliter: quia Religioſi quoad vſum harum rerum tractantur vt filij: inter parentem autem & filium non cenſetur ſimilis actio grauis; eſt tamen contra decentiam, & perfectionem ſtatus religioſi. *ibid. reſ.* 30.

24 Religioſus cum licentia tacita clàm accipiens vel dans aliquid, non peccat mortaliter; quia licentia tacita impedit tranſgreſſionem voti paupertatis, etiamſi poſſet expreſſa licentia poſtulari; Superior enim dediſſet licentiam accipiendi, aut dandi, ſi petijſſet; quamuis diſpliceret illi modus ſi ſciret Religioſum clàm dediſſe, aut accepiſſe. Hinc patet Religioſum non violare votum paupertatis, qui Superiore cubicula viſitante aliquid abſcondit non metu illius amittendi, ſed pudore, & verecundia; quia ſcit modum clàm accipiendi Superiori diſplicere. *ibid. reſ.* 31.

25 Religioſi etiam poſt Concilium Trident. poſſunt habere peculium à Superioribus conceſſum ad vſus licitos

Digitized by Google

& honeſtos, dependentem à ſimplici Superiorum voluntate: quia Concil. Trident. non condit, neque inducit ius nouum; ſed tantùm confirmat ſtatuta, & ius antiquum. Hinc patet, non eſſe damnandam illam Religionum conſuetudinem, in quibus Religioſi habent aſſignatos certos annuos redditus ad victum, & veſtitum; modò non ſint ſuperflui. *ibidem reſ.* 32.

26 Si in aliquo ſpeciali caſu Religioſus nec diſſiparet bona Religionis, nec vlla foret ambitionis occaſio, largiendo munera, non incurreret in pœnas Bullæ: quia ceſſante ratione, & fine legis, ceſſat obligatio legis. *ibidem. reſol.* 33.

27 Religioſus paulatim modica accipiens de rebus Monaſterij ſine Superioris licentia, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, ſi modica illa furta efficiant materiam grauem: quia in vltimo illo furto, ſuppoſitis præcedentibus, incipit eſſe fur, & per conſequens voluntariè detinet rem alienam in notabili quantitate, inuito Domino: plura enim illa furta, licèt modica, coaleſcunt in vnum, & efficiunt materiam grauem. 1. ſi inter illa furta non eſt magnum temporis interuallum. 2. Si fiunt animo diteſcendi, vel in eodem genere rerum; nam ſi in diuerſis rebus fiunt, non cenſentur facere vnum. 3. Si faciunt magnam quantitatem; nam eò damnum eſt minus, quò in pluries diuiditur. 4. Si fiunt in alijs rebus quàm in eſculentis, aut poculentis, quæ ſolent clàm accipi à famulis, & ancillis, non vt vendant, ſed vt comedant. *ibid. reſ.* 34.

28 Ea quantitas, quæ ſufficit in ſæcularibus ad conſtituendam materiam peccati mortalis furti, videtur etiam ſufficere ad peccatum mortale, ſi Religioſus eam vſurpet ſine licentia Superioris: probabilius eſt requiri quatuor argenteos; licèt aliqui duos aureos ponant *ibid. reſ.* 36.

29 Re-

29 Religioſus commodans alteri aliquid ex ijs rebus quæ ſibi ad vſum conceduntur, non facit contra votum paupertatis, ſi certus eſt de reſtitutione illius. Idem dicendum eſt de permutatione etiam cum ſæcularibus, modo ea, quæ permutantur, non ſint deteriora. *ibid. reſ.* 37. & 38.

30 Religioſus ſumens aliquid ex loco publico, vt eo vtatur ad aliquot dies, animo illud in eumdem locum referendi, non peccat contra paupertatem. *ibid. reſ.* 40.

31 Religioſus accipiens ab amico prandium, aut alia comeſtibilia exigui valoris, non violat votum paupertatis: habet enim licentiam à Prælato interpretatiuam. *ibidem reſol.* 41.

32 Religioſus poteſt ſalua paupertate accipere aliquid ab amico ſine licentia, animo petendi licentiam, antequàm eo vtatur, modò dominium illius rei interim maneat apud dantem, & Religioſus nomine illius, depoſitam habeat. *ibid. reſ.* 42.

33 Non repugnat voto paupertatis, ſi Religioſus abſque Superioris licentia, petat ab amico, vt deponat pecunias apud aliquem, quarum dominium maneat penes deponentem cum libera reuocandi depoſiti facultate; & ſolùm habeat voluntatem habendi pecunias ad manum, ex quibus accipiat cùm indiguerit, de licentia Superioris. Idem dicendum ſi Religioſus eas pecunias apud ſe ſeruet in depoſitum. *ibid. reſ.* 43.

34 Non videtur Superior, vi decreti Clement. VIII. poſſe reſeruare furtum, quo Religioſus aliquid alteri Religioſo, vel ſæculari abſtulit, etiam quatenus eſt peccatum proprietatis. Quia Pontifex conceſſit tantùm Superioribus Religionum reſeruationem furti de rebus Monaſterij, & Conuentus. *ibid. reſ.* 44. & 45.

Reli-

Digitized by Google

Reliquiæ Sanctorum.

1 RElíquiæ alicuius Sancti recès inuentæ, ſunt ab Epiſcopo approbandæ. Ad illam autem approbationem requiritur. 1. certitudo moralis, non autem euidentia, quæ nitatur infallibilibus argumentis. 2. Vt ille Sanctus ſit canonizatus. Porrò licèt Epiſcopus adhibeat in conſilium Theologos, nō tenetur tamen ſequi eorum placita, niſi conuocet Conciliū Prouinciale; tunc enim Theologorum ſuffragia ſunt deciſiua. Si autem Epiſcopus extra ſuam diœceſim exiſtat, poterit abſque Epiſcopi illius loci licentia reliquias approbare, & facultatem concedere, vt in ſua diœceſi publicè proponantur venerandæ: quia hæc non eſt iuriſdictio contentioſa, ſed voluntaria. 2. *par. tract.* 15. *&* 1. *Miſcell. reſ.* 51.

2 In furto Reliquiarum datur quidem parũitas materiæ, quæ tamen ſpectanda eſt non ſolùm penes ſolam rei abſolutè materiam, ſed earum dignitas, & æſtimatio penſanda eſt, ac earum raritas. Hinc damnandus eſſet de furto ſacrilego, qui quamuis valdè minimam ligni Crucis particulam furaretur. 5. *par. tract.* 5. *reſ.* 35.

3 Si quis auferret particulas aliquarum Reliquiarum de licentia eius, cui Eccleſia commiſſa eſt, non eſt a furto excuſandus, quia is, cuius curę cuſtodia Reliquiarum commiſſa eſt, nullam de illis adminiſtrationem habet, ideòque mortaliter peccaret Prælatus Regularis talem facultatem præbens. *ibid. verſ. Notandum.* 1.

4 Crux varijs Reliquijs, non tamen approbatis ornata, collocari poteſt in Altari, & populo adoranda proponi; quia cùm Crux in Altari collocatur, non Reliquiæ, ſed Crux adoratur. *ibidem Not.* 2.

Reſti-

Reſtitutio.

1 QVi vi, vel fraude impedit ne quis conſequatur hæreditatem, officium, aut beneficium, tenetur ad reſtitutionem. Secùs ſi precibus, blanditijs, aut muneribus impediat: nam preces, blanditiæ, munera non repugnant libertati, atque adeò nulli fit iniuria. Item qui per mendacium impediuit Petrum, ne faceret eleemoſynam Paulo, dicens illum non eſſe pauperem, tenetur ad reſtitutionem. *3.par.tr.6.Miſcell.reſ.33.*

2 Qui ſecretum alterius cognouit per iniuriam, & eo vtitur in ſuum commódum, cum damno alterius, aliquando non tenetur ad reſtitutionem, v. g. Petrus ſcribit Romam ad Paulum vacare beneficium in menſe Pontificis, litteræ veniunt in manus Ioannis, qui eas aperit, & poſteà clauſas reddit Paulo, ſed illum præueniens impetrat beneficium: ſi Ioannes litteras tempeſtiuè tradidit, probabilius eſt illum non teneri ad reſtitutionem: quia licèt fecerit iniuriam Paulo aperiendo litteras; non tamen obtinendo beneficium, cùm Paulus non haberet maius ius, quàm Ioannes. *ibid.*

3 Qui fraude, aut mendacijs impedit, ne alicuius bona ob crimen fiſco addicantur, non tenetur ad reſtitutionem: quia hæc proſcriptio bonorum eſt pœna criminis; pœna autem non debetur ante ſententiam ſaltem declaratoriam criminis, imò ante ſententiam conſtitutiuam pœnę. ergo. Idem dicendum de teſtibus, qui falſo teſtimonio impediunt ſententiam, & conſequenter confiſcationem. *ibid. reſ.35.*

4 Qui vulnerauit opificem, tenetur ad impenſas in chirurgum faciendas, & ad æſtimationem operarum, quibus caruit, quamdiu ex illo vulnere fuit inutilis ad opificium

Digitized by Google

cium exercendum: poteſt tamen deduci æſtimatio moleſtiæ, quam in opificio habiturus erat. Sed pro cicatricis deformitate, imò ipſius vitæ iactura, nulla pecuniæ compenſatio facienda eſt ante Iudicis ſententiam. *ibid. reſ.* 53.

5 Qui prouocatus, vel ex condicto ad pugnam deſcendit, non tenetur ad reſtitutionem damni ob vulnus, aut mortem illatam: quia prouocans quantum in ſe erat, in id conſenſit. *ibid.*

6 Non tenetur homicida reſtituere damnum illatum creditoribus ex morte occiſi. Item maritus, qui aliquem in adulterio deprehenſum occidit, non tenetur in conſcientia reſtituere damna ex morte occiſi ſecuta. *ibid. reſ.* 54.

7 Iniquus rei alienæ detentor eſt in continuo actuali peccato dùm voluntariè reſtitutionem omittit; quia ſemper lædit Dominum rei, qui non poteſt illa vti. Peccat autem de nouo mortaliter, quoties renouat propoſitum non reſtituendi, vel quando proponit reſtituere, & poſteà data opportunitate non reſtituit; per ſomnum verò, & naturalem inaduertentiam non ita interrumpitur illa voluntaria omiſſio reſtitutionis, vt multiplicentur peccata numero diſtincta. 2. *par. tract.* 16. & 2. *Miſcell. reſ.* 25.

8 Qui minatur malum abſque animo inferendi, licèt iuſtè poſſit inferre, poteſt retinere, quod ſic extorqueat, nec tenetur ad reſtitutionem, quia ius accuſandi, quo ille vti poteſt, eſt pretio æſtimabile. 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 34.

9 Qui bona fide pecunias furtiuas a fure accepit, vel quia illi debitor eſſet, vel quia aliquid illi vendiderit, & eas cum proprijs commiſcuit, ita vt diſcerni non poſſint, non tenetur comparente Domino pecuniarum ad reſtitutionem. Idem dic de eo, qui ludendo falſis aleis pecuniam lucratus eſt, eiuſque partem ſocio, vel amico ſuo donauit, quamuis ſcienti, non tamen cooperanti ad fraudem commit-

mittendam. *ibid. reſ. 67.*

10 Ferentes ſuffragium ad aliquod iniuſtum opus, tenentur ſinguli reſtituere in integrum; quia ſinguli cooperati ſunt ad totum damnum in indiuiduo. *ibid. reſ. 79.*

11 Si quis vicit ludentem cum falſis aleis, vel taxillis, non tenetur ad reſtitutionem, quia inæqualitas in hoc ludo procedit ex culpa alterius ludentis. *ibid. reſ. 169.*

12 Si concurrentibus quatuor, vel pluribus ad Cathedram, vel prætendentibus aliquod officium, quis ſpondeat cum vnoquoque ſeorſim, quod non eſſet adopturus illam, vbi certum eſt, quòd lucrabitur a reliquis, & perdet cùm vno, tenetur ex probabiliore ad reſtitutionem, quia omnes iſti contractus ſimul iuncti habent maximam inæqualitatem, quamuis ſinguli per ſe liciti ſint. *ibid. reſ. 185.*

13 Qui conteſtatur ſe certò ſcire aliquid, & alter contendit, & adhuc vult ſpondere, non tenetur ad reſtitutionem, quia in tali caſu nulla eſt fraus, & talis ſibi imputare debet ſuam temeritatem. *ibid. reſ. 186.*

14 Quando alter colludentium nouit exceſſum notabilem alterius in ludendo aleis, vel taxillis, vel alio ludo, & alter admonet ipſum, & de hoc conteſtatur, & quòd excedit ipſum notabiliter, hic excedens non tenetur reſtituere pecuniam, quam lucratus eſt, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria. *ibid. verſ. Hinc infertur.*

15 Quando prouiſio efficitur per concurſum, ſi quis eligat dignum, omiſſo digniore, tenetur ex probabiliore, & tutiore ad reſtitutionem; & dicta electio in foro externo nulla eſt, & ſubreptitia ex opinione multorum DD. *ibid. reſ. 210.*

16 Si quis daret alicui centum, ignorans quòd ex iuſtitia etiam illi debeat, non tenetur poſteà ſoluere alia centum. *5. part. tr. 13. reſ. 94.*

17 Reus

17 Reus pœnam pecuniariam meritus, ſi iuridicè interrogatus, crimen a ſe commiſſum iniuſtè neget, non tenetur ad reſtitutionem, quia non peccat contra iuſtitiam commutatiuam, ſed ſolùm contra publicam, aut iudicialem. *4. par. tract. 4. reſ. 65.*

18 Si quis ſciat aliquem ſuo nomine paratum damnũ inferre v. g. inimicum occidere, neque prohibeat, cùm facilè poſſit, tenetur ad reſtitutionem vt tacens, & conſentiens, ſi alter ſcit illum cognitum habere eius malignum propoſitum, & non contradicere, vel impedire. Si verò hoc neſcit, non tenebitur vt mandans, ſed interdùm vt nõ obſtans, ſi videlicet ex officio, & ideò ratione iuſtitiæ, non ſolius charitatis obligatus ſit ad damnum iniuſtum impediendum. *ibid. reſ. 64.*

19 Quando damnum illatum eſt multis de Ciuitate, qui tamen in particulari ignorantur, ſiue quia in prædam data eſt, ſiue quia vſuris, & fraudibus vendendo vſus aliquis eſt, non eſt ſatis pauperibus aliquid elargiri, ſed eidẽ Ciuitati reſtituendum eſt, nec datur locus Bullæ compoſitionis. Modus hic eſto: Emit quis v.g. ſalmam frumenti ad tarenos 30. ſed aſſerebat illam emiſſe ad tarenos 36. mittat hic per tertiam perſonam ſummam defraudatam in emptione frumentorum ad Magiſtratus Ciuitatis cum hoc onere, vt per aliquod tempus faciant panem coctum populo, minore pretio vendere, vel eius menſuram accreſcere, vſquequò perueniatur ad ſummam reſtitutam. *ibid. reſol. 46.*

20 Qui legitimè ſe compoſuit facta compoſitione bonorum incertorum per Bullam, comparente autem verò domino, non tenetur ad reſtitutionem, quia hæc compoſitio æquiualet præſcriptioni; ſed qui legitimè præſcripſit, comparente poſteà domino non tenetur reſtituere, ergo

nec,

Digitized by Google

nec, &c. *ibid. reſ.* 112. Hanc autem Bullam compoſitionis non ſolus Pontifex, ſed & Epiſcopi poſſunt concedere. *ibid. verſ. Notandum.*

21 Qui vendidit aliquid furatum, cuius pretium poſteà decreuit, ſi nequeat reſtituere vel rem ipſam numero, vel aliam eiuſdem numeri, & bonitatis, ſufficit ſi reſtituat eiuſdem pretium, ſiue æſtimationem pręſentem, niſi Dominus venditurus fuiſſet, & habiturus illud lucrum. Secùs ſi res apud furem effecta eſt melior augmento intrinſeco, veluti ſi pullus equinus furatus adoleuit, tunc enim reſtitutio fieri debet rei ſpectatę ſecundùm optimum ſtatum, quem in manu furis habuit. *ibid. reſ.* 63.

22 Qui ceſſit bonis ſedendo in loco publico, ſi venerit in pinguiorem fortunam, tenetur ex probabiliore ad reſtitutionem: qui tamen ſic ceſſit bonis, poteſt tuta conſcientia ſibi retinere neceſſaria, & familiæ ſuæ, vt non indecorè viuat, etiamſi debita, pro quibus cedit ſint ex iniuſtitia, & delicto notorio acquiſita. *ibid. reſ.* 78.

23 Infirmus debet ſtatim ante mortem reſtituere pecuniam, & famam ablatam, alicquin non abſoluendus, vtpote non rectè diſpoſitus. 5. *par. tract.* 3. *reſol.* 104.

24 Debitor moroſus tenetur ad reſtitutionem tàm damni emergentis, quàm lucri ceſſantis. 5. *par. tract.* 13. *reſol.* 78.

25 Non reuelantes ex vi monitorij non ſolùm incurrunt excommunicationem, ſed etiam tenentur ad damna inde ſequuta. *ibid. tr.* 13. *reſ.* 68.

Reus.

1 SI reus legitimè interrogatus a Iudice, neget veritatem metu mortis, non tenetur Confeſſarius ei præcipere, vt dictum ſuum retractet; eſſet enim cogere reum ad

Digitized by Google

ad ſe prodendum. Neque tenetur reus manifeſtare veritatem Iudici, non ſolùm quamdiu iudicium durat, nec dùm ſententia eſt pronuntiata; ſed etiam quando damnatus eſt ad mortem. *2.par.tr.15.& 1.Miſcell.reſ.26.*

2 Reus, cuius crimen non eſt plenè probatum, poteſt etiam iuridicè interrogatus, ad mortem vitandam celare veritatem, non obſtante Iudicijs præcepto, neque in cauſa capitis tantùm, ſed etiam quando agitur de pœna mutilationis, triremium, proſcriptionis, & confiſcationis omnium bonorum, aut aliquo alio graui dedecore. At ſi delictum plenè probatum ſit, tenetur reus ad mentem Iudicis reſpondere. *ibid.reſ.27.*

3 Ad vitanda grauia tormenta, poteſt reus ſibi falſum crimen imponere, licèt ob illius confeſſionem ſciat ſe morte plectendum; quia vita non eſt digna tantis cruciatibus, & mendacium excuſatur æquiuocatione in mente retenta, ſcilicet crimen commiſiſſe non re, ſed ſolùm vt fateatur Iudici ad vitanda tormenta, quod verum eſt etiam addito iuramento. Poteſt etiam reus occultus prodere ſe Iudice motiuo iuſtitiæ, vt peccati pœnas luat in hac vita; niſi ſit perſona maximæ auctoritatis, & Reipubl. vtilis. *3.par.tr.5.Miſcell.reſol.7.*

4 Si reus iuridicè interrogatus neget delictum, ex cuius commiſſione pęnam pecuniariam teneretur ſoluere, non eſt obnoxius reſtitutioni: quia reus in tali caſu lędit iuſtitiam publicam, & vindicatiuam, non autem commutatiuam, ex qua oritur obligatio reſtitutionis. *ibid.reſ.52.*

5 Quoties factum externum contra legem excuſatur à peccato propter aliquam circumſtantiam, poteſt reus iuridicè interrogatus, illud negare ſub iuramento, intelligendo de opere, quod fuerit peccatum, vt ſi quis occidit hominem, quem putauit eſſe feram, vel ob iuſtam ſui defenſio-

ſionem. *ibidem reſol.66.*

6 Reus non tenetur Iudici reſpondere, niſi teſtium depoſitio illi innoteſcat: quia ei non conſtat an iuridicè interrogetur: ita enim exigit ius, quod quiſque habet ad ſuam famam, & vitam tuendam. *ibid. reſ.91.*

7 Non licet condemnare reum non adhibitis ſolemnitatibus præreqiſitis: cùm enim ſententia ſit publica, ferenda non eſt ex priuata notitia, ſed ex publica in iudicio habita. *ibid. reſ.97.* Si tamen crimen eſt omninò publicum (vt cùm latro deprehenditur in flagranti delicto) poteſt reus abſque citationibus condemnari; & ſi ex publico ſupplicio ſit periculum, occultè poteſt occidi. *ibidem.*

8 Non tenentur rei in quocumque caſu interrogati de complicibus reſpondere, nulla infamia laborantibus. Imo ſi ſpes eſt fore vt emendentur per fraternam correctionem, præſtat illos non reuelare. *ibid. reſ.99.*

9 Poſſunt reo ſuppeditari inſtrumenta ad effringendum carcerem, ſicut poteſt illi dari conſilium fugiendi. Reus autem, qui fugit effracto carcere, non ex eo peccat, nec ad reſtitutionem tenetur, quòd alij captiui aperto carcere fugiant; ipſe enim vtitur ſuo iure, quod habet ad ſeruandam vitam. *ibid. reſ.* 102.

10 Reus tantùm indiciatus ad torturam, non eſt condemnandus per ſententiam Iudicis ad triremes antequam audiatur, & ei detur terminus ad ſe defendendum: quia defenſio ita competit reis de iure naturali, & diuino, vt Princeps etiam de abſoluta poteſtate eam illis adimere non poſſit, niſi in aliquibus tantùm caſibus à Doctoribus tantùm expreſſis; vt quando delictum eſt notorium, quando timetur tumultus populi, & alijs huiuſmodi caſibus, in quibus ſcit Princeps nullam reis competere poſſe defenſionem, extra quos caſus numquàm licet reos inauditos

condemnare. Imò docent Iuriſconſulti reo confeſſo, & conuicto, etiamſi non petat, concedendam eſſe defenſionem, neque aliter poſſe condemnari. Igitur quantò magis erit concedenda defenſio reo neque confeſſo, neque conuicto, ſed tantùm indiciato vt in noſtro caſu? Neque adducenda eſt vlla conſuetudo in contrarium; cùm enim defenſio competat reo de iure naturali, conſuetudo contra ius naturale præualere non poteſt. Quòd ſi etiam Romani licet ethnici olim agnouerunt; ſic enim loquitur Prorex Feſtus Actor. cap. 25. *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquàm is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur in Addit. in fin. 3. part. reſ. 29.* Mutus, ſurdus, & cæcus poſſunt declinare forum, vt perſonæ miſerabiles. An verò poſſint puniri pœna ordinaria pro delicto perpetrato, non eſt ita certum. *5. par. tr. 6. reſ. 30. & 31. & reſ. 36.*

SACRAMENTA.

Sacramentum Baptiſmi.

1 BAptizari poſſunt filij infidelium ſeruorum, etiam antequàm vendantur, exiſtentes ſub cura parentum; ipſis etiam inuitis: ſunt enim indigni illo iure naturali, ratione abuſus; ideòque nulla fit illis iniuria, dùm à dominis priuantur ſuo iure iniuſtè poſſeſſo; neque habent ius, vt ipſi ſoli curam gerant ſalutis ſpiritualis filiorum. *2. par. tract. 15. & 1. Miſcell. reſ. 45.*

2 Qui tenet infantem in Baptiſmo, nomine alterius, non contrahit ipſe cognationem ſpiritualem; quia non ſuo, ſed alieno nomine tenet: ergo non eſt patrinus, ſed illius

illius vices gerit. 3.*par. tract.4.reſ.2.*

3 Qui ob periculum mortis baptizauit filium ſuum, adſtantibus tamen multis qui hoc facere poterant, & ſic cum vxore ſua cognationem contraxit, poteſt nihilominus ab ea petere debitum: quia nullo textu id prohibetur. *ibid.reſol.3. & 5.part. tract.3. reſol.25.*

4 Si quãdo in caſu neceſſitatis baptizandus eſt infans, laicus baptizat, præſente Sacerdote, peccat mortaliter; ſi præſente tantùm Diacono, vel vno ex inferioribus, peccat venialiter. Si autem mulier peritior ſit laico, vt ſolent eſſe obſtetrices, non peccat ſi baptizet, illo prætermiſſo. Laicus extra caſum neceſſitatis baptizans peccat mortaliter, non tamen incurrit irregularitatem. *ibid.reſ.4.*

5 Illa quantitas aquæ ſufficiens eſt ad Baptiſmum, quę poteſt contingere corpus. Illa autem aqua eſſe poteſt ex ſale, niue, aut gelu liquefactis; eſt enim eſſentialiter aqua. Idem dicendum de aqua, quæ ex olla euaporatur, & hæret in tegumento, & quæ hyeme ex lapidibus, & parietibus manat. Ille tamen humor, qui ex vite, aut arbore fluit, nõ videtur eſſe aqua, quamquam in caſu neceſſitatis, ad baptiſmum adhiberi poteſt. *ibid.reſol.5.*

6 Si Sacerdos poſt ablutionem infantis ſtatim pronũtiet formam baptiſmi, vel finita prolatione verborum ſtatim abluat, eſt validus baptiſmus, neque repetendus: quia tunc materia & forma cenſentur moraliter concurrere, & eſſe ſimul. *ibid.reſ.6.*

7 Baptizari poſſunt filij hæreticorum, etiamſi ſub cura parentum probabiliter timeatur periculum ſubuerſionis ipſorum: fieri enim poteſt vt moriantur ante vſum rationis, aut vt aliquando Catholicæ fidei dogmatis imbuãtur, aut vt ignorantia inuincibili excuſentur, atque ita per baptiſmum ſaluentur. *ibid.reſol.7.*

Digitized by Google

8 Infantes ſunt quamprimùm baptizandi, quando commodè poſſunt ad Eccleſiam deferri, neque vltra octauum, aut nonum diem baptiſmus eſt differendus in Sicilia; alibi tamen alij 9. 10. 12. dies concedunt vt patrinus expectetur. *ibid. reſ.* 8.

9 Baptizantes ſub conditione non incurrunt irregularitatem, quia in iure ponitur irregularitas propter rebaptizationem ſimpliciter. *ibidem reſol.* 9.

10 Sacerdos in peccato mortali exiſtens, baptizans in caſu neceſſitatis ſine ſolemnitate non peccat: quia non agit vt miniſter ex officio, ſed perinde ac laicus, neceſſitati infantis ſubueniens. *ibid. reſ.* 10. *&* 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 24.

11 Mutus, & manibus truncus non poſſunt ſimul baptizare infantem in articulo mortis, ita vt ille abluat, & hic verba proferat: quia eiuſdem Sacramenti vnus eſſe debet miniſter. *ibi. reſ.* 11. *&* 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 26. *& tr.* 6. *reſ.* 2.

12 Baptiſmus collatus dormienti, qui illum petierat ante ſomnum, eſt validus. Idem dicendum de amente, & furioſo, qui dùm haberet dilucida interualla, petijt Baptiſmum. *ibid. reſ.* 12.

13 Attritio cognita eſt ſufficiens diſpoſitio in adultis ad Sacramentum Baptiſmi. *ibid. reſ.* 13.

14 Cùm quis animo ficto accedit ad Baptiſmum, fictio non remittitur per Baptiſmum, ſed per pœnitentiam in ordine ad claues, atque adeò neceſſariò eſt in confeſſione Sacramentali explicanda. Omnia autem peccata ante Baptiſmum commiſſa, & quæ in ipſa Baptiſmi ſuſceptione perpetrantur, recedente fictione, delentur per Baptiſmum, etiamſi fictè baptizatus nullam prorſus attritionem habuiſſet in ipſo Baptiſmo, ac proinde non ſunt, recedente fictione, in confeſſione explicanda. Denique peccata poſt baptiſmum commiſſa, recedente fictione, remittuntur per

peni-

pœnitentiam in ordine ad claues Eccleſiæ; ideòque quamdiù in confeſſione non aperiuntur, requiritur contritio ad tollendam fictionem, & effectum Baptiſmi conſequendum. *ibid. reſ.* 14.

15 Non tantùm Baptiſmus, ſed etiam cętera Sacramenta, ſi cum fictione ſuſcipiantur, illa poſteà recedente conferunt ſuum effectum. *ibid. reſ.* 15.

16 Si quis per errorem de ſacro fonte ſuſcipiat filium Petri, quem exiſtimat eſſe filium Ioannis, probabile eſt illum nullam contrahere cognationem: & re ipſa maritus, qui per ignorantiam leuauit filium vxoris, non arcetur à debiti petitione. *ibid. reſ.* 16.

17 Peruerſa intentio miniſtri conferentis Baptiſmum, aut aliud Sacramentum, non ſuppletur à Deo, quoad gratiam: eſt enim de fide intentionem miniſtri neceſſariò requiri. *ibid. reſ.* 17.

18 In priuato Baptiſmo vrgente neceſſitate, nihil eſt neceſſe adhibere patrinum: tunc enim vix parentes poſſunt idoneum eligere. Hinc materialiter tenens infantem, non eſt patrinus; imò ſi ex propoſito id faceret vt obeat munus patrini, probabile eſt quòd nullam contrahat cognationem. Neque eſt improbanda conſuetudo, qua Catholici quibuſdam in locis patrini exiſtunt filijs hæreticorum. *ibi. reſ.* 18.

19 Infantem in vtero matris, ſi aliqua ſui parte aqua tingi poteſt, baptizare licet, etiamſi natiuitas propriè dicta non præcedat, quia de non homine factus eſt capax ablutionis & debitæ formæ verborum, quæ ſunt eſſentialia Baptiſmi. 2. *par. tr.* 15. & 1. *Miſcell. reſ.* 43.

20 Mulier ad mortem damnata, ſi ſit periculum ne ex aliquo morbo ante partum vnà cùm prole moriatur, poteſt ſeruato iuris ordine priùs ſecari, ſi ſpes ſit fore, vt fœtu

poſſit baptizari: nihil enim fit contra ius. *ibid. reſ.*44. & 5.*par.tr.*3.*reſ.*13.

21 Obſtetrices non tenentur ex officio ſcire neceſſaria ad Baptiſmum ne vernacula quidem lingua: nullum enim eſt ea de re præceptum Eccleſiaſticum, nec naturale; quippe obſtetrix ex vi ſui muneris tenetur tantùm cooperari natiuitati corporali infantis; licèt contrarium ſit pium & conſulendum. *ibidem reſol.*46.

22 Si Sacerdos ita baptizet, *Ego te baptizo nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti*, omittens particulam (*In*) cum (*&*) verè conficit Sacramentum: quia illa omiſſio non eſt ſubſtantialis, neque deſtruit ſenſum verborum. Excuſarem autem illum, qui omitteret, a peccato mortali. *ibid. reſ.*47. Item ſi Sacerdos addat formulæ Baptiſmi (*In nomine Beatæ Virginis*) nihilominùs verè confert Baptiſmum, dummodò per illa verba non intendat baptizare in nomine Virginis, ſicut in nomine Patris, ſed tantùm velit opem B. Virginis implorare, vt eius interceſſio proſit baptizato. *ibid. reſ.*48.

23 Quando tenellus, & paucorum dierum infans expoſitus inuenitur, eſt ſub conditione baptizandus, niſi habeat ſchedam baptiſmi teſtem: nam ſępe mulierculæ poſtquàm occultè pepererunt, parum ſunt ſollicitæ de ſpirituali infantis ſalute; ſed hoc potiùs curant vt ſuum partum quàm fieri poteſt occultiſſimè a ſe abdicent. Si verò infans ex colore & ætate videretur natus ante menſem, nec vllam haberet ſchedam Baptiſmi teſtem, eſſet etiam ſub conditione baptizandus; imò etiam cum illa ſcheda infans inuentus expoſitus inter infideles, videtur item ſub conditione baptizandus, ne ſalutis æternæ amittendæ periculum adeatur. *in addit. in fin.* 3.*par. reſ.*6. *&* 5.*par. tract.* 13.*reſol.*85.

24 Puer

24 Puer inter Chriſtianos natus, poſteà a Turcis captus, & inter eos vt Turca educatus, ſi factus iam grandior ad Chriſtianos redeat & Chriſtianus fieri velit, ſitque de ſuſcepto baptiſmate dubius, videtur ſub conditione baptizandus: nam licèt eà ætate credatur captus ab infidelibus, in qua debuerit eſſe baptizatus; tamen hoc non conſtat, niſi ex teſtibus infidelibus, qui hoc dicere potuerunt, vt hic puer poſteà a Chriſtianis captus non baptizaretur; neque hi teſtes ſunt fide digni, etiamſi aſſeuerarent illum eſſe baptizatum, quia præſumendi ſunt teſtimonium ferre in iniuriam Baptiſmi, quem execrantur, aut in damnum baptizandi. *in Addit. in fin. 3. par. reſ.* 10.

25 An in aliquo caſu teneatur quis cum periculo vitæ propriæ baptizare moribundum, variæ ſunt Doctorum ſententiæ, cum aliqui affirment, aliqui negent: vnde vtrumque probabiliter ſuſtineri poterit. 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 16.

26 In naufragio, vel alio caſu ob periculum mortis, poteſt quis pluries vnica forma baptizare, dicendo. *Ego vos baptizo*, quia in tali caſu nihil deficit ad valorem Sacramenti, & extrema neceſſitas facit, vt talis modus baptizandi ſit licitus. *ibid. reſol.* 27.

27 Probabile eſt Diaconum, qui baptizat aliquem in periculo mortis, poſſe aliquando ſolemniter illum baptizare abſque commiſſione, ſi neceſſitas vrgeat, & Sacerdos ſit abſens. Licèt probabilior ſit contraria ſententia, numquam enim licet Diacono baptizare cum ſolemnitate abſque commiſſione, aliter fieret irregularis. *ibid. reſol.* 28.

28 Habens infantem baptizandum morti vicinum, & Sacerdos recuſet eum baptizare, niſi detur quantitas pecuniæ, nec alia via poſſit conferri Baptiſmus, licitum erit ei dari pecunia; non enim hoc eſt emere Sacramentum, cùm non detur pecunia, vt pretium Sacramenti, ſed vt medium

Digitized by Google

neceſſarium ad illiciendum illius Sacerdotis animum, & Sacramentum obtinendum. Idem dic de adulto, ſi alioquin abſque Baptiſmo moriturus eſſet, quia illa neceſſitas ſufficiens eſt ad tollendam irreuerentiam. Idem de abſolutione in extrema neceſſitate. *ibid.reſ.29.*

29 Qui adminiſtrauit Sacramentum Baptiſmi inualidè, tenetur cum periculo honoris, & vitæ manifeſtare hũc defectum, quia ex hoc multa poſſunt mala ſequi, vt patet. *ibid.tract.13.reſ.55.*

30 Monachi baptizando extra caſum neceſſitatis non peccant mortaliter, immò hoc fieri poteſt aliquãdo etiã ſine veniali. *ibid.tract.13.reſ.58.*

31 Si quis ſit in articulo mortis, & velit baptizari, & ibi adſint Sacerdos excommunicatus, & alij inferiores, debet ab eo peti adminiſtratio Baptiſmi; quia quando pluribus conceditur priuilegium, ſeruandum eſt inter ipſos ius commune, & de iure communi ratione ſuæ conſecrationis, ius baptizandi competit ſolis Sacerdotibus. 5.*part. tract.9.reſ.87.*

32 Ablutio cuiuſcumque etiam minimæ partis corporis ſaltem in caſu neceſſitatis ſufficit, vt Sacramentum Baptiſmi valeat; vel ſaltem in illa ſub conditione baptizandus moribundus. Immò in hoc caſu poteſt baptizari cum forma dubia, ſi nemo adeſt, qui ſciat formam certam. 5.*par.tract.3.reſ.4.*

33 Baptizati in articulo mortis debent poſteà in Eccleſiam induci, vt ibi cæremoniæ omiſſæ ſuppleantur, quod patet ex vſu Eccleſiæ. Omittere tamen id, ſecluſo contemptu, eſſet tantùm peccatum veniale. *ibid.reſ.6.*

34 Cùm infanti moribundo confertur Baptiſmus, nõ eſt neceſſariò ex præcepto Eccleſiæ adhibendus Patrinus; & ſi adhiberetur, non contraheret cognationem ſpiritualem,

lem, quia munus ſuſceptoris non obitur propriè, niſi quando Baptiſmus eſt ſolemnis. *ibidem reſol.7.*

35 Si puer ſit tener v. g. & delicatus, vel aliud ſit periculum, vt credatur, Baptiſmum fore cauſam mortis illius, Baptiſmum poteſt ſine periculo differri, licitum, & obligatorium eſt illum differre: ſi verò ſit periculum in mora, non eſt differendus, etiamſi mortis acceleratio magna futura eſſet. *ibid.reſ.8.*

36 Adultus propter imminentem mortem, vt ſi quis ei minaretur mortem ſi baptizetur, poteſt differre ſuſceptionem baptiſmi, ſi certò ſciat ſibi poſteà ad futuram occaſionem recipiendi hoc Sacramentum, ſecùs ſi id certò non ſciat; quia tunc non tenetur omittere hoc Sacramentum propter periculum mortis. Imò ſi ex omiſſione baptiſmi proueniret graue aliquod incommodum contra Catholicam Religionem, crearetur que aliqua infamia Eccleſiæ, teneretur non omittere Baptiſmum, quia maioris momenti eſt honor fidei noſtræ, quàm vita vnius, immò & plurium hominum. *ibid.reſol.9.*

37 Filij infidelium in mortis periculo ſunt baptizandi, etiam inuitis parentibus, quia qui eſt in articulo mortis, cenſetur extra parentum poteſtatem. *ibid.reſ.* 10.

38 Qui ex periculo mortis recepit baptiſmum ex opinione probabili, v.g. in digito, capillis, pedibus, &c. vel in materia dubia cum gutta aquæ, &c. debet, ſi vixerit, iterùm ſub conditione baptizari. *ibid.reſ.* 11.

39 Pueri ſi moriantur in vtero matris, nihil obſtat, quominùs poſſint baptizari, ſi actio miniſtri poſſit ad ipſum puerum etiam in vtero matris exiſtentem peruenire, vt ſi fiſtula poſſit pertingere ad ipſius infantis corpuſculum, vel propter matris cicatricem aſperſio aquæ poſſit ad illud pertingere. Et hoc etiam ſi acceleretur matris

mors

mors (dummodò ſit certò moritura) tunc enim etiam ipſa mater tenetur permittere, vt proles baptizetur. *reſ.* 12.

40 Si Tyrannus velit infantem occidere, vel ſi dùm agit animam, alio modo non poſſit baptizari, erit quidem baptizatus ſi projciatur in puteum, vel flumen cum debita forma; tunc enim erunt omnia requiſita ad baptiſmũ, nimirùm forma, quæ ſupponitur, materia, & ſufficiens intentio miniſtri. Sed an hoc liceat, diſcrepant Doct. *ibidem reſol.* 14.

41 Baptizandi adulti debent inſtrui, & probari per aliquot menſes ante baptiſmum, at ſi vrgeat neceſſitas obſidionis, vel naufragij, vel ſimilis periculi mortis, tunc expoſita fide vtcumque, ſi petens baptiſmum aſſentiatur, eſt baptizandus. *ibid. reſ.* 20.

42 Si vnicus teſtis etiam paganus dicat moribundum poſtulaſſe baptiſmum, ille erit baptizandus. *reſol.* 21. Immò etiam ſi teſtis dubitet, an adultus moribundus petierit baptiſmum, eſt adhuc baptizandus. *reſ.* 22.

43 Moribundus, qui poſtulauit baptiſmum, & poſteà incidit in amentiam, vel lethargum, eſt baptizandus, credendo eum voluntatem perſeueraſſe, quando de contraria non conſtat. *ibid. reſ.* 23.

44 Mutus, & ſurdus ſi in terris infidelium ſe miſceat cum alijs ad ſuſcipiendum baptiſmum non videtur baptizandus, ſed expectandum iudicium Epiſcopi, qui cum doctis ſibi adiunctis viris inueſtigare curet, an talis ex acumine ingenij, ex Dei inſpiratione, vel exterioribus Chriſtianæ Religionis exercitijs, & Sacramentis a ſe viſis dari, apprehenderit pro ſalute animæ talia ſuſcipi remedia, diuinaque eſſe, & ab vno Deo inſtituta; ſi hæc ſignis exterioribus ſe intelligere ſignificauerit, ſimulque fidem de Deo ſe habere, doloremque de peccatis, tunc poterit baptiza-

Digitized by Google

ptizari. Immò ſi Epiſcopus longè diſtaret, poſſet in tali caſu Parochus cum alijs viris doctis dictum mutum, & ſurdum examinare, & baptizare. 5.*part. tr.6.reſ.*1.

45 Infans domi baptizatus ab obſtetrice non eſt baptizandus iterùm in Eccleſia, ſed ſupplendæ tantùm cæremoniæ omiſſæ; dummodò conſtet ritè ab obſtetrice baptizatum fuiſſe, & ideò examinandæ erunt diligenter obſtetrices, & interrogandæ indiuidualiter a viris doctis de omnibus neceſſarijs ad conficiendum baptiſmum, videlicet de verbis formæ, de quantitate aquæ, & de parte corporis, vbi infans fuit baptizatus. *ibid.tract.*13.*reſ.*86.

46 Baptizatus baptiſmo dubio, non eſt Eccleſiaſtica ſepultura priuandus ſiue dubium ſit in ſuſcipiente, ſiue in conferente, ſiue in materia, ſiue in forma, & qui ſi ſuperuixiſſet, rebaptizandus fuiſſet. Itemque infans pelle ſecundina indutus, & ſic baptizatus, in loco Sacro eſt ſepeliendus. 4.*par.tract.*3.*reſ.*69. *&* 5.*par.tr.*3.*reſ.*15.

Sacramentum Confirmationis.

1 PVeri ante ſeptennium poſſunt confirmari ſi vel vſum rationis habeant, vel diu occaſio non eſt futura, vel ſint in periculo mortis, vel in diœceſi ea conſuetudo vigeat. Non tamen eſt peccatum mortale confirmare infantes ſine dictis cauſis, etiam ante vſum rationis: quia diſpoſitio non eſt ita neceſſaria ad hoc Sacramentum. 3.*par. tr.*4. *reſ.*19. Nota eum non peccare mortaliter, qui per negligentiam non ſuſcipit Sacramentum Confirmationis, modò abſit ſcandalum, & contemptus. *ibid. reſ.*20.

2 Perpetuò amentes ſunt confirmandi, maximè ſi quis poſt vſum rationis incidit in amentiam; adeſt enim tunc interpretatiua hominis voluntas ſuſcipiendi tempore opportuno Sacramenta. Quia amentes non ſunt priuandi

gratia

Digitized by Google

gratia huius Sacramenti. *ibidem*.

3 Circa patrinum Confirmationis hæc ſunt notanda. 1. illum non contrahere obligationem inſtruendi confirmatum; quia id iure non eſt ſtatutum. 2. ſi non confirmatus teneat alterum in hoc Sacramento, non contrahere cognationem ſpiritualem, quia non eſt legitimus ſuſceptor, & probabile eſt non peccare eum mortaliter. 3. Suſceptionem Confirmationis debere eſſe alium ab eo, qui ſuſcepit in Baptiſmo, niſi neceſſitas id non ferat. Secus tamen faciens, probabiliter non peccat mortaliter. 4. Religioſos mendicantes (ſecundùm quoſdam) poſſe eſſe patrinos in Sacramento Confirmationis, & Baptiſmi: quia nomine Monachorum excluduntur tantùm ij, qui ſolitudinem colunt. *ibid. reſ.* 21. & *reſol.* 26.

4 Neceſſarium eſt neceſſitate Sacramenti vnctionem Confirmationis ab Epiſcopo fieri manu immediatè: ſi tamen Epiſcopus vngeret alio digito, quàm pollice, nolim illum damnare peccati mortalis. *ibid. reſ.* 22.

5 Ad Confirmationem requiritur chriſma ab Epiſcopo conſecratum, ex oleo, & balſamo compoſitum. Quia tamen probabile eſt oleum ſufficere, ſi hoc Sacramentum miniſtratur cùm oleo ſimplici, non eſt iterandum, niſi ſub conditione. *ibid. reſ.* 23.

6 Epiſcopus poteſt confirmare eum, qui offert litteras dimiſſorias ſui Epiſcopi vt ordinetur, ſi non eſt confirmatus: quia qui concedit finem, concedit neceſſaria ad finem: at Confirmatio præmittenda eſt Ordinibus: ergo. Epiſcopus, tamen in ſua diœceſi, ordinans aliquem non confirmatum, vel non ſubditum, non peccat mortaliter. Idem dicendum de eo, qui accedit ad Ordines non confirmatus. *ibid. reſ.* 24.

7 Verba formæ huius Sacramenti ſunt hæc: *Signo te ſi-*

Digitized by Google

gno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis ; in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Notandum expreſſam ſanctæ Trinitatis inuocationem eſſe neceſſariam ; & eſſentialem ; quia Confirmatio refertur ad profitendam fidem in Baptiſmo acceptam ; eſſentialem item eſſe expreſſionem ſigni Crucis, vt vera ſint verba formæ. *ibid. reſ.* 27.

8 Epiſcopus in ſua diœceſi ſi confirmet ſubditos alterius Epiſcopi, non peccat, quia præſumendum eſt id gratum futurum alieno Epiſcopo: ſecluſa tamen ratihabitione erit p.m. 2. *par. tr.* 17. *reſ* 17. Neque peccat mortal. ſi tale Sacramentum adminiſtret extra Eccleſiam. *ibid. verſ. Nec etiam.* Neque eſſet peccatum veniale recipere Euchariſtiam ante hoc Sacramentum, quamuis gratiæ cumulum conferat. 4. *par. tr.* 4. *Miſcell. reſ.* 50. *verſ. Notandum eſt.* Nec conſecrans chriſma in ſtatu peccati mort. 5. *par. tract.* 13. *reſol.* 73.

9 Adultis in articulo mortis poterit ab Epiſcopo miniſtrari Sacramentum Confirmationis, ſi anteà confirmati non fuerint; nam etiamſi fortè non conualeſcant, Sacramentum eis prodeſt ad augmentum gratiæ ; quamuis non ſit aliquod præceptum obligans ad ſuſceptionem Confirmationis. 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 30.

10 Per Sacramentum Confirmationis, cęteris paribus, confertur maior gratia, quàm per Baptiſmum, aut aliud Sacramentum, excepto Ordine, per quem aliquis conſtituitur Dux in Eccleſia. 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 50.

11 Licet miniſtrare Sacramentum Confirmationis perſonaliter interdicto, qui etiam cauſam dederit, propter moræ periculum. 5. *par. tr.* 10. *reſ.* 63.

Sacramentum Euchariſtiæ.

1 QVi dubitat an ſit ieiunus, non tenetur abſtinere à Communione : quia lex Eccleſiaſtica de ieiunio com-

communicaturis ſeruando non videtur tàm arctè conſtringere conſcientias in caſu dubio. 3. *par. tr.* 4. *reſ.*29. Qui in pollutionem voluntariam, vel fornicationem incidit, poteſt eodem die, ritè confeſſus, Euchariſtiam ſumere: nam Conc. Trident. ait *ſeſſ.* 13. *cap.*7. illum dignè Euchariſtiam ſumere, qui nullius peccati mortalis eſt ſibi conſcius. *ibid. reſ.* 30.

2 Qui accedit ad communionem voluntariè diſtractus, videtur non peccare venialiter: cùm enim communio ſit manducatio, non requiritur ſub præcepto attentionem, quemadmodum requirit oratio, quia eſt locutio cum Deo: eſt autem irreuerentia loqui cum Deo ſine attentione; ſicut & communicare cum affectu vel reatu actualis peccati venialis: vnde hi venialiter peccant. *ibid. reſ.* 31.

3 Qui ſuſcipit Euchariſtiam in peccato mortali, vnum tantùm peccatum committit ſacrilegij contra dignam Sacramenti ſumptionem: neque omiſſio confeſſionis ante communionem, conſtituit peccatum diſtinctum; quia confeſſio ordinatur ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem; quando autem vnum eſt propter aliud, omiſſio vtriuſque eſt vnicum tantùm peccatum. *ibid. reſol.* 35.

4 Si diuerſa ſint horologia, & vnum ſonuerit hora 12. mediæ noctis, aliud non ſonuerit, poteſt qui tunc comedit, communicare die ſequenti. Sin vnum tantùm ſit horologium, ſi quis bibat vbi cœpit ſonare 12. non poterit die ſequenti communicare; quia ad primùm horæ pulſum iam eſt hora expleta, & horologium eſt tantùm index. Vnde infertur eum, qui comedit, cùm audit primùm pulſum horæ 12. debere eijcere ex ore buccellam, ſi die ſequenti Euchariſtiam ſumere velit. *ibid. reſ* 36.

5 Si infirmus ſex aut octo diebus antequàm in mortis periculum incideret, communicauerit, conſulendum quidem

dem

Digitized by Google

deim eſt ei, vt iterùm Euchariſtiam per modum viatici accipiat: tamen ad id non obligatur; cùm præceptum de Euchariſtia ante mortem ſumenda iam impleuerit. *ibid. reſ. 40. & 5. par. tr. 3. reſ. 41.*

6 Qui in Paſchate tranſgreſſus præceptum non communicauit, non peccat iterùm mortaliter, ſi poſteà non communicet; ſemel enim tantùm id præceptum obligat, ſcilicet in Paſchate. *ibid. reſ. 41. & 5. par. tr. 13. reſ. 3.*

7 Qui præuidet ſe in Paſchate a ſacra communione impeditum iri, non tenetur tempus præſcriptum præuenire, dummodò intra eum annum ſemel communicauerit. *ibid. reſ. 42.*

8 Qui in Paſchate communicauit indignè, ſatisfecit præcepto Eccleſiæ: quia Eccleſia nihil aliud præcipit, quàm vt in Paſchate corpus Domini ſumatur: ergo licèt communicans indignè, ſacrilegium committat; tamen quoad ſubſtantiam implet præceptum Eccleſiæ: nam qui præcipit aliquem actum, præcipit ſubſtantiam eius, non autem modum, niſi modus ſit de eſſentia actus ſecundùm ſe, vel prout cadit ſub legem (qua ratione attentio eſt de eſſentia orationis;) at verò ſuſcipere Euchariſtiam cum diſpoſitione debita, non eſt modus eſſentialis Sacramentali communioni; qui enim indignè communicat, ſacramentaliter communicat. Quare indignè communicans, non incurrit cenſuras latas contra huius præcepti Eccleſiaſtici tranſgreſſores. *ibid. reſ. 43.*

9 Si Euchariſtia ob mortis periculū ſumpta ſit a non ieiuno, poteſt iterùm ita accipi ſexto pòſt die. Imò ſi quis aſſuetus frequenter communicare, aut ſacrificare, propter deuotionem, ac deſiderium ægrè abſtineat, permitti ipſi poteſt, vt altero ſtatim die communicet non ieiunus, dummodò mortis periculum inſtare videatur. *ibid. reſ. 44.*

10 Si

Digitized by Google

10 Si Sacerdos ex confeſſione ſciat aliquod delictum alicuius non emendatum, non debet illi Euchariſtiam occultè petenti denegare: quia finita confeſſione finitur Sacramentum, cuius ſigillum ita obligat, vt ne minimo quidem ſigno, aut nutu poſſit Sacerdos illi peccata exprobrare, quantumuis occultè; ergo neque Euchariſtiam occultè denegare, cùm illa negatio ſit tacita quædam exprobratio. *ibi. reſ. 46.*

11 Si quis etiam laicus in mortis articulo conſtitutus, miniſtrum idoneum non habeat a quo Euchariſtiam ſumat, nihil obſtare videtur, quò minùs ſe ipſum communicare poſſit; exemplo Mariæ Scotiæ Reginæ, quæ in Anglia martyrium ſubitura, Sacramentum Euchariſtiæ, quod ſecum habebat, proprijs manibus ſumpſit. Imò etiam alios communicare poteſt in dicto caſu. Notandum ſi Sacerdos ſolemni feſto ſacrificare non poſſit, ſcandalo ceſſante, eum poſſe ſe ipſum communicare, ſi alius Sacerdos non adſit. *ibid. reſ. 47. & 5. par. tract. 3 reſ. 47.*

12 Sacerdos, qui alijs miniſtrat Euchariſtiam in peccato mortali, non peccat mortaliter; quia eſt tantùm cauſa applicans. *2. par. tract. 17. & 3. Miſcell. reſ. 13.*

13 Poteſt Euchariſtia miniſtrari reo eo ipſo die, quo eſt vltimo ſupplicio afficiendus, etiamſi non ſit ieiunus. *3. par. tr 6. Miſcell. reſ. 59. & 5. par. tr. 3. reſ. 38.*

14 Pueri priùs ſunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ, quàm Euchariſtiæ: nam minor rationis vſus, & diſcretio, requiritur ad confitendum, quàm ad communicandum, ad quod ante decennium non obligantur. Non nulli tamen docent ad lucrandum Iubilæum pueros, qui poſſunt confiteri, eſſe etiam ad SS. Euchariſtiam admittendos; licèt ob cõionem in Paſchate omiſſam ante 14. annũ nõ ligentur cẽſuris. *ibid. reſ. 70. & in Addit. in fin. 3. par. reſ. 19.*

15 Ac-

15 Accedere ad Euchariſtiam ipſo die habitæ copulæ, eſt contra reuerentiam Sacramenti; ideòque minùs expedit coniugatis. 3.*par.tract.*6. *Miſcell.reſ.*71.

16 Probabile eſt Sacramentum Euchariſtiæ non eſſe medium neceſſarium neceſſitate ſalutis pro omnibus, qui ſaluandi ſunt, ſed tantùm medium vtile, ac morali neceſſitate neceſſarium ad conſeruandam vitam ſpiritualem gratiæ: & ſtando etiam in opinione contraria, tale præceptum dininum neceſſarium neceſſitate ſalutis non obligabit, niſi quando decenter, & reuerenter ſumi poſſit. 3.*par.tr.*6.*reſ.*95. *&* 5.*par.tr.*13.*reſ.*28.

17 Non datur maior gratia ſumenti duas ſpecies, quã ſumenti vnam: vel enim reciperet maiorem gratiam ex parte Symboli, vel ex parte rei contentæ: non priùs, nam ſecluſa re contenta, Symbolum non cauſat gratiam; non poſterius, quia eadem res continetur ſub ſingulis ſpeciebus, ergo. *ibid.reſ.*97. *&* 5.*par.tr.*13.*reſ.*109.

18 Licèt Sacerdotes Regulares virtute ſuorum priuilegiorum, & Sacerdotes ſęculares virtute Bullæ Cruciatæ poſſint eligi ad adminiſtrandam Euchariſtiam in priuatis Oratorijs, non obſtante Epiſcopi prohibitione; tamẽ ęgo vtroſque conſulerem, vt hoc faciant cum licentia Epiſcopi. 4.*part.tract.*4.*reſol.*14.

19 Non eſt peccatum veniale recipere Euchariſtiam ante Confirmationem, quia antiqua conſuetudo Eccleſiæ, qua ſtatim poſt Baptiſmum ſuccedebat Confirmatio, deinde Euchariſtia iam exoleuit. 4.*part.tract.*4.*reſ.*50. *verſ. Nota* 2.

20 Qui miniſtrat Euchariſtiam peccatori, vnum numero peccatum probabiliter committit, conſiſtens in hoc, quòd Sacramentum conferatur indigno, quod neceſſariò inuoluit peccatum recipientis, & proinde ex eo capite non

Digitized by Google

multiplicatur peccatum miniſtri. *ibid. reſol.* 103.

21 Si ægrotus non poſſit res ſuas tranſmittere ſine hauſtu, poteſt ei dari communio impoſita parua parte hoſtiæ cum vino in cochleari. *ibid.* 104. *verſ. Nota etiam.*

22 Si quis ſit in ſcamno communicantium, vt communicet, & aduertat ſe non eſſe ieiunium, ſi poteſt ſine nota ab Altari recedere, non communicet; alioquin recipiat, quamuis non ieiunus. *ibidem verſ. Tandem.*

23 Si quis ſumpſit Euchariſtiam manè, vel Miſſam dixit, & poſt prandium incidat in periculum mortis, poteſt, imò tenetur iterùm Euchariſtiam ſumere, quamuis aliter non ieiunus; quia non ſatisfaceret præcepto ſumendi Euchariſtiam pro eo articulo, etiam ſi paulò antè communicauerit. *ibid. reſ.* 197. & 5. *part. tract.* 3. *reſ.* 33.

24 An ad implendum præceptum annuæ communionis poſſit quis communicare ſine præuia confeſſione, in vtramque partem probabiliter diſſeri poteſt. Hoc quidem probabile eſt, quòd quis poteſt elicere actum contritionis, & communicare, vel celebrare ſine præuia confeſſione, quando cum peccatis non reſeruatis habet peccatum reſeruatum, & adeſt Confeſſarius, qui ſolùm habet poteſtatem in non reſeruata. 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 96.

25 Poteſt quis in die Veneris ſancti communicare, quia id nullo iure prohibitum inuenitur. *ibid. reſ.* 237.

26 Si laicus eſſet in articulo mortis, & non poſſet deglutire particulam Euchariſtiæ, dubium valdè eſt, an ſit ei miniſtranda ſpecies ſanguinis; ſed in facti contingentia conſulendus eſt Epiſcopus. 5. *par tract.* 3. *reſ.* 34.

27 Si contingat Sacerdotem ſacrificantem mori poſt conſecratum, & ante ſumptum ſanguinem, nulluſque adſit Sacerdos, a quo poſſit conſumi, poteſt laicus ſumere ſanguinem, ſi ſeruari non poſſit, niſi cum periculo; vt ſpecies

cies aceſcerent; aut corrumperentur, aut in manus infidelium deuenirent, vel quid ſimile. *ibid.verſ.Sed.*

28 Sacerdos non ieiunus in articulo mortis poteſt celebrare, vt ſe communicet, ſi aliunde ſacram Euchariſtiam habere nequeat. Immò pro communicãdo ſeipſo, vel alio periclitante, vel vt ipſe, vel alij impleant præceptum Paſchale, poteſt celebrare, & communicare ſine Confeſſione, cùm ſola contritione ſi non eſſent hoſtiæ conſecratæ, nec Sacerdos, qui ſacramentaliter abſolueret. *ibid.reſol.36. & tract.13.reſ.63.*

29 Qui ſumpſit Euchariſtiam in tempore Paſchatis, ſi poſt menſes aliquot incidat in periculum mortis, non ſatisfaciet obligationi communicandi in articulo mortis, niſi iterùm communicet, quia ea communio non poteſt dici habere rationem viatici. Et ſi negligat, data copia, id facere, peccat mortaliter, & qui ita ſe gereret, malè audiret. *ibid. reſ.42.*

30 Qui in articulo mortis ſumpſit viaticum, non tenetur illud iterùm ſumere, ſi peccauerit mortaliter, quia Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, ſed ſolùm neceſſitate pręcepti; cui cùm ſemel ſatisfactum eſt, non obligat ampliùs pro illo articulo, ſed pro alio. Diſpar verò ratio eſt de pœnitentia. *ibid. reſ.43.*

31 Infidelis in articulo mortis naturali, vel violento, conuerſus ad fidem, inſtruatur priùs eo modo, quo in tali caſu fieri poteſt, & poſt Baptiſmum ſacra Euchariſtia ei porrigatur. *ibid.reſ.45.*

32 In articulo mortis, ſecluſo ſcandalo, aut infamia Religionis poteſt ſumi Euchariſtia è Sacerdote excommunicato nominatim, publico Clerici percuſſore, hæretico, &c. ſi alius non adſit, quia cùm in hoc caſu poſſit accipere ab ipſis abſolutionem, poterit etiam licitè Euchariſtiam

ſumere. *ibid. reſ.*49.

33 Licitum eſt Religioſis miniſtrare viaticum in periculo mortis, abſente Parocho, ſi periculum ſit in mora. *ibid. reſ.*51. Immo ſine licentia Parochi poſſunt illud miniſtrare ſuis familiaribus in periculo. *ibidem reſol.*52.

34 Si ægrotus patiens vomitum nihil cibi retineat, non eſt ei danda Euchariſtia. Si verò modicum cibi retineat, poterit miniſtrari experientia priùs facta cum hoſtia non conſecrata: quòd ſi contingat vt Euchariſtiam vomat, accipiatur, & in ſacro aliquo reponatur loco, & cùm corruptæ ſacræ ſpecies fuerint in ſacrarium proijciantur. *ibid. reſ.*55.

35 Surdus, & mutus non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam in vita videntur communicandi, ſi ſciant ſcribere, & per conſequens legere. Immò etiam ſi neſciant legere, ſunt communicandi; quia cùm vt plurimum ſint perſpicacis, & acuti ingenij, per ſigna, & nutus poteſt ei explicari myſterium Euchariſtiæ, & poſteà communicari. 5. *par. tr.* 6. *reſ.*6. & 7.

36 Sacerdos mutus non poteſt quidem conſecrare, Euchariſtiam, ſed conſecratam poteſt adminiſtrare alijs tempore neceſſitatis, aut abſentiæ, vel impedimenti Sacerdotis, & in periculo. *ibid. reſ.*18.

37 Sumptio tabachi in folio, & puluere non impediũt Communionem, quia non ſumuntur per modum cibi, vel potus, nec per modum comeſtionis, & potationis. Neque tabachus in fumo Euchariſtiæ ſumptionem impedit, quia non deſcendit in ſtomachum, ſed ſtatim per nares exit. Si verò folia tabachi, vt ab aliquibus apponuntur in nare, apponerentur in ore, tunc impediret communionem, quia ſic tranſmitteretur in ſtomachum, & ſumeretur per modum cibi. *ibid. tract.* 13. *reſ.*1.

38 Re-

Digitized by Google

38 Recipiens Euchariſtiam contra præceptum aliquod humanum, vt accidit maximè in excommunicatis, non committit duo peccata, vnum contra prohibitionem illam, alterum quia communicat indignè; quia vtrumque præceptum eſt ex eodem motiuo Religionis, plura autem præcepta ex eodem motiuo non multiplicant peccata. *ibid. reſ.62.*

39 Non videtur Sacerdos poſt conſecrationem particularum, poſſe illas ponere in Tabernaculo, vel extra aram, & multò minùs dare alteri Sacerdoti pixidem, vt illas in alio altari populo diſtribuat; ſed conueniens eſt expectare poſt completam Miſſam, vel poſt Sacerdotis Communionem. *ibid. reſ.72.*

40 In vero dubio an quis habeat peccatum mortale, non poteſt ſumere Euchariſtiam ſine confeſſione; ſi enim contrarium eſſet verum, ſequeretur non adeſſe obligationem confitendi peccata dubia, quod nullo pacto concedi poteſt. *ibid. tr.14. reſ.64.*

41 Si quis ratione ſcandali deberet ſumere Euchariſtiam, & confeſſio eſſet adeò longa, vt perfici non poſſet, & timeretur actum contritionis a pœnitente eliciendum non fore, poterit in tali caſu confeſſio dimidiari, & pœnitens abſolui, vt communicet, deinde proſequatur cõfeſſionem. *ibid. reſol.53.*

42 In ieiunio pro Euchariſtia ſumenda non datur paruitas materiæ; ideòque peccaret mortaliter, qui frangeret naturale ieiunium ante communionem ſumpta quantumlibet minima parte cibi, niſi per modum ſaliuæ, aut reſpirationis ſumatur, vel attrahatur. 5. *par. tract.* 5. *reſol.* 12.

Digitized by Google

Sacramentum Pœnitentiæ.

1 POenitens nolens acceptare pœnitentiam ſatisfactoriam, ſibi a Confeſſario iniunctam, non eſt abſoluendus; debet enim illam acceptare ſub onere peccati mortalis. *3. par. tr. 4. reſ. 51. & 2. par. tr. 15. & 1. Miſcell. reſol. 52.*

2 Non eſt peccatum inſpirationibus diuinis ad conſilia exhortantibus non reſpondere: cùm enim ſequi conſilia non ſit ſub præcepto, ſed ſub conſilio, nec etiam non reſpondere vocationi ducenti ad conſilia, erit peccatum veniale; quare non eſt neceſſe hos defectus in confeſſione aperire. Obſiſtere autem inſpirationi diuinæ, quando offertur occaſio violandi aliquod præceptum, non eſt peccatum diſtinctum à tranſgreſſione ipſius præcepti. *3. part. tract. 4. reſ. 52.*

3 Pœnitens poteſt auctoritate propria commutare pœnitentiam ſatisfactoriam ſibi à Confeſſario impoſitam, in aliud opus euidenter melius; offert enim abundantiorem ſolutionem pro debito. Poteſt etiam quilibet Confeſſarius ex iuſta cauſa commutare pœnitentiam, etiamſi fuerit ab alio data ob peccata reſeruata, etiam non repetita priori confeſſione, modò id faciat in confeſſione, & non extra, niſi ab eodem Confeſſario pœnitentia commutaretur; poterit enim ille commutare pœnitentiam extra confeſſionem, ſi ad ſummum intra hebdomadam pœnitens redeat; quia in hoc caſu cenſetur adhuc idem iudiciū. *ibid. reſ. 53. & 2. par. tr. 15. & 1. Miſcell. reſol. 53. & 5. par. tr. 14. reſ. 73.*

4 Poteſt Confeſſarius imponere pœnitenti in ſatisfactionem Sacramentalem, opus pœnale applicandum pro animabus Purgatorij, vel orationes pro illis recitandas.

Licèt

Licèt enim ſatisfactio Sacramentalis vt habet effectum ex opere operato, non poſſit pro alio offerri, vel alteri applicari, quia effectus Sacramenti ex inſtitutione Chriſti datur recipienti Sacramentum; tamen illa ſatisfactio quatenus eſt opus pœnale ex opere operantis, poteſt pro altero offerri, & alteri applicari; ideòque poteſt opus pęnale imponi pęnitenti in ſatisfactionem Sacramentalem, cum obligatione, vt illud opus applicet animabus Purgatorij. 3. *par.tr.*4.*reſ* 54. *& in Addit. in fine* 3.*par.reſ.* 11.

5 Qui habuit ſeptem Pſalmos pro pęnitentia recitandos per aliquot ſextas ferias, flexis genibus, coram Crucifixo, ſatisfacit recitando ſine illis circumſtantijs; ſunt enim quid accidentale. 3.*par.tr.*4.*reſ.*55.

6 Qui miniſtrat Sacramenta Pęnitentiæ, Baptiſmi, &c. cum excommunicatione minori, peccat venialiter. *ibid.reſ.*56.

7 In periculo mortis poteſt quilibet Sacerdos abſoluere à cenſuris, & reſeruatis; etiamſi ſit ſuſpenſus, irregularis, excommunicatus, degradatus, imò etiam hæreticus, ceſſante periculo peruerſionis. Idque intelligendum non tantùm in graui morbo, ſed etiam in probabili mortis periculo, quod quis adit, etiam a die prima infirmitatis periculoſæ, vel ſine neceſſitate, ſed propria ſponte, v.g. in bello iuſto, longa maris nauigatione, &c. *ibid. reſ.*57.

8 Sacerdos non poteſt abſoluere pœnitentem, qui habet peccata reſeruata, cum onere, vt ea ſola Superiori poſteà confiteatur: licèt contrarium ſit etiam probabile. *ibid. reſ.*58.

9 Poteſt quis ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, vel aliud a miniſtro malo, ſi ab Eccleſia toleratur, & paratus eſt ad miniſtrandum: quia licet vti peccato alieno in proprium commodum, modò non inducatur ad peccandum:

Digitized by Google

hic autem Sacerdos non inducitur ab vllo, ſed ſponte paratus eſt. *ibid. reſ.* 59.

10 Si quis poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem dubius manet, an mortaliter peccauerit, & in neutram partem inclinat, debet peccatum illud ſub dubio confiteri. *ibid. reſ.* 60.

11 Aqua luſtralis, ſeu benedicta, ex opere operato delet peccata venialia: illa enim aqua eleuatur a Deo, vt verè & realiter tangat animam contactu virtuali; vt Angelus cœlum, quando illud mouet. *ibid. reſ.* 61.

12 Qui non vult Confeſſario manifeſtare ſe aliquod peccatum commiſiſſe ab vltima confeſſione, poteſt illud confiteri inter alia peccata priùs confeſſa, quando ſcilicet facit confeſſionem generalem. *ibid. reſol.* 62.

13 Qui ſolùm meminit ſe peccaſſe mortaliter, ſpeciem autem peccati non recordatur, poteſt illud tantùm in genere confiteri: eſt enim ſufficiens materia abſolutionis. *ibid. reſ.* 66.

14 Vt poſſit Sacerdos validè confeſſiones audire, ſufficit ratihabitio de præſenti: eſt enim conſenſus tacitus, & interpretatiuus, qui ſufficit. *ibid. reſol.* 68.

15 Qui præuidet quando obligabit confeſſio, ſibi non fore copiam Confeſſarij, debet præuenire tempus. *ibidem reſol.* 69.

16 In Sacramento Pœnitentiæ, ſatisfactio cauſat gratiam ex opere operato; neque peccat mortaliter qui illam implet in peccato mortali; non enim ponit obicem effectui eſſentiali Sacramenti, quem pœnitens conſequitur in inſtanti terminatiuo prolationis verborum (*Ego te abſoluo, &c.*) Sed tantùm obſtat perfectioni & integritati eiuſdem effectus. *ibid. reſ.* 70.

17 Non quælibet mulieres parturientes, & partus do-

lores iamiam ſentientes, cenſentur poſitæ in periculo mortis, itavt poſſint a cenſuris & reſeruatis abſolui: ſed illæ tantùm, quæ numquam pepererunt, vel quæ difficiles, & periculoſos partus habere ſolent. *ibidem reſol. 72.*

18 Confeſſarius abſoluens a caſibus Epiſcopo reſeruatis, ſine prætextu alicuius priuilegij, incidit in cenſuram, & pœnas Decreti Clem. VIII. niſi excuſet ignorantia, inconſideratio, aut ſpes ratihabitionis. Non tamen incurreret in has pœnas Religioſus, qui ſine facultate abſolueret a caſu in Religione reſeruato. Porrò hic Sacerdos, qui incidit in excommunicationem abſoluendo a reſeruatis, abſque Epiſcopi facultate, poteſt ab ipſo Epiſcopo abſolui. *ibidem reſol. 73.*

19 Si Superior abſoluit ſubditum a reſeruatis tantùm, tenetur poſteà illa ipſa cum alijs non reſeruatis inferiori Sacerdoti confiteri. *ibid. reſ. 74.*

20 Superior, aut quiuis alius non poteſt denegare ſuffragium alicui ob defectum, quem nouit ſolùm per confeſſionem, quando ſecreta ſunt ſuffragia: quia non licet vti ſcientia per confeſſionem acquiſita in ijs, quæ pœnitentem grauare poſſunt; eſt enim fugiendum quidquid illud Sacramentum reddere poteſt odioſum: at nihil poteſt illud reddere magis odioſum hominibus, quàm ſi intelligant ſibi poſſe negari ſuffragia ad communes honores ob notitiam confeſſionis: & contraria ſententia eſt admodum periculoſa. Si tamen is, de quo eligendo agitur, habeat alios defectus, puta ætatis, ſcientiæ, &c. non tenetur Confeſſarius ei dare ſuffragium, quem ex confeſſione nouit indignum. *ibid. reſ. 76.*

21 Qui ad linteum altaris adſtat paratus communicare, ſi recordetur alicuius peccati mortalis, in confeſſione

per

Digitized by Google

per obliuionem omiſſi, non tenetur ante communionem redire ad Confeſſarium; excuſatur enim propter reuerentiam Sacramenti. Idem dicendum de Sacerdote ſtante ad altare; ſufficit enim tunc elicere contritionem, cum propoſito poſteà confitendi. *ibid. reſ.77.*

22 Si quis in Paſchate non poteſt confiteri peccata mortalia propter aliquod periculum, vel infamiam, non tenetur venialia confiteri ad implendum præceptum annuæ confeſſionis. *ibid. reſ.75.*

23 Innodatus aliqua excommunicatione, etiam reſeruata, ſi bona fide confiteatur peccata non reſeruata cùm reſeruatis, validè abſoluitur: quia excommunicatio non irritat abſolutionem; niſi quis excommunicatus ſciens vellet Sacramentum ſuſcipere. Quod verum eſt, etiamſi Confeſſarius ſciens peccata habere annexam excommunicationem; tamen ex malitia pœnitentem abſoluat, licèt non poſſit. *ibid. reſ.78.*

24 Si proprius Paſtor iniuſtè deneget alicui licentiam confitendi peccata alteri Sacerdoti; tamen confeſſio alteri facta eſt valida. Si quis tamen in Paſchate non poteſt ſine periculo ſalutis & famæ, proprio Parocho confiteri, & non vult Parochus illi concedere facultatem alteri confitendi, non violat præceptum Eccleſiæ, ſi non confiteatur; ſed eliciendo actum contritionis poteſt ad Euchariſtiam accedere. *ibid. reſ.79.*

25 Si Confeſſarius intelligat pœnitentem laborare ignorantia inuincibili, vel ſaltem moraliter non culpabili, & nullum ſperet fructum ex admonitione, ſed potiùs animi inquietitudinem, rixas, vel ſcandala, diſſimulare debet; & cauere ne dum à pœnitente interrogatur, plus reſpondeat quàm interrogatur: ſic enim, cùm admonitio nihil ſit profutura, ignorantia excuſabit à peccato. *ibid. reſol. 80.*

26 Po-

Digitized by Google

26 Poteſt Confeſſarius imponere pęnitentiam omninò liberam faciendam arbitrio pœnitentis; neque requiritur ſemper, vt iniungat aliquod opus in particulari, præſertim perſonis ſpiritualibus; ſed ſufficit ſi dicat: *Impono tibi pro pœnitentia quidquid hodie, vel hac hebdomada boni feceris, vel mali paſſus fueris.* Poteſt etiam pęnitentia de licentia Confeſſarij, iuſtam ob cauſam per alium impleri. *ibid. reſ. 82. & 4. par. tract. 4. reſ. 241. verſ. Notandum.*

27 Poteſt aliquando opus alioquin præceptum iniungi in pęnitentiam. Si tamen Sacerdos iniungit pęnitenti ieiunium abſolutè, non ſatisfacit pęnitens per ieiunium ab Eccleſia indictum; niſi aliud ex verbis confeſſarij colligi poſſit. *ibid. reſ. 84. & 4. par. tract. 4. reſ. 241.*

28 Satisfactio Sacramentalis in peccato facta, reuiuiſcit cùm homo reſurgit per contritionem. Cùm enim ſatisfactio ſit pars integrans Sacramenti pęnitentiæ, recedente fictione conſequetur ſuum effectum non tantùm quoad gratiam, ſed etiam quoad remiſſionem pęnæ. *ibid. reſol. 85. & 5. par. tract. 13. reſol. 38.*

29 Qui accedit ad Confeſſarium, generalem confeſſionem facturus, non tenetur aperire omnia peccata mortalia. *ibidem reſol. 86.*

30 Quando Confeſſarius commiſit aliquem defectum in confeſſione, quia v. g. non obligauit pęnitentem ad reſtitutionem, non poteſt cum illo loqui de ſupradicto defectu ſine ipſius licentia, quam ſi negat, culpa in pęnitentem transfertur. Neque extra confeſſionem licet agere cum pęnitente de errore qui interuenit in confeſſione corrigendo ſine eiuſdem facultate. *ibidem reſ. 87.*

31 Peccator, qui diu fuit in malo ſtatu, & conſuetudine inueterata alicuius peccati; ita vt non poſſit deſignare numerum, ſatisfaciet declarando tempus, quo vixit in tali ſtatu.

ſtatu. Tamen meretrix debet, etiam præter tempus, præcipuas ſpecies peccatorum enumerare, vt ſi peccauit cum Sacerdote, cum coniugato, cum affine, vel conſanguineo, &c. Hinc infertur non eſſe cogendos ruſticos ad priores confeſſiones repetendas factas ſine ſpecificatione, nnmero, & diligentia. *ibid. reſ. 89.*

32 Qui ſæpius vouit, aut iurauit, ſe aliquid facturum, violando votum, aut iuramentum, vnum tantùm peccatum committit, neque hæc circumſtantia eſt in confeſſione aperienda. *ibid. reſ. 90.*

33 Qui confeſſus eſt de peccato vt dubio, ſi poſteà cõperiat ſe illud peccatum commiſiſſe, tenetur illud iterùm in confeſſione aperire vt certum. *ibid. reſ. 91.*

34 Qui non adimplet pœnitentiam tempore a Confeſſario præfixo, ex negligentia, peccat venialiter; ſin iuſta de cauſa differat non peccat. *ibid. reſ. 92.* Datur enim in hoc paruitas materiæ. 5. *par. tract. 5. reſ. 15.*

35 Si æger verſetur in probabili mortis periculo, & monitus a medico nolit confiteri, non eſt propterea poſt tertium diem a medico deſerendus. Imò quando creditur certò monitionem nihil pro futuram ob ægri obſtinationem, nec medicus tenetur eum admonere, nec deſerere: nam in hoc caſu non obligat Conſtitutio Pij V. qua voluit conſulere ſaluti ægri, & nil fruſtraneum præcipere, qualis eſſet hæc admonitio. *ibid. reſ. 93.*

36 Quando repetitur ſæpius eadem peccandi voluntas, ſunt plura numero peccata in confeſſione exprimenda, ſeu interrupta fuerit illa voluntas naturali obliuione (quod tamen quidam probabiliter negant) ſeu contraria voluntate. *ibid. reſ. 95.*

37 Qui mentitur ſe veniale peccatum admiſiſſe, quod eſt tota materia confeſſionis, peccat mortaliter: quia mendacium

Digitized by Google

dacium illud efficit Sacramentum nullum, cùm nulla materia ſubijciatur abſolutioni. *ibid.reſ.96.*

38 Ne Confeſſarij ſcrupulis angantur in pœnitentijs imponendis, poſt abſolutionem addant illam clauſulam (*quidquid boni feceris & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum*:) homines enim vt plurimùm bona multa faciunt, & mala plurima ſuſtinent, quæ ſic applicata, rationem habent ſatisfactionis ſacramentalis. *ibid.reſ.97.*

39 Infirmus in articulo mortis poſitus, non tenetur in rigore, & ex præcepto elicere actum contritionis de omnibus peccatis mortalibus, quæ commiſit in vita; ſed ſufficit confeſſio cum attritione cognita: nam Conc. Trid. docet ad ſalutem, & gratiam a Deo impetrandam ſufficere attritionem cognitam cum pœnitentiæ Sacramento. Optimum tamen factu reor, in articulo mortis excitare perfectum dolorem de peccatis ob amorem Dei. *ibid. reſol.98. & 5.par.tract.3.reſ.76.*

40 Cautè admodũ ſe gerere debent Confeſſarij, quando de quibuſdam peccatis interrogant pœnitentes, maximè fęminas. Præſtat enim aliquando Sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis cognoſcere, quàm vel illi, vel ſibi ſcandalum creare. *ibid.reſ.99.*

41 Qui pœnitentiam leuem ſibi pro peccatis iniunctã culpabiliter omittit, non peccat mortaliter. Imò etſi pœnitentia ſit grauis, ſed ob venialia tantùm peccata iniuncta, eius omiſſio erit tantùm peccatum veniale; niſi ex illa omiſſione ſequatur periculum mortaliter peccandi. *ibid. reſ.102.& 5.par.tr.5.reſol.51.*

42 Confeſſarius ſæcularis vnius diœceſis poteſt abſoluere pœnitentem alterius diœceſis a caſibus reſeruatis, modò id non fiat in fraudem proprij Ordinarij. *ibidem reſol.103.*

43 Quam-

43 Quando Confeſſarius ſcit certò pœnitentem commiſiſſe peccatum, & non eſſe confeſſum, non debet illum abſoluere: quia non eſt applicanda forma Sacramenti ſubiecto non diſpoſito. *ibidem reſ.* 105.

44 Qui ſingulis diebus ex deuotione recitat officium B. Virginis, ſi habuit pœnitentiam recitandi quotidie per annum coronam eiuſdem B. Virginis, non ſatisfacit huic pœnitentiæ per recitationem ſupradicti officij; neq; enim poteſt pœnitenti conſtare, an per illam recitationem ſatisfaciat pœnæ, cui ſatisfacit opus per pœnitentiam iniunctũ. *ibid. reſ.* 106.

45 Nullus poſt mediocrem adhibitam in diſcuſsione conſcientiæ diligentiam in ordine ad confeſsionem, tenetur vlteriùs de antè acta vita cogitare; quòd ſi quid occurrat quod non videatur explicatum in confeſsione, poterit ſibi perſuadere illud iam fuiſſe memoratum. *ibidem reſol.* 107.

46 Qui ob ignorantiam omiſit aliquod peccatum in confeſsione, eò quòd putaret non eſſe tale; ſi poſteà ſciuerit illud eſſe mortale, non tenetur repetere priorem confeſsionem, ſed tantùm confiteri quod fuit omiſſum. Item ſi poſt confeſſionem aliquam inualidam fecit quis debitè alias intermedias, in quibus tamen ex obliuione non eſt confeſſus defectum inualidæ confeſſionis, non eſt opus omnes priores confeſſiones reiterare, ſed ſufficit ſolùm defectum nullitatis & peccata in ea confeſsione explicata aperire; quia confeſsiones intermediæ validæ fuerunt. *ibid. reſol.* 108.

47 Si pęnitens bona fide ſua peccata aperuit, & culpa in ſolo Confeſſario reſedit ob ſurditatem, ſomnolentiam, aut animi euagationem, abſolutio data valida eſt, & fructuoſa: ſi tamen pęnitens poſteà cognoſcat vnum vel plura pecca-

Digitized by Google

peccata mortalia, non fuiſſe a Confeſſario intellecta; debet ea ſola cum alijs poſteà commiſsis in ſequenti confeſſione iterùm explicare. *ib. reſ.* 109. & 4. *par. tr.* 4 *reſol.* 198.

48 Non poteſt Parochus concedere facultatem ſimplici Sacerdoti ad excipiendas ſuorum confeſsiones; ſed tantùm approbatis à quocumque tandem Epiſcopo: quare ſi approbatus in vna diœceſi ad aliam ſe transferat, poterit ibi a Parocho, ſeù Superiore Regularium aſſumi ad ſuorum confeſsiones audiendas abſque noua approbatione Ordinarij; neque hi Confeſſarij ſunt ab Ordinario puniendi: in praxi tamen contrarium eſt obſeruandum. *ibid. reſ.* 110.

49 Si pęnitens abſque neceſsitate manifeſtauit complicem ſui peccati in confeſsione, tenetur Confeſſarius complicis peccatum occultare ſub ſigillo confeſsionis: quia peccatum complicis eſt ita coniunctum cum peccato pęnitentis, vt vix vnum ſine altero cognoſci poſsit. *ibid. reſ.* 111.

50 Qui inuenit chartam, in qua ſcripta erant alicuius peccata, tenetur ſub ſigillo illa abſcondere, ſiue iam confeſſio facta ſit, ſiue adhuc facienda: quia illa charta eſt quaſi ipſa confeſſio ſcripta, ac proinde ſacro ſigillo obſignata. *ibid. reſ.* 112.

51 Non licet Confeſſario interrogare pœnitentem de complice, in ordine ad ipſius correctionem: quia finis Sacramenti Pœnitentiæ eſt iuſtificatio pœnitentis, non emẽdatio complicis. *ibid. reſ.* 113.

52 Scandalum actiuum, quando non eſt ſpeciale peccatum, eſt circumſtantia adeò aggrauans, vt ſit in confeſſione explicanda: nam qui induxit mulierem ad peccandum, non ſatisfacit integritati confeſſionis, ſi dicat: *Peccaui cum quadam muliere*, niſi addat: *Et illam ad peccandum indu-*

Digitized by Google

induxi. Explicandus eſt etiam numerus perſonarum, quibus datum eſt ſcandalum etiam vnico peccato. *ibid. reſol.* 114. & 5. *par. tract.* 13. *reſol.* 5.

53 Poteſt Confeſſarius iniungere pœnitenti pro pęnitentia, vt a ſacra Communione abſtineat. *ibid. reſ.* 115.

54 Quando quis confitetur peccata olim confeſſa, tenetur elicere nouum dolorem: debet enim ſemper adeſſe nouum motiuum erubeſcentiæ, & doloris quoties quis confitetur. *ibid. reſ.* 116.

55 Probabilius eſt ad remiſſionem peccatorum venialium extra Sacramentum Pœnitentiæ in iuſtis ſufficere attritionem cum propoſito illa vitandi in poſterum. Notandum ſi quis confiteatur multa peccata venialia, ſufficere ad validitatem Sacramenti, ſi doleat tãtùm de aliquo cum propoſito illud vitandi; quia vnum peccatum veniale remitti poteſt ſine alio. *ibid. reſ.* 117.

56 Moriens, abſente Confeſſario, non tenetur reuocare in memoriam omnia peccata ſingillatim, vt de illis eliciat actum contritionis, ſed ſufficit, vt illa in vniuerſum deteſtetur. *ibid. reſ.* 118.

57 Ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ conſequendum, ſufficit implicitum propoſitum non peccandi in poſterum, quod in ipſa deteſtatione peccatorum virtualiter continetur: quare ſi quis occupatus vel in conſcientia examinanda, vel in vita antè acta deteſtanda, vel in Dei miſericordia imploranda, vel in amore Dei excitando, & non cogitet actu dicens, *volo abſtinere à peccatis*; ſed bona fide eat ad confeſſionem, verè eſt cõtritus, quia in illis actibus ſuprà memoratis includitur ſufficiens propoſitum vitæ emendandæ. *ibid. reſ.* 119.

58 Probabile eſt per confeſſionem inualidam ex culpa pęnitentis, præceptum annuæ confeſſionis impleri, atque

Digitized by Google

que adeò vitari pęnam excommunicationis a Conſtitutionibus Epiſcopalibus impoſitã tranſgredientibus hoc præceptum: quia Eccleſia ſolùm externum cõfeſſionis actum poteſt præcipere, de occulto autem defectu non iudicat. Contrarium tamen eſt probabilius. *ibid.reſ.*120.

59 Qui bona fide confeſſus eſt Sacerdoti valdè ignoranti, non tenetur poſteà confeſſionem iterare. Secùs autem ſi de induſtria quæſiuit Confeſſarium & ignarum, & inſufficientem ad eius confeſſionem excipiendam. *ibidem reſ.*121. *&* 4.*par.tr.*4.*reſ.*101. *&* 5.*par.tr.*14.*reſ.*22.

60 Non videtur iteranda confeſſio facta Confeſſario intruſo, qui cum falſis litteris ſe gerit pro Parocho: quia error communis videtur conferre iuriſdictionem. Item ſi pœnitens ſciat Confeſſarium non habere iuriſdictionem, quod ipſe Confeſſarius, & populus ignorant, poterit pęnitens ab illo petere abſolutionem, quæ validè conferetur. *ibid.reſ.*122.

61 Si Confeſſarius ne in confuſo quidem ſtatum pœnitentis recordetur poſt confeſſionem iam pridem auditam, quæ fuit inualida, non tenetur pœnitens ſuperiora peccata repetere; ſed poteſt Confeſſarius ex cognitione quam hauſit ex proxima confeſſione, illum validè abſoluere, vtpotè, iam benè diſpoſitum: tamen peccabit Confeſſarius, quia non poteſt rectè fungi ſuo munere in pęnitentia imponenda. *ibid.reſ.*123.

62 Qui in confeſſione Paſchatis poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, omiſit aliqua peccata per obliuionem, & paulò poſt confeſſionem redit in memoriam illorum, poteſt illa differre in ſequentem annum; quia Eccleſia obligat tantùm ad confitenda peccata commiſſa illo anno quæ memoriæ occurrant, poſt adhibitam ſufficientem diligentiam. *ibid. reſ.*124.

Digitized by Google

63 Si quis in Paſchate habeat peccata mortalia, quæ ex iuſta cauſa non debeat Confeſſario aperire, non tenetur venialia confiteri: quia nulla lex obligat fideles ad peccatorum venialium confeſſionem. *ibid reſ.* 125.

64 Qui ſibi non eſt conſcius peccati mortalis, non tenetur confiteri pro Iubilæo conſequendo: quia iam eſt in ſtatu gratiæ, nec habet neceſſariam materiam confeſsionis. *ibid. reſ.* 126.

65 Si quis prohibitus verecundia, non auderet peccata ore confiteri, non peccaret mortaliter, ſi per ſcriptum præſenti Sacerdoti confiteretur. Item ſi ægrotus præ gutturis, & faucium dolore, ægrè poſsit ore confiteri, poſſet autem faciliùs per ſchedam peccata aperire, omninò eſſet abſoluendus; quia conſuetudo ore proprio confitendi, in hoc caſu tàm grauiter non obligat. *ibid. reſ.* 127.

66 Neque in Paſchate, neque in articulo mortis tenetur per ſcriptum confiteri, qui aliter non poteſt: quia hic confitendi modus eſt inuſitatus, nec periculo vacat. *ibid. reſ.* 128 & 5. *part. tract.* 14. *reſ.* 128. Per interpretem autem confiteri, præcepto Eccleſię nemo tenetur: eſt enim aliquo modo publica confeſsio. At ſi ægrotus probabiliter dubitat, an habeat contritionem, tunc tenetur ex charitate per interpretem confiteri, ſi aliter nequit, ne ſe exponat periculo damnationis: poteſt tamen ſubticere peccata maioris infamiæ; imò, vt nonnulli cenſent, poteſt confiteri aliqua peccata venialia in ſpecie, & generatim omnia mortalia. Tamen in eo ſtatu, tutius eſt omnia peccata confiteri; quia interpres tenetur ſeruare ſigillum. *ibid. reſ.* 129 & 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 72.

67 Probabilius eſt eum, qui non impleuit præceptum annuæ confeſſionis, teneri primo quoque tempore confiteri. Tamen negatiua ſententia eſt etiam probabilis: quia

præ-

præceptum affirmatiuum obligans pro certo aliquo, & determinato tempore, eo tranſacto non obligat ampliùs; vt præceptum ieiunij, Miſſæ audiendæ, diuini officij recitandi, &c. *ibid. reſ.* 130.

68 Qui duos habet Confeſſarios, quorum alteri confitetur mortalia, alteri venialia, non peccat: eſt enim confeſſio integra, neque eſt vera hypocriſis, neque mendacium; licèt velit conſeruare bonam famam apud Confeſſarium. Per accidens tamen poſſet eſſe peccatum mortale, ſi ob hanc cauſam pœnitens maneret in occaſione peccati mortalis. *ibid. reſ.* 132.

69 Probabile eſt abſolutionem ab excommunicatione à laico, homini moribundo datam, validam eſſe, itavt in loco ſacro ſepeliri poſſit. Imò nonnulli DD. cenſent, hominem baptizatum, etiam hęreticum, & præciſum, in articulo mortis abſoluere poſſe ab excommunicatione. Negatiua tamen ſententia eſt probabilior: quia ſolis Sacerdotibus conceſſa eſt facultas abſoluendi. Non tamen eſt dubium, quin poſſit laicus in articulo mortis, quando non adeſt Sacerdos, applicare moribundo indulgentias Bullæ Cruciatæ. *ibid. reſ.* 133.

70 Si pœnitens poſt narrata peccata eliciat actum doloris, & dicat: *Doleo de peccatis narratis*, & petat abſolutionem; hæc ſola verba ſufficiunt ad veram rationem confeſſionis, quæ eſt pars eſſentialis Sacramenti Pęnitentiæ. *ibid. reſ.* 134.

71 Qui per vnum annum omiſit confeſſionem, quò diutius illam differt ſine cauſa, eò magis peccatum auget; non tamen peccat toties, quoties data opportunitate non confitetur. *ibid. reſ.* 135.

72 Concubitus viri Chriſtiani cùm infideli eſt circumſtantia in confeſſione aperienda; quia mutat ſpeciem

Z 2 Non

Digitized by Google

Non tamen damno contrariam ſententiam aſſerentium non eſſe peccatum diſtinctum a ſimplici fornicatione. *ibidem reſ.* 138.

73 Vicarius Epiſcopi, qui habet poteſtatem ſubdelegandi, poteſt abſolui ab alio, ſi incidit in caſum reſeruatum à ſuo Epiſcopo: nam ſubdelegatus à Vicario fungitur vice primi delegantis; & perinde eſt ac ſi ipſe primò delegans delegaſſet. Item Epiſcopus ſi in caſum incidit ſeruatum Summo Pontifici, a quo ipſe poteſt alios abſoluere, delegando eam facultatem alteri, ab eo abſolui poteſt. *ibid. reſ* 142.

74 Qui vi, metu, fraude, aut alio modo inter infideles exteriùs fidem negauit, corde tamen illam retinens; peccauit quidem grauiſſimè contra externam fidei profeſsionem, non tamen eſt hæreticus, nec incurrit excommunicationem, & poteſt a quocumque Confeſſario approbato abſolui. Quia infidelitas, aut hæreſis externa abſque terrore interno non ſubiacet excommunicationi: in foro tamen externo iudicabitur excommunicatus. *ibid. reſ.* 143.

75 Confeſſarius in vna diœceſi approbatus, poteſt aliquem illius diœceſis abſoluere extra territorium: cùm enim eiuſmodi confeſſarij habeant iuriſdictionem in perſonas pœnitentium, non eſt habenda ratio territorij. *ibidem reſol.* 144.

76 Qui fuit abſolutus a peccatis in virtute Iubilæi, quod tamen poſteà non eſt lucratus, ſi poſteà meminit ſe per obliuionem omiſiſſe aliqua peccata reſeruata, poteſt ea cuicumque confeſſario aperire, & ab eo validè abſolui: quia per priorem confeſsionem, in qua fuit ab omnibus peccatis abſolutus, ſublata eſt reſeruatio. Neque putandum eſt, ſi quis confeſſus poſteà non eſt lucratus Iubilæum, reſeruationem aut excommunicationem redire;

non

Digitized by Google

non enim abſolutus eſt ab excommunicatione ad reincidentiam: neque peccat mortaliter mutando voluntatem; & non lucrando Iubilæum. *ibid. reſ.* 145.

77 Qui de Confeſſarij conſenſu diſtulit confeſsionem poſt tranſactum Iubilæum, poteſt ab illo abſolui à caſibus reſeruatis poſt elapſum Iubilæum commiſsis: hæc enim videtur eſſe mens Summi Pontif. alioquin iſte non poſſet lucrari Iubilæum, atque ità Confeſſario morem gerens eſſet deterioris conditionis, quàm alij. *ibid. reſ.* 147.

78 Confeſſarius virtute Iubilæi poteſt abſoluere a caſibus Epiſcopo reſeruatis; cùm poſsit abſoluere a reſeruatis Pontifici. *ibid. reſ.* 149.

79 Qui conſecutus eſt Iubilæum, non tamen confeſſus, quia peccati mortalis ſibi conſcius non erat, non poteſt tranſacto Iubilæo, a peccatis reſeruatis ante illud commiſsis, & per obliuionem omiſsis abſolui: quia cùm hic non fuerit tempore Iubilæi confeſſus, non fuit vllo modo ſublata reſeruatio. Contrarium tamen etiam eſt probabile. *ibidem reſ.* 150.

80 Qui tempore Iubilæi omiſit in confeſsione peccatum reſeruatum ex iuſta cauſa, putà ne manifeſtaret complicem, poteſt elapſo Iubilæo ab hoc peccato à quocumque confeſſario abſolui; quia reſeruatio cenſetur indirectè ablata. *reſ. eadem.*

81 Qui ſemel lucratus eſt Iubilæum, non poteſt illud ipſum alibi iterùm lucrari. Qui tamen ex ignorantia inuincibili neſciuit promulgatum eſſe Iubilæum, poterit illo tranſacto, intra duas hebdomadas a die notitiæ lucrari. *ibid. reſ.* 151.

82 Qui noluit conſequi Iubilæum, ſi die Sabbathi ſecundæ hebdomadæ mutet illud propoſitum, poterit abſolui a reſeruatis, & conſequi Iubilæum, dummodo ieiu-

Digitized by Google

nia commutentur. Si quis autem adimpletis omnibus ad Iubilæum requiſitis, die Dominica, quæ eſt vltima Iubilæi, velit Euchariſtiam ſumere, & imprudens aliquid deglutiat, poteſt Confeſſarius Communionem in aliud opus pium commutare. *ibid.reſ.*152.

83 Ad Iubilæum conſequendum non eſt neceſſe omnia opera præſcripta intra eandem hebdomadam implere. Qui autem omnibus peractis incidit in caſum reſeruatum, poteſt ab illo abſolui virtute Iubilæi, etiamſi anteà eſſet lucratus Iubilæum; quia tempus Iubilæi nondùm effluxit. *ibid.reſol.*153.

84 Qui fecit confeſsionem ſacrilegam, & ſumpſit Euchariſtiam indignè, ſi in vltimo Iubilæi termino per actum contritionis, cum Deo redeat in gratiam, conſequetur Iubilæum. *ibid.reſ.*148.

85 Nullus ob periculum obliuiſcendi multa peccata mortalia, tenetur iure diuino ante annum confiteri. *ibid. reſol.*155.

86 Parochus in ſua Parœcia reſidens, ſed per alium adminiſtrans Sacramenta ſine neceſsitate, peccat mortaliter, & tenetur ad fructuum reſtitutionem; quia illius reſidentia eſt inutilis: adeſſe autem inutiliter, idem eſt quod abeſſe, cùm beneficium detur propter officium. Debent igitur Parochi, quoad fieri poteſt, per ſe adminiſtrare Sacramenta; non tamen tenentur noctu, niſi nominatim, & inſtanter flagitentur. *ibid.reſ.*156.

87 In iactantia de peccato mortali ſpecies peccati non eſt neceſſariò exprimenda. Idem dicendum de contumelijs, quæ honorem proximi grauiter lædunt. *ibid. reſ.* 161. & 4. *part.tr.*4.*reſ.*44.

88 In eodem actu phyſico plures malitiæ morales numero diſtinctæ inueniri poſſunt, & conſequenter plura nume-

numero peccata in confeſsione explicanda. Ita qui ſtatuit per totam Quadrageſimam non ieiunare, tot peccata committit, quot ſunt dies Quadrageſimæ. Qui eodem verbo lædit grauiter famam trium, tria peccata committit. Qui vnico verbo, quatuor ad peccandum inducit, quatuor committit. Coniugatus cum alterius vxore adulterium committens, contra iuſtitiam bis peccat. Qui vno ictu occidit tres Clericos, in tres excommunicationes incurrit: ſecùs autem qui ter eumdem Clericum percutit. *ibid. reſ.* 164.

89 Ignorantia craſſa, & vincibilis myſteriorum fidei, eſt ſpeciale peccatum in confeſsione explicandum, & diſtinctum ab eo, cuius eſt cauſa. Eſt enim negligentia addiſcendi articulos fidei, quæ opponitur virtuti ſtudioſitatis. Probabile tamen eſt eum, qui ignorat vincibiliter plures articulos fidei, vnum tantùm peccatum committere; quare non tenetur numerum articulorum, quos ignorat in confeſsione exprimere. *ibid reſ.* 165.

90 Circumſtantiæ notabiliter aggrauantes, non ſunt in confeſsione neceſſariò aperiendæ; quia ſpeciem non mutant. 1.*par.tr.*7.*reſ.*1. & 5. *par. tract.* 14. *reſ.* 56. Sicut nec notabiliter minuentes. *ibid. reſ.* 85.

91 Qui peccauit contra naturam cum mare, vel fœmina, vel beſtia huius aut illius ſpeciei, non tenetur has circumſtantias explicare, ſed ſufficit ſi dicat: *Peccaui in ſodomia*, vel *beſtialitate*. Contrarium tamen eſt probabilius. 1.*part. tract.*7.*reſ.* 2.

92 Mulier, quæ peccauit cum Sacerdote Religioſo, ſatisfacit dicendo in confeſsione ſe peccaſſe cum Sacerdote, nec tenetur dicere illum fuiſſe Religioſum. *ibidem reſ.* 3. Item Sacerdos, vel Religioſus profeſſus ſatisfacit ſi dicat ſe violaſſe votum caſtitatis, neque mentionem faciat voti

 ſolem-

Digitized by Google

ſolemnis, quod emiſit. *ibid. reſ.*4.

93 Sponſus vel ſponſa de futuro, & cum eis ſe carnaliter commiſcentes, non tenentur iſtam ſponſaliorum circumſtantiam explicare; quia non mutat ſpeciem, cùm non ſit adulterium. *ibid. reſ.* 5.

94 Epiſcopus, & Generalis alicuius Religionis ſi fornicentur, non tenentur explicare iſtam circumſtantiam dignitatis, niſi fornicatio illa eſſet ita publica, vt ſcandalũ pareret; tunc enim peccatum haberet ſpecialem malitiam ex ſtatu. *ibid. reſ.*6.

95 Virgo, quæ ſponte primò fornicatur, non tenetur hanc circumſtantiam in confeſsione aperire; eſt enim tãtùm ſimplex fornicatio. *ibid. reſ.* 11. Idem dicendum de viro peccante cum virgine ſpontè conſentiente. *ibidem.*

96 Confeſſarius, qui carnaliter cognouit pęnitentem, non tenetur hanc circumſtantiam explicare; quia notabiliter tantùm aggrauat peccatum, nec ſpeciem mutat; Sacramentum quippe Pęnitentiæ non inducit propriè cognationem ſpiritualem. *ibid. reſ.* 12. *&* 2. *par. tract.* 17. *&* 3. *Miſcell. reſ* 11.

97 Qui furatus eſt ingentem pecuniarum ſummam, ſatisfacit in confeſsione ſi dicat ſe commiſiſſe furtum in re notabili. 1. *par. tract.* 7. *reſ.* 14.

98 Conſuetudo peccandi non eſt circumſtantia in confeſsione neceſſariò aperienda, niſi orta ſit ex occaſione proxima, quam pęnitens tenetur reſcindere. *ibid. reſol.* 15. & 4. *par. tr.* 4. *reſol.* 165.

99 Religioſus non obediens Prælato præcipienti ſub obedientia, non peccat dupliciter; quia eſt vna tantùm malitia. *ibid. reſ.* 16.

100 Copula inter coniuges habita in loco ſacro, in quo ſunt concluſi, ſi longo tempore, id eſt quatuor, aut quinque

que dies ibi detineantur, non eſt circumſtantia neceſſariò in confeſſione aperienda. Secùs ſi non ſunt concluſi. Contrarium tamen eſt probabile. *ibid. reſol.* 19. Habita autem copula in Oratorio priuato, ad fores Eccleſiæ a parte externa, vel in Monaſterio, vel Sacriſtia, non eſt circumſtantia mutans ſpeciem. *ibid. reſ.* 20.

101 Clericus, Sacerdos, vel Religioſus, qui alea ludens, aliquem fraudauit in notabili quantitate, tenetur dicere ſe in ludo aleæ fraudaſſe, ſi eſt huic ludo deditus; nam per ſacros Canones ludus aleæ eſt Clericis prohibitus. *ibidem reſol.* 21.

102 Si quis die Dominico, in quem feſtum alicuius Sancti incidit, Miſſam non audiat; non eſt illa circumſtantia aperienda, quia hæc tranſgreſsio pręcepti Eccleſiæ vnam tantùm habet malitiam. Idem dic de ieiunio, quod coincidit cum vigilia, & re ſacra è loco ſacro ablata. *ibid. reſ.* 22.

103 Qui furatur propter fornicationem, non tenetur dicere ſe commiſiſſe furtum vt fornicaretur, ſed ſufficit ſi dicat: *furatus ſum*; & poſteà ſubiungat: *habui intentionem męchandi*. Quia malitia illius finis non eſt diuerſa ab ea quæ reperitur in intentione męchandi. Porrò circumſtantia finis non eſt explicanda niſi contineat malitiam mortalem. *ibid. reſ.* 23.

104 Tactus impudici facti in Eccleſia, modò non ſit periculum pollutionis, ratione loci ſacri non habent ſpecialem malitiam ſacrilegij in confeſsione aperiendam: quia Eccleſia tantùm emiſsione ſanguinis, & ſeminis violatur, ex ſtatuto Eccleſiæ. *ibidem reſ.* 25. *& par. 2. tract.* 17. *& 3. Miſcell. reſ.* 23.

105 Probabilius eſt pollutionem, & fornicationem occultam factam in Eccleſia, continere ſpecialem ſacrile-

gij

gij malitiam in confeſſione aperiendam. Quia licèt nullum ſit ſcandalum, tamen loci ſanctitas violatur: probabilitate tamen non caret contrarium. 1. *par. tr. 7. reſ. 26.*

106 Furtum rei non ſacræ in loco ſacro, niſi ſit ibi depoſita quaſi ſub iure, & poteſtate Eccleſiæ, non eſt ſacrilegium, cuiuſmodi eſt furtum crumenæ in Eccleſia. Quia res illa non ſacra eſt in Eccleſia, quaſi per accidens: ergo non irrogatur ſpecialis iniuria ipſi Eccleſiæ. *ibid. reſ. 27.*

107 Cùm omnes contumeliæ ſint eiuſdem ſpeciei, & conueniant in ratione formali, quæ eſt intentio lædendi alterius famam; ſatis eſt in confeſſione dicere: *Toties contumelia affeci meum proximum*; nec neceſſe eſt addere: *illum vocaui ebrium, ſcurram, furem, &c.* Idem dicendum de detractionibus. *ibid. reſ. 28.*

108 Peccatum odij aduerſus proximum videtur tantùm vnius eſſe ſpeciei; quare ſufficit vt pœnitens dicat ſe toties odiſſe proximum, neque opus eſt explicare an illud odium verſetur circa famam, diuitias, &c. Quia licèt mala volita ſpecie differant; tamen optantur ſub vna ratione formali, quæ eſt odium proximi: quamuis contrarium ſit etiam probabile. *ibid. reſ. 30.*

109 Qui commiſit inceſtum cum matre, filia, ſorore, &c. non tenetur exprimere circumſtantiam perſonæ: quamuis enim grauior ſit inceſtus cum matre, aut filia, quàm cum nepte; tamen quia illa grauitas auget malitiam intra eandem ſpeciem, non eſt neceſſariò explicanda. *ibid. reſol. 31.*

110 Circumſtantia peccati perpetrati in die feſto ſolemni, non eſt neceſſariò in confeſſione aperienda; quia eſt tantùm circumſtantia aggrauans. Idem dicendum de die quo quis Euchariſtiam ſumpſit. *ibid. reſol. 32.*

111 Circumſtantia modi in copula coniugali non eſt

in

Digitized by Google

in confeſſione aperienda; eſt enim interdùm ſine culpa veniali, ob iuſtam aliquam cauſam. Vxor verò tenetur reddere debitum, etiam ſi vir cum culpa veniali, voluptatis cauſa poſtulet variationem ſitus: licèt aliqui probabiliter contrarium teneant. *ibid. reſ.* 35.

112 Si Iudex furetur rem alienam, quam tenetur ex officio cuſtodire, non debet neceſſariò illam officij circumſtantiam aperire; neque enim multùm aggrauat peccatum. *ibid. reſ.* 36.

113 Raptus non eſt circumſtantia neceſſariò explicanda in confeſſione, ſi virgo conſenſit, etiam parentibus inſcijs: ſi verò parentes actu repugnent, quia tunc fit eis manifeſta vis, & iniuria, erit talis circumſtantia in confeſſione aperienda. Verùm non tenetur raptor ad aliquam reſtitutionem virgini, vel parentibus faciendam, quia eſt domina corporis ſui, & ſpontè, ac liberè conſenſit: volenti autem, & conſentienti nulla fit iniuria. *ibid. reſ.* 37.

114 Duratio temporis non eſt in confeſſione aperienda, quatenus eſt circumſtantia aggrauans; ſed quatenus pœnitens per illam circumſtantiam declarat numerum peccatorum, quæ v. g. commiſit per annum, quando aliter commodè explicari non poteſt. *ibid. reſ.* 39. *&* 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 10.

115 Qui fornicatus eſt, non tenetur in confeſſione explicare tactus, & oſcula, &c. quæ præceſſerunt, aut ſubſecuta ſunt copulam, quia cum actu principali vnum tantùm peccatum conſtituunt. *ibid. reſ.* 42.

116 Qui multorum excipit confeſſiones, in ſtatu peccati mortalis, dummodò ſucceſſiuè, abſque notabili interruptione, probabiliter vnum tantùm peccatum committit, & ſufficit vt dicat quando confitetur: *Adminiſtraui Sacramentum Pœnitentiæ in peccato mortali.* *ibid. reſ.* 43.

Si

Digitized by Google

Si tamen eliciat actum contritionis antequàm abſoluat, non adminiſtrat Sacramentum in peccato mortali. *ibidem reſol.* 47.

117 Qui confeſſus eſt peccatum, oblitus alicuius circumſtantiæ, ſatisfacit ſi in proxima confeſsione ſolam circumſtantiam exprimat; ſi commodè poteſt ſeparatim explicari: v. g. qui furatus eſt calicem Eccleſiæ, & ex obliuione dixit tantùm ſe furtum commiſiſſe; in proxima confeſsione ſatisfaciet, ſi ſolùm ſacrilegium accuſet. *ibidem reſol.* 45.

118 Pœnitens non poteſt confiteri peccatum, aut circumſtantiam manifeſtatiuam complicis, etiam ſi nullum inde damnum ſequatur complici præter infamiam apud Confeſſarium: quia præceptum non infamandi fortius eſt præcepto faciendi confeſſionem integram. *ibid. reſ.* 49.

119 Non tenetur quis confiteri circumſtantiam, ſeu diuerſitatem blaſphemiarum, ſed tantùm numerum: quia ſpecie non differũt. *ibid. reſ.* 50. Qui ſæpius eamdem blaſphemiam repetit, eodem actu, & tempore, vnum tantùm blaſphemiæ peccatum committit. *ibid. reſol.* 51.

120 Qui ſe pollui permiſit tactibus Religioſi, aut Clerici, hanc circumſtantiam tenetur explicare ex veriori ſententia. *ibid. reſ.* 53.

121 Apoſtaſiæ circumſtantia non eſt neceſſariò in cõfeſſione aperienda tamquàm diſtincta ab hæreſi, cùm ab illarum differat ſpecie. *ibid. reſ.* 54.

122 Poteſt Confeſſarius propter conſuetudinem peccandi, abſolutionem differre. *ibid. reſ.* 55.

123 Diuturnitas voluntariæ retentionis rei alienæ, inuito Domino, non eſt neceſſariò in confeſſione aperienda: quia eſt tantùm circumſtantia aggrauans. *ibi. reſ.* 58.

124 Quando procuratur cauſa culpabilis omiſſionis

(vt

(vt ſi Clericus in diuturna nauigatione abijciat Breuiariũ ne recitet officium) ſufficit in confeſſione exprimere cauſam omiſſionis; ipſa enim omiſſio non cenſetur voluntaria niſi in cauſa. Idem dicendum de homicidio ex ebrietate, de pollutione in ſomno, ſecuta ex cauſa culpabili, &c. *ibid. reſ.* 64.

125 Copula adulterij cum promiſſione matrimonij, nõ eſt circumſtantia neceſſariò in confeſſione explicanda; eſt enim tantùm circumſtantia aggrauãs. 3. *par. tr.* 4. *reſ* 140.

126 Confeſſarius, qui dicit in aliqua ciuitate, vbi confeſsiones audit, committi graue aliquod peccatum, putà ſodomiæ, non violat quidem ſigillum: ſi tamen coram infirmioribus, & abſque ſpirituali vtilitate hoc dicat, grauiter peccat propter offendiculum; ſic enim audientes a confeſsione alienari poſſunt. 2. *par. tract.* 15. *&* 1. *Miſcell. reſol.* 13.

127 Quando Confeſſarius petendi conſilij cauſa, cum licentia pœnitentis, aperuit alteri Sacerdoti Theologo peccata audita in confeſsione, ſi poſteà hic Theologus cùm alijs loquatur de illis peccatis, non frangit ſigillum confeſſionis, ſed tantùm ſecretum naturale, quia non reuelat audita in confeſsione. *ibid. reſ.* 14.

128 Quando pęnitens vnum tantùm peccatum confitetur, quod Confeſſarius probabiliter credit non eſſe reſeruatum, valet abſolutio: nam probabilis DD. opinio facit vt Eccleſia det Confeſſario iuriſdictionẽ. *ibid. reſ.* 29.

129 Diſtillatio ſeu pollutio, quæ ſequitur ex verbis amatorijs habitis inter virum & fęminam, qui ſunt matrimonio coniungendi, ex ſe non eſt peccatum mortale, modò abſit conſenſus in delectationem: quia cauſa illius pollutionis, nempe verba amatoria, eſt tantùm peccatum veniale, ſecluſo tamen ſcandalo, & periculo proprio, vel alieno;

Digitized by Google

no; ergo non poteſt influere in effectum malitiam mortalem. Neque eſt peccatum mortale, ſi quis pollutionem patiatur ex aſpectu fęminæ curioſo; quia hæc non eſt cauſa phyſica, aut moralis pollutionis: neque ille aſpectus eſt peccatum mortale, niſi adſit concupiſcentia. *ibid. reſol.* 31. Hanc autem regulam Confeſſarij teneant: Quando cauſa pollutionis præuiſæ notabiliter & per ſe influit, cuiuſmodi ſunt tactus & aſpectus obſcęni, & turpia verba; pollutio cenſetur peccatum mortale. *ibid.*

130 Quando Confeſſarius abſoluit pęnitentem ab aliquo caſu reſeruato non habens iuriſdictionem, ſi pęnitens credit ſe fuiſſe validè abſolutum, ſecundùm quoſdam non eſt quòd poſteà Confeſſarius laboret; cùm enim fuerit pęnitens abſolutus ab omnibus peccatis, fuit etiam indirectè abſolutus a reſeruatis per infuſionem gratiæ *ib. reſ.* 60.

131 Confeſſarius, qui ex ignorantia etiam vincibili non obligat pęnitentem ad reſtitutionem, non tenetur ipſe reſtituere; nam officium Confeſſarij ſolùm eſt in ordine ad ſpiritualia, & ſi negligens eſt in officio, contra religionem peccat potiùs, quàm contra iuſtitiam. *ibid. tract.* 16. *&* 2. *Miſcell. reſ.* 1.

132 Probabile eſt Parochum teneri audire confeſsiones ſubditorum vel per ſe, vel per alium, quoties id rationabiliter petunt ſiue ratione feſti occurrentis, aut indulgentiarum, ſiue quia habent peccata, quæ conſcientiam grauant, ſiue aliam ob cauſam rationabilem: quia Parochus tenetur ex officio ſuis ſubditis Sacramenta miniſtrare, & ſubditi habent ius petendi. *ibid. reſ.* 2.

133 Quādo multis imminet periculum vitæ, vt in naufragio bello, peſte, &c. poſſunt omnes ſimul aliqua peccata confiteri & dolorem oſtendere, & ſic omnes ſimul vnica forma abſolui; talis enim confeſsio eſt formaliter integra.

tegra. *ibidem reſol.* 41.

134 Non eſt peccatum mortale, reuelare crimen proximi in confeſsione: cùm enim nullum ſit periculum diuulgationis, hoc videtur eſſe leue damnum famæ. *ibid. tr.* 17. *&* 3. *Miſcell. reſ.* 22.

135 Prælati Religionum ſine approbatione Ordinarij non poſſunt ſæcularium confeſsiones audire. *ibid. tr.* 16. *&* 2 *Miſcell. reſ* 44.

136 Si pęnitens non poteſt vitare ſine magno ſuo incommodo proximam occaſionem peccandi, poteſt confeſſarius illum abſoluere: quia in hoc caſu non cenſetur velle illam occaſionem, ſed permittere: vellet enim ſe ab illa expedire ſi poſſet ſine graui damno famæ, fortunarum, vitæ, quod ſibi videt imminere. Imò licèt in pęnitente vix appareat ſpes emendationis, ſi habeat dolorem de præterito, & propoſitum de futuro, ex multorum DD. ſententia, poteſt abſolui, neque propter recidiuum eſt abſolutio deneganda. *ibid. reſ.* 45.

137 Qui dedit Confeſſario pecunias alteri reſtituendas, ſi poſt aliquod tempus ſciat confeſſarium non reſtituiſſe, non tenetur in conſcientia denuò reſtituere: cùm enim ipſe non deberet cum infamia reſtituere, fecit quod potuit, & creditor illo reſtituendi modo debet rationabiliter eſſe contentus. *ibid. tract.* 17. *&* 3. *Miſcell. reſ.* 2.

138 Quando debitor eſt in mora ſoluendi, & ſępius confitetur, neque reſtituit; habet tamen animum reſtituendi; ſi ex illa dilatione non ſequitur detrimentum creditori, non videtur peccare mortaliter, neque eſt illi abſolutio deneganda. *ibid. reſ.* 3.

139 Qui inuenit crumenam plenam pecunijs, & adhibita ſufficienti diligentia, non reperit dominum, poteſt illas pecunias ſibi retinere: neque propterea eſt illi abſolutio à

Con-

Digitized by Google

Confeſſario deneganda: quia res, quæ nullum habent dominum, ſunt primi occupantis. *ibid. reſol.* 5.

140 Pœnitens, qui labilis eſt memoriæ, non tenetur ſcribere peccata: quia ante confeſſionem iubemur tantùm præmittere ſufficiens conſcientiæ examen, non verò conſeruare memoriam peccatorum. *ibid. reſ.* 46.

141 Si quis confeſſionem fecerit intra annum, impleuit præceptum annuæ confeſſionis, neque tenetur poſteà in Quadrageſima aut Paſchate confiteri, niſi teneatur alio titulo, vt ſi ſuſcepturus Euchariſtiam in Paſchate, ſibi conſcius eſt peccati mortalis, aut in articulo mortis. *ibid. reſol.* 54. & 3. *part. tr.* 4. *reſ.* 81. & 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 206.

142 Qui iter faciens per aliam diœceſim, abſoluitur a peccato, quod non eſt ibi reſeruatum, in ſua autem diœceſi eſt reſeruatum, validè eſt abſolutus: quia tunc cenſetur incola illius diœceſis. 2. *par. tr.* 17. & 3. *Miſcell. reſ.* 56.

143 Qui bona fide maiorem peccatorum mortalium numerum expreſſit in confeſſione, non tenetur illum errorem in prima confeſſione accuſare: quia illa confeſſio eſſet potiùs excuſatio, quàm accuſatio. Etiamſi autem errauerit in exceſſu; non tamen tenetur verum numerum aperire: confeſſio enim fuit integra; quippe in numero maiori, minor numerus continetur. *ibid. reſ.* 25.

144 Qui omiſit aliqua peccata mortalia in confeſſione ex ignorantia vincibili, quia non adhibuit ſufficientem diligentiam in conſcientia examinanda, fecit confeſſionem informem, abſque vllo fructu gratiæ; validam tamẽ quoad ſubſtantiam, itavt non teneatur pœnitens eadem peccata denuò confiteri, ſed ea tantùm quæ omiſit, & negligentiam, per quam ſunt omiſſa. *ibid. reſol.* 31. & 3. *par. tract.* 4. *reſol.* 65.

145 Habens caſus reſeruatos, vrgente neceſſitate, com-

Digitized by Google

ommunicandi, ad vitandam grauem infamiam poteſt onfiteri tantùm peccata non reſeruata, & reticere reſeruata: vel poteſt elicere actum contritionis, & ſic communicare abſque præuia confeſsione. Sin peccata reſeruata abeant annexam excommunicationem, poteſt conteri, ſic communicare; vel ſi eſt tantùm attritus, poteſt conteri inferiori Sacerdoti non reſeruata. 3. *par. tr.* 5. *Miſcell. ſ.* 78. *& tr.* 4. *reſ.* 104.

146 Si peregrinus proficiſcatur ad aliquod oppidum xtra parochiam, vt ibi confiteatur, valida eſt confeſsio: cèt enim extra parochiam alteri confiteri; neque hic vtir fraude illicita; ſed vtitur iure ſuo. 3. *par. tr.* 8. *Miſcell. ſol.* 28.

147 Attritio de peccato ob malum temporale, ob infaiam v. g. vel ob nocumentum ſalutis &c. cum reſpectu d Deum, a quo immiſſum, aut immittendum eſt in pœam, ſufficit ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ: non veò ob malum temporale, vt aliunde eueniens, vel euentum abſque reſpectu ad Deum. 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 193.

148 Attritio ad Sacramentum Pęnitentiæ ſufficiens, nō ebet eſſe exiſtimata contritio, neque neceſſe eſt vt præpponatur, & antecedat confeſsionem; ſed ſufficit vt antecedat abſolutionem, etiamſi tempore aliquo poſt confeſsionem eliciatur: neque neceſſaria eſt omnium veniaum, ſed ſufficit aliquorum, imò vnius tantùm, quamuis at eorum ſolùm confeſsio, quia vnum ſine alio remitti oteſt. Idem dic quoad dolorem de mortalibus anteà leitimè confeſsis. *ibid. in Notandis.*

149 Attritio, vel contritio habenda eſt de peccatis bliuioni traditis. 1. Si pęnitens ſe generatim peccaſſe eminerit, ſed quæ vel qualia peccata ſit oblitus. 2. Si poſt abitam contritionem de peccatis recogitatis occurrat,

Digitized by Google

aliud peccatum, quod priùs in memoriam non venit, tunc de eo contritio, vel attritio habenda erit. *ibid. verſ. Sed ſi.*

150 Præceptum contritionis non obligat niſi in articulo mortis, aut in periculo, quando medio Sacramento Pœnitentiæ iuſtificari non poteſt. 5. *par. tr.* 13. *reſ.* 33.

151 Ad hoc, vt quis habeat propoſitum vitandi peccata in futurum, non requiritur, vt poſitiuè iudicet ſe conſtanter euitaturum peccata etiam mortalia, ſed quòd in præſenti verè proponat, quantum in ſe eſt, illa vitare. *ibi. tr.* 14. *reſ.* 66. *verſ. Aduertendum.*

152 An ſi quis accedat ad confeſſionem ſufficienter attritus, abſque alio formali propoſito non peccandi de cætero, recipiat gratiam, & confeſſio ſit valida, non eſt ita certum. *ibid.*

153 Cùm quis veſperi examinans conſcientiam elicit actum contritionis, proponens ſequenti die confiteri, validum eſt Sacramentum, quantum eſt ex parte contritionis, licèt nullum alium actum contritionis eliciat. *ibidem reſol.* 67.

154 Mutus tenetur confiteri per nutus, & ſigna: non autem per ſcripturam, quamuis ſciat ſcribere. Et Confeſſarius tempore, quo obligat præceptum confeſſionis, poteſt abſoluere mutum, qui præbet ſignum doloris, etiamſi nullum ex eius ſignis poſſit intelligere peccatum. 5. *par. tract.* 6. *reſol.* 3. & 4. Idem dic de ſurdo. *ibid. reſ.* 5.

155 Parentes, qui ſe accuſant, quòd nolint admittere ad colloquium filium, qui indignum matrimonium contraxit, videntur abſolui poſſe, ſi id faciant ſolùm in iuſtam vindictam ad emendationem delinquentis, familiæ honorem, & aliorum maiorem cautelam procurandam; & ſi ad tempus tantùm hoc colloquium differant, quouſque videbitur conueniens ad punitionem, & fines bonos conſe-

quen-

ſequendos. Secùs ſi in hoc ex animi odio procedant, & in perpetuum illi negare intendant reconciliationem. 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 182.

156 Qui accipit gradum Doctoratus in aliqua vniuerſitate publica, non habens curſus requiſitos, vel non interfuit illis iuxta vniuerſitatis ſtatuta, vel non ſit matriculæ adſcriptus, &c. non peccat lethaliter, niſi iuret, ſe habere omnia requiſita, & tamen hoc verum non ſit; quia illi defectus non ſunt ſubſtantiales. *ibid. reſ.* 173.

157 Agere contra conſcientiam errantem, & lethale, & veniale eſſe poteſt, pro varietate grauis, vel leuis materiæ, in qua conſcientia errat, etiamſi conſcientia non diſtinguat an ſit mortale, vel veniale, ſed ſolùm confusè proponatur actio mala. 5. *par. tr.* 5. *reſ.* 31.

158 Ad cognoſcendum, quòd in aliquo præcepto detur, vel non detur paruitas materiæ; grauitas, vel leuitas aliquarum rerum deſumenda eſt ex communi ſenſu Eccleſiæ, & fidelium. *ibi. reſ.* 1.

159 Quoties parua poſtremi venialis materia nequit cum præcedentium materia continuari moraliter, ita vt pro vna reputetur, nec effectus relicti continuari moraliter poſſunt, multiplicatio tranſgreſſionis præcepti in materia parua non conſtituit materiam grauem, & peccatum mortale, ſecùs quando materiæ paruæ, aut effectus ab eis relicti moraliter continuantur. *ibid. reſ.* 52.

160 Qui habet peccata reſeruata, & ratione ſcandali tenetur confiteri; ſi non adſit alius Sacerdos in talia peccata facultatem habens, poteſt confiteri alia peccata, & reſeruata relinquere, vel confiteri, prout ei libuerit. Si verò præter reſeruata nullum aliud habeat ſimplex peccatum mortale, tenetur eo caſu venialia confiteri. *ibid. reſ.* 9. & 10.

161 Qui ex aliqua iuſta cauſa in confeſſione non confite-

Digitized by Google

fitetur aliquod peccatum, non tenetur ſtatim illud confiteri, ſed ſolùm cùm aderit tempus, in quo obligat præceptum confeſſionis. *ibid.tract.*14.*reſ.*54.

162 Qui confeſſus eſt Sacerdoti, quem ſciebat in ſtatu peccati mortalis eſſe, ſed ſciebat etiam illum paratum ad omnium confeſſiones excipiendas, neque peccauit mortaliter, neque tenetur reiterare confeſſionem, quia valida illa eſt. 4.*par.tract.*4. *reſ.*21.

163 Quando confeſſio repetenda eſt cum eodem Confeſſario, quia fuit inualida, & vnico verbo pęnitens confitetur peccata in confeſſione inualida diſtinctè confeſſa, non poteſt Confeſſarius abſolutionem impendere, ſi non recordetur peccatorum, neque pęnitentiæ impoſitæ; ſecùs verò ſi Confeſſarius recordatur ſtatus pęnitentis. *ibid. reſ.* 203. & 5.*part.tract.*14.*reſ.*51. Vbi mutat ſententiam, & ſatis probabiliter putat confeſſarium in tali caſu, & validè, & ſine peccato tale Sacramentum adminiſtrare.

164 Confeſſio facta ex fine veniali principaliter, non eſt inualida; neque ideò iteranda, quia ex eo, quod hoc modo ſuſcipitur, non deficit intentio ſuſcipiendi Sacramentum, cuius quidem valor pendet ex intentione ſuſcipientis, & ex partibus eſſentialibus illius. 4.*part. tract.* 4. *reſol.*212.

165 Qui anno præcedenti omiſit confeſſionem peccatorum mortalium tenetur quidem probabilius a principio anni ſequentis ad confeſſionem illorum, ſed ſi in ea confeſſione confiteatur etiam aliquod peccatum mortale illius anni ſequentis, ea etiam ſatisfacit præcepto confeſſionis illius anni ſequentis, quia tunc illa confeſſio pertinet ad vtrumque annum, cùm cõfiteatur peccata in vtroque anno perpetrata. 4.*par.tr.*4.*reſ.*206.*verſ.Notandum.*

166 Annus pro impletione præcepti confeſſionis computan-

putandus eſt a Ianuario in Ianuarium; vnde qui in Ianuario anni præcedentis,& in Decembri ſequentis confitetur, ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis pro illis duobus annis, quia confitetur ſemel in quolibet anno. *ibid. verſ. Nota.*

167 Qui in principio anni confeſſus eſt venialia, & poſteà commiſit mortalia, tenetur ex præcepto annuæ confeſsionis confiteri intra illud annum dicta peccata mortalia, quia præcipitur tantùm confeſsio mortalium. *ibidem verſ. Sed ſi.*

168 Religioſi, qui determinatis temporibus tenentur confiteri, non tenentur ad hoc, ſi habeant tantùm venialia. 5.*par.tract.*13.*reſ.*35.

169 Cùm quis ratione ſcandali, vel alia de cauſa tenetur celebrare, & habeat peccatum mortale, nec adſit niſi Sacerdos, de cuius iuriſdictione dubitatur, ex probabili ſententia non tenetur illi confiteri. *ibid.tr.*14. *reſol.*112.

170 Qui tenetur aliquo die ex Pęnitentia, vel voto recitare tertiam partem Roſarij, ſi illam cum notabili interruptione recitet, ſatisfacit. 4.*par.tract.*4.*reſ.*17.

171 Qui adimplet pęnitentiam in peccato mortali non peccat mortaliter: nec qui oblitus eſt pęnitentiæ ſibi iniunctæ,tenetur ſecundò eadem peccata confiteri,vt aliam pęnitentiam pro ijs recipiat, ſed ſi ſua culpa non recordetur pęnitentiæ,ſufficit hoc peccatū confiteri.*ibid.reſ.*241.

172 Poteſt Confeſſarius in pęnitētiam Sacramentalem imponere opus internum. *ibid.verſ. Notandum* 5.

173 Liberum eſt Confeſſario imponere ſatisfactionem pęnitenti ante,vel poſt abſolutionem. 5.*par.tr.*13.*reſ.*36.

174 Cùm Confeſſarius imponit pęnitentiam, determinando etiam tempus,tenetur tamen pęnitens adhuc illam adimplere poſt illud elapſum, niſi ſecùs conſtiterit de-

Digitized by Google

mente Confeſſarij. *ibid. reſ.* 37.

175 Qui per Confeſſarium vigore literarum alicuius diſpenſationis habuit pœnitentiam, vt ſingulis menſibus confiteatur, non tenetur confeſsionem aliquo menſe amiſſam ſequenti ſupplere; & illa poteſt ſatisfacere præcepto etiam annuæ confeſsionis. 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 31.

176 Confeſſarius habens facultatem diſpenſandi ſuper certam materiam, ſi in confeſsione ſacramentali illam internè tulerit, putando tàm ipſe, quàm pœnitens, non eſſe neceſſarium verbis expreſsis dicere: diſpenſo te, valida eſt diſpenſatio, cùm hæc non ſit ſacramentalis abſolutio. 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 118.

177 Si quis neceſsitate preſſus adimplendi præceptum annuæ confeſsionis, non habet alium Confeſſarium, niſi ſurdum, tenetur ſignis confiteri, vt ab illo abſolutionem obtineat. 5. *par. tract.* 6. *reſ.* 19.

178 Forma abſolutionis in hoc Sacramento debet conferri modo indicatiuo, nõ autem deprecatiuo. v.g. Abſoluat te Deus. Si quis verò vteretur hoc modo imperatiuo: Abſoluaris, vel Abſoluatur Petrus, validè quidem abſolueret, ſed an peccaret hac forma vtendo, non eſt ita certum. *ibid. tr.* 13. *reſ.* 34.

179 Si quis inaduertenter non abſoluit pœnitentem, & ſine graui incommodo nequeat illum reuocare, & admonere, poteſt illum abſoluere, licèt aliquantum remotum; vel commoditas expectanda, & admonendus. *ibid. reſol.* 56.

180 Confeſſarius validè abſoluit antequàm licentia habita ab Epiſcopo, vel Vicario reducatur in ſcriptis. Itẽ valida eſt licentia confitendi obtenta mediante pecunia. *ibid. tract.* 14. *reſ.* 41.

181 Quilibet Sacerdos poteſt venialia peccata abſolue-

re,

re, immò etiam mortalia iam legitimè confeſſa. *ib.reſ.86.*

182 Confeſſarius, qui obtinuit licentiam abſoluendi aliquem a caſibus reſeruatis, in quos inciderat, ſi poſteà reperiat illum incidiſſe etiam in dictis caſibus poſt obtentam licentiam, poteſt ab illis quoque abſoluere pęnitentē. 4.*par.tract.4.reſ.*109.

183 Peregrinus, qui habet caſum reſeruatum in ſua dioeceſi, ſi non ſit reſeruatus, vbi confitetur, poteſt abſolui a quolibet, qui eum aliàs poſſet audire. *ibid.*

184 Abſolutus propter periculum a caſibus Superiori reſeruatis non habentibus annexam cenſuram, non tenetur ſiſtere ſe illi, cui erant reſeruati, neque ampliùs confiteri eoſdem. Si verò habeant annexam cenſuram tenetur quam primùm potuerit, ſiſtere ſe Superiori, non vt iterũ abſoluatur, ſed vt mandatis eius obtemperet, alioquin recideret in eaſdem cenſuras. *part.4.tract.4.reſol.199.* & 5. *par.tract.3.reſ.66.verſ.Notandum.* & *tract.14.reſ.59.*

184 Si aliquando non patet aditus ad Epiſcopum pro caſu reſeruato, poteſt Confeſſarius pęnitentem abſoluere, quia par videtur ratio quoad caſus Epiſcopales, & Papales. 5.*par.tract.*14.*reſ.*58.

185 Qui adit meretricem, vt eius tactibus fruatur ſine intentione fornicandi, & poſteà fornicetur, tenetur explicare in confeſſione illos tactus, qui præceſſerunt fornicationem, quia a principio non fuerunt ordinati ad copulam. 4.*par.tr.*4.*reſ.*205.

186 Si quis vtatur medijs extraordinarijs, & nimiùm impudicis in actu venereo, non tenetur pęnitens illa ſpecialiter confiteri. 5.*par.tr.*14.*reſ.*56.

187 Qui tota nocte dormiuit cum muliere, non tenetur in confeſſione explicare hanc circumſtantiam, ſed ſufficit confiteri numerum copularum. *ibid.reſ.*10.

188 Quamuis, cùm pęnitens tenetur deſerere occaſionem peccandi, poſſit confeſſarius ſemel, aut iterùm abſolutionem concedere, antequàm de facto expellat, eo quòd fidit expulſurum, rarò tamen illam concedere debet, ſed potiùs cogere pęnitentem, vt à ſe peccati periculum expellat, & ſic liberum velit abſolui *ibid. reſ.* 107. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus concubinarius non tenetur expellere concubinam, & Confeſſarius licitè poteſt eum abſoluere. *ibid. reſ.* 108.

189 Non tenetur Confeſſarius abſoluere concubinarium ampliùs cum concubina non peccantem, ſed eam inuiſentem fine alendi filios: poteſt enim concubinarius per alios filijs alimenta præſtare, vel cum alijs ſocijs in domum meretricis intrare, ne locus ſit ſcandalo. *ibid. reſ.* 109.

190 Concubina poteſt confiteri cum Confeſſario concubinario; nec circumſtantia copulæ cum Confeſſario, vel pęnitente habita eſt neceſſariò in confeſſione aperienda. *ibid. reſ.* 110.

Sacramentum Extremæ Vnctionis.

1 SAcerdos, peſte graſſante, poteſt vngere infirmum virga oblonga oleo tincta, quam poſteà comburet. 3. *par. tract.* 4. *reſ.* 167. Imò omiſſo Crucis ſigno poteſt vnam tantùm partem magis expoſitam inungere, addita verborum formula. Sed melius eſt velociſſimè vnum ex ſingulis membris inungere, vnica ſententia omnium partialium formarum ſententias complectente, dicendo: *Per iſtas vnctiones & ſuam, &c. quidquid per viſum, auditum, &c. deliquiſti. ib. reſ.* 168. & 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 79. & 80.

2 In dubio an puer habeat vſum rationis, poteſt vngi hoc Sacramento ſub conditione. *ibidem reſol.* 169.

3 Non ſuſcipere Sacramentum Extremæ Vnctionis,

ſeclu-

Digitized by Google

ſecluſo contemptu & ſcandalo, non eſt peccatum. Neque tenetur Parochus ſub peccato mortali illud miniſtrare, niſi infirmus grauiter indigere videatur. Quia nullum præceptum ad id obligat. Notandum ſi Parochus abſit, vel ſi non poſſit, aut nolit, poſſe interiorem Sacerdotem etiam renitente Parocho, infirmum inungere. *ibid. reſ.* 170. & 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 82. & *reſ* 97.

4 Moribundus ſenſibus deſtitutus tempore interdicti, qui alia Sacramenta non potuit ſuſcipere, poteſt inungi, ne omninò ſine Sacramentis decedat. *ibid. reſol.* 171.

5 Adulto in articulo mortis recèns baptizato, poteſt Sacramentum Extremæ Vnctionis abſolutè conferri. *ibid. reſ.* 172.

6 Non eſt differenda extrema Vnctio vſque dùm infirmus iam ſenſu, & cognitione careat; vel conſtet non poſſe eum naturaliter ſuperuiuere; id enim eſt contra reuerentiam & vtilitatem huius Sacramenti, quod etiam conducit ad corporis ſanitatem. *ibid. reſ.* 173. & 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 95.

7 Si peſte infecti confeſſi ſunt, poteſt Parochus tuta conſcientia Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis illis non miniſtrare. *ibid. reſ.* 174. & 5. *part. tract.* 3. *reſol.* 93.

8 Forma indicatiua in hoc Sacramento non ſufficit, ſed adhibenda eſt deprecatiua, cùm S. Iacobus dixerit: Orent ſuper eum. *ibid. reſ.* 175.

9 Renouandum eſt quotannis oleum infirmorum, & vetus comburendum in Eccleſia, vel in piſcinam inijciendum: ſi tamen nullum adſit oleum niſi vetus, poteſt eo inungi moribundus. *ibid. reſ.* 176. & 5. *par. tract.* 3. *reſol.* 90.

10 Probabile videri poteſt ſufficere vnam olei ſtillam

ad

Digitized by Google

ad vnamquamque vnctionem huius Sacramenti. *ibidem reſol.* 177.

11 Sacerdos alio modo vngens infirmum quàm in formam Crucis, peccat quidem, non tamen mortaliter. *ibid. reſ.* 178.

12 Probabilior fert ſententia in hoc Sacramento tunc conferri gratiam, quando perficitur vltima vnctio cum forma verborum. *ibid. reſ.* 179.

13 Si Sacerdos vngens infirmum, omitteret illa verba (*per ſuam piiſſimam miſericordiam*) conficeret Sacramentum: quia cauſa principalis operans in hoc Sacramento ſufficienter per verba ſequentia exprimitur. *ibid. reſ.* 180.

14 Omnibus pueris poſt ſeptennium, niſi conſtet illos carere vſu rationis, danda eſt Extrema Vnctio, licèt numquam communicarint. *ibid. tr.* 6. *Miſcell. reſ.* 89. & 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 85.

15 Parochus etiamſi ex confeſſione cognoſcat puerum numquam actualiter peccaſſe, debet tamen illum inungere; nam illi proderit hæc vnctio ad robur acquirendum contra tentationes, & morbi moleſtias, & ad gratiam augendam. *ibid. tr.* 4. *reſ.* 181.

16 Si phreneticus, vel furioſus nō poſſet recipere aliud Sacramentum, quàm Extremam Vnctionem, neceſſe eſt, ſi reſiſtat, illum ligare, excluſis tamen laicis ad tollendum ſcandalum, & ita illi extremam Vnctionem miniſtrare, ne ſine vllo Sacramento decedat. 2. *par. tr.* 14. *reſ.* 78. *verſ. Sed hi.* & 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 84.

17 Si Sacramentum extremæ Vnctionis ſit infirmo maximè ad ſalutem neceſſarium, deſitque copia alterius Sacerdotis, Parochus nominatim excommunicatus, vel ſuſpenſus poteſt, imò debet illud miniſtrare. 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 81. & 89.

18 Si ægrotus non fuerit confeſſus, & ſit in articulo mortis, Parochus non tenetur cum periculo vitæ Sacramentum extremæ Vnctionis illi miniſtrare: niſi Parochus ſciret certò ægrotum eſſe in peccato mortali, & hoc remedio liberandum eſſe, probabiliter ſibi perſuaderet. *ibidem reſol.* 83.

19 Si contingeret Sacerdotem, qui cępiſſet vngere infirmum, mori antequàm omnes vnctiones abſolueret, licitum eſſet alteri vnctiones a principio repetere, perinde ac ſi prior ille nihil earum inchoaſſet. Id enim infirmo eſt multò vtilius, cùm ſic Sacramentum certiſſimè recipiat. *ibid. reſ.* 87.

20 Poſſunt plures Sacerdotes inter ſe ita conuenire in adminiſtratione extremæ Vnctionis Sacramenti, vt dùm vnus oculos inungit, formam etiam proferat illi vnctioni reſpondentem, alter aures, & ſic de cęteris ſenſibus, & hoc non modò validè, ſed etiam licitè ex neceſſitate fieri poteſt. *ibidem reſ.* 88.

21 Parochus portans domi oleum extremæ Vnctionis, timens ne de nocte ad moribundum vngendum vocetur, ſecluſo ſcandalo non peccat mortaliter. Et vrgente periculo mortis poteſt Sacerdos ſine miniſtro adminiſtrare hoc Sacramentum, atque etiam ſine alia ſolita precatione præuia. *ibid. reſ.* 91.

22 Confeſſio non eſt neceſſariò præmittenda, antequã infirmus Sacramento extremæ Vnctionis inungatur, quãtum eſt ex ordine Sacramentorum; aliunde tamen poteſt eſſe obligatio, vt ſi poſt viaticum peccaſſet mortaliter, & poſt vnctionem timeretur tempus defuturum pro confeſſione, etiamſi tempus elaberetur pro vnctione, priùs enim ſumenda ſunt ſacramenta neceſſaria, & deinde vtilia. *ibid. reſ.* 92.

Digitized by Google

23 Sacerdos moribundus non poteſt ſe ipſum vngere, tùm quia S. Iacobus ſatis indicat diuerſas eſſe perſonas infirmi, & Presbyteri vncturi: tùm quia forma ſubſtantialiter mutaretur quoad ſignificationem verborum. *ibidem reſol.* 94.

24 In eadem infirmitate poteſt denuò infirmus inungi, ſi euadat mortis periculum, & deinde iterùm in illud incurrat eadem infirmitate manente. *ibid. reſ.* 96.

25 Mutus, & ſurdus, & cæcus a natiuitate ſunt inungendi extrema Vnctione, quia licet non habuerint actum peccandi his organis, habuerunt tamen potentiam. Deficiente enim organo alicuius ſenſus, eſt inungendus locus organi, etiamſi homo tale organum numquàm habuerit. *ibid. tract.* 6. *reſol.* 11.

Sacramentum Ordinis.

1 SVrdaſter, vel qui altera tantùm aure eſt ſurdus, nullo iure a ſacris ordinibus arcetur. 2. *par. tract.* 17. & 3. *Miſcell. reſ.* 20. Secùs ſi nullo modo audire poſſit. 5. *par. tract.* 6. *reſ.* 22.

2 Qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, non incurrit ſuſpenſionem, neque irregularitatem, ſi adueniente mala fide celebret ante legitimam ætatem; peccat tamen mortaliter: vbi verò eam attigit, poteſt ſine vlla diſpenſatione celebrare, vel exercere actum ordinis bona fide ſuſcepti. 3. *par. tract.* 4. *reſol.* 182. & 5. *par. tr.* 10. *reſol.* 32.

3 Clerici ſacris Ordinibus initiati peccant mortaliter, ſi per contumaciam aut contemptum non deferant habitum & tonſuram; neque debent vmquam incedere quin aliqua nota internoſci poſſint a laicis. *ibid. reſ.* 163. Niſi paruitas materiæ excuſet, nimirùm ſi per vnum, aut pau-

cos dies non feratur. 5.*par.tract.*5.*reſ.*60.

4 Ordinatus cum patrimonio ficto, vtpote donato ea conditione, vt poſt ordines reſtituatur donanti, peccat quidem mortaliter; non tamen incurrit ſuſpenſionem, neque tenetur ad reſtitutionem: quia illa promiſſio de reſtituendo patrimonio eſt irrita, neque vllam inducit obligationem. Contrarium tamen non caret probabilitate. *ibid. reſ.*184.& 5.*par.tr.*10.*reſ.*50.

5 Ad ſubſtantiam, & valorem ordinationis, non requiritur contactus realis, & phyſicus rerum, quæ præbentur tangendæ. *ibidem reſol.*185.

6 Traditur, Sacerdoti initiando Calix cum vino, & patena cum hoſtia; quòd ſi per incuriam Magiſtri Cærimoniarum vinum non fuerit appoſitum in Calice, ordinatio eſt nulla, & iterùm recipiendum eſt verum Sacramentum, per veram materiam, & formam. 3.*par.tr.*4.*reſol.*186.*&* 4.*par.tr.*4.*reſ.*119.

7 Ordinatio Sacerdotis (iuxta quoſdam) probabiliter conſtat ex duabus partialibus materijs, ſcilicet traditione calicis, & patenæ, per quam confertur poteſtas ſacrificandi, & impoſitione manuum vnà cum verbis: *Suſcipe Spiritum ſanctum*, &c. per quam datur poteſtas abſoluendi. *ibid.reſ.*187.*par.*3. Materia ordinis Diaconatus eſt traditio libri Euangelij cùm impoſitione manuũ.*ibid.reſ.*188. Materia ordinis Subdiaconatus eſt traditio Calicis vacui, licèt non conſecrati, & patenæ iterùm vacuæ ſuperpoſitæ. *ibid.reſ.*189.*par.*3.

3 Epiſcopus poteſt ordinare familiarem ſuum alienæ diœceſis, imò & cum illo in interſtitijs diſpenſare. *ibidem reſol.*190.*par.*3.

9 Qui habet dimiſſorias cum hac reſtrictione, vt poſſit ordinari a quocumque Epiſcopo in propria diœceſi ordinan-

dinante, poteſt etiam ſub ratihabitione ordinari ab Epiſcopo in aliena diœceſi de licentia Ordinarij; ordines conferente. *ibid.reſol.191.par.3.*

10 Qui mala fide ſuſcepit ordinem ſacrum ante legitimam ætatem, vel ſine litteris dimiſſorijs, vel extra legitima tempora, incidit in ſuſpenſionem; & ſi celebret, in irregularitatem. *ibid.reſol.*192. Non item ſi ſuſceperit minores ordines. 5.*par.tr.*10.*reſ.*30.

11 Ordo ſacer per vim & metum ſuſceptus, non impedit, nec dirimit matrimonium: votum enim ex graui metu factum nullum eſt ipſo iure. *ibid.reſ.*193.

12 Epiſcopus, ſi ſciens, vel ex affectata ignorantia primam tonſuram conferat ſine proprij Epiſcopi licentia, incurrit in pœnam ſuſpenſionis latam *in cap. eos. de temp. ordin. in 6.ibid.reſ.*194.

13 Diaconus, & Subdiaconus ſæpiùs canentes Euangelium, & Epiſtolam in peccato mortali, nō peccant mortaliter. Quia talis actio non eſt diſpenſatio meritorū Chriſti, vt eſt adminiſtratio Sacramentorum. *ibidem reſ.*195. Neque item eſt peccatum mortale, exercere functiones minorum ordinum in peccato mortali, quia probabile eſt minores Ordines non eſſe vera Sacramenta. *ibid. reſ.*196.

14 Non eſt peccatum concionari in peccato mortali occulto, ſed tantùm in publico: quia actus concionandi, non eſt conſecratus, neque ex ſua natura, neque ex inſtitutione Eccleſiæ, neque certo ordini deputatus; cùm multi nondùm ſacris ordinibus initiati prædicare ſoleant. Idē dicendum de Lectore ſacræ Theologiæ, & Scripturæ, modò abſit ſcandalum. *ibid.reſ.*197.

15 Qui ſuſcepit ſacros Ordines cum patrimonio ficto, non incurrit ſuſpenſionem; nam Congregatio Concilij declarauit ordinatum ſine titulo non eſſe ſuſpenſum.

2.par.tract.16. & 2.Miſcell.reſ.5.

16 Poteſt Regularis, licèt latinam linguam minùs intelligat, ad Sacerdotium admitti, ſi benè legat, & cantet. *ibid.reſ.29.*

17 Poteſt aliquis ordinari ab Epiſcopo, in cuius diœceſi eſt beneficium, licèt illud ſit tenue. Sic ſacra Congregatio cenſuit. *4.par.tr.4.Miſcell.reſ.51.*

18 Epiſcopi in Regno Siciliæ poſſunt ordinare Subdiaconum, qui pro patrimonio tantùm vncias vndecim annuales habet, quia defectus eſt in modico; ſecùs verò ſi defectus eſt notabilis. Notandum tamen quòd ſi Subdiaconus initietur Diaconatu, vel Sacerdotio, oſtendens teſtimonium patrimonij renunciati, vel alienati, tacens renunciationem factam, non incurrit pœnas illorum, qui abſque patrimonio initiantur, quia talis verè habet patrimonium, cùm renunciatio, vel alienatio ſit nulla, & inualida, licèt peccauerit in ea facienda. Tandem nota, quòd ſacra Congregatio declarauit, neque inſignitos Doctores in iure Canonico, aut in ſacra Theologia poſſe ſacros Ordines ſuſcipere abſque patrimonio. *ibid. verſ. Nota etiam. & 5.part. tract.10.reſ.55. verſ. Sed quid.*

19 Priuilegium quorumdam Abbatum conferendi Ordines minores, licèt non videatur derogatum *per Conc. Trid.ſeſſ.23.cap.10.de reform.* cenſetur tamen nullum ob declarationem Congreg. Cardin. poſſunt tamen Abbates ſuis ſubditis ſæcularibus dare literas dimiſſorias ad Ordines; neque hoc priuilegium derogat Conc. Trident. *ibid. reſol.147.*

20 Poteſt quis ratione originis, ordinari ab Epiſcopo, ſi ipſe, vel eius pater natus fuerit in loco diœceſis illius. *ibidem reſ.148.*

21 Poteſt Epiſcopus in aliena diœceſi conferre ſuis ſub-

ſubditis primam tonſuram, quia illa non eſt Ordo; prohibetur autem tantùm conferre ordines. 4 *par. tract.* 4. *reſol.* 143.

22 Inuitatus Epiſcopus in aliena Diœceſi ad ordinandum, videtur poſſe ibi ordinare non ſolùm ſuos ſubditos, ſed etiam alienos, litteras dimiſſorias ſuorum Epiſcoporum portantes. *ibid. reſ.* 144.

23 Familiaris Epiſcopi licèt ſit alienæ diœceſis, poteſt ab illo ordinari ſi per triennium fuerit ſecum commoratus; Notandum eſt etiam quòd ſi Epiſcopus conferat beneficium in ea diœceſi, poteſt ſtatim ſuum ordinare familiarem, nõ expectato triennio, quia tunc non ordinat prætextu familiaritatis, ſed beneficij: hoc etiam intellige de Epiſcopi familiaribus. *ibid. reſ.* 145.

24 Ad ſuſcipiendos legitimè ordines requiritur ætas legitima, ad primam tonſuram, & minores ordines ſeptem anni ſaltem completi, ad Subdiaconatum 22. inchoati, & ad Presbyteratum 25. vnde ſi quis initiaretur ordinibus ſacris ante dictam ætatem, in ſuſpenſionem incurreret latam in Bulla Pij II. Si quis autem inchoaret, v. g. annum 23 hora vigeſima tertia diei, & eodem mane reciperet ordinem Diaconatus, non videtur peccare, neque incurrere in ſuſpenſionem, tamquàm ordinatus ante legitimam ætatem. Imò ſtando in rigoroſa ſententia, quòd annus debeat eſſe iam inceptus, ſufficit tamen vel per medium diem annum neceſſarium inchoaſſe. 2. *par. tr.* 16. *reſ.* 27. & *par.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 17. *verſ. Nota.*

25 Maiores Ordines non niſi in Sabbatho 4. temporum anni, aut in Sabbato Sancto, aut in Sabbato ante Dominicam Paſſionis dari poſſunt. Idem poſſunt Dominica ſequenti poſt prædictum Sabbathum conferri, ſi cauſa ſubſit, dummodo Epiſcopus ieiunium Sabbathi conti-

nuet

nuet vſque ad Dominicam, quod continuari dicitur poſt Miſſam Sabbati, niſi ſumpſerit ablutionem. *ibid.reſ.30.* Et cùm conceditur ex priuilegio Papæ, vt conferantur tribus diebus feſtiuis, poſſunt conferri tribus diebus feſtis duplicibus, licèt a populo ex præcepto non ſeruatis. 5.*par. tr.14.reſ.97.*

26 Minores verò Ordines poteſt Epiſcopus conferre tribus, aut etiam pluribus in qualibet Dominica, aut feſtiuo die, dummodo non videatur facere ordinationem generalem; & conſuetudo Epiſcoporum recepta concedit, vt feria 6. Veſpere ante Sabbatum, in quo poſſunt omnes Ordines iure conferri, liceat dare ordines minores. Prima autem tonſura quouis anni tempore, quouis die, hora, & loco dari poteſt. *ibid. verſ. Notandum.*

27 In ætate requiſita ad ordines ſuſcipiendos non datur paruitas materiæ. 5.*par.tr.5.reſ.*17. In patrimonio tamen ad idem neceſſariò, quamuis parum deſit ad honeſtam ſuſtentationem, parum facit: ſecùs ſi ſit notabilis defectus. *ibid. reſol.*20.

28 Qui mutus eſt, & lingua, vel linguę vſu omninò caret, non poteſt ad ſacros Ordines promoueri. Secùs ſi impeditioris ſit linguæ, aut bleſus, aut balbus, niſi tamen notabilem difficultatem haberet. *ibid. tr.6. reſ.22. verſ. Dico ſecundò.*

29 Qui caret altero oculo eſt irregularis; at ſi habeat vtrumque integrum, & careat vſu dextri tantùm, non efficitur irregularis. Si verò careat vſu ſiniſtri, & ita videat dextero, vt ſine indecora conuerſione faciei ad populum poſſit legere Canonem, non eſt irregularis. *ibid. verſ. Dico tertio.*

30 Probabile eſt Epiſcopum poſſe quouis anni tempore ſupplere aliquem defectũ ordinationis. *ibi. tr.14. reſ.63.*

Digitized by Google

31 Quamuis Sacerdos dùm ordinatur intelligit iam verba a ſocio prolata eſſe, tenetur tamen & ipſe vlteriùs illa proferre non cum intentione conſecrandi, ſed faciendi id, quod tunc intendit Eccleſia. *ibid. reſ.* 82.

32 Quando examinandi ob timorem examinatorum turbarentur, ſi verè ſint idonei, licitum eſt eis præmonere de punctis, de quibus erunt interrogandi. Non tamen id licet in examine ad aliquod beneficium per oppoſitionem, & concurſum. *ibid. reſ.* 89.

33 Qui ordinantur Sacerdotes, & cum Epiſcopo conſecrant, poteſt vnuſquiſque applicare illud ſacrificium, cui voluerit. *ibid. reſ.* 112.

34 Percipiens ordines non ſeruatis temporum interſtitijs, abſque diſpenſatione, nullam incurrit ſuſpenſionem, vel irregularitatem: ſicut nec Epiſcopus ordinans. Poteſt autem Epiſcopus diſpenſare cum ſuis ſubditis in interſtitijs, cùm neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ id poſtulat, cuius cognitio remittitur iudicio Epiſcopi. 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 109. & 5. *par. tract.* 10. *reſol.* 40.

35 Ordinatus per ſaltum non incurrit ipſo facto ſuſpenſionem, ſed eſt ſuſpendendus. Et hoc quidem ſatis probabiliter, & licèt hic ſit impeditus ad ſuſcipiendos ſuperiores ordines, hoc tamen impedimentum non eſt irregularitas. Cum hoc autem poteſt Epiſcopus diſpenſare. 5. *par. tr.* 10. *reſol.* 27. & *reſ* 29. Si autem ſuſpendatur, eſt tantùm ſuſpenſus ab eo ordine, quem per ſaltum ſuſcepit, & in eo miniſtrando efficitur irregularis: ſecùs in legitimè ſuſceptis. *ibid. reſ.* 28.

36 Suſpenſus iuxta Bullam Pij II. quia ſuſcepit ordines ſacros extra tempora, ante legitimam ætatem, &c. diſpenſari poteſt ab Epiſcopo. Immo & Superiores Regulares poſſunt abſoluere ſuos ſubditos ſic ſuſpenſos. *ibid. reſ.* 31.

37 Or-

Digitized by Google

37 Ordinatus ante legitimam ætatem duas ſuſpenſiones incurrit, vnam ob delictum, alteram ob defectum ætatis. Nec poteſt illa completa ſine diſpenſatione in ſuſcepto ordine miniſtrare, a qua debet per Pontificem relaxari, & ſi ſit occulta, per Epiſcopum, aut etiam in foro conſcientiæ per Bullam. Poteſt tamen exercere alios ordines ritè ſuſceptos. *ibid. reſ.* 34. & 35. & *reſ.* 53. 5. *par.* qui tamen ſi in eadem Miſſa, in qua ſuſcipit ordines ante legitimam ætatem, non eſt cenſendus irregularis. *ibid. reſ.* 37.

38 Qui ſuſcipit eadem die duos maiores ordines, probabile eſt non incurrere ipſo facto ſuſpenſionem, ſed ſuſpendendum eſſe; & Epiſcopus poteſt ſimul cum Subdiaconatu conferre minores ordines, vbi vigeret de hoc conſuetudo ante Conc. Trid. *ibid. reſ.* 36.

39 Satis probabile eſt Epiſcopum ordinantem ſubditum alienum ex ratihabitione non incurrere in ſuſpenſionem Conc. Trid. *ibid. reſol.* 38.

40 Qui ab Epiſcopo excommunicato vitando ignoranter ſuſcipit ordines, non incurrit ſuſpenſionem; niſi ſit ignorantia culpabilis. Sicut etiam non incurrit is, qui recipit ordinem a dicto Epiſcopo per metum cadentem in conſtantem virum. *ibid. reſ.* 39.

41 Epiſcopus cenſura ligatus tempore, quo Epiſcopatum recipit, non incurrit ſuſpenſionem, cùm in multorum ſententia Epiſcopatus non ſit ordo. *ibid. reſ.* 41.

42 Abbates conferentes tonſuram, vel minores ordines nouitijs, vel alijs, quàm ſuis ſubditis Regularibus non incurrunt ſuſpenſionem. *ibid. reſol.* 42. An verò hi poſſint, nec ne ordines conferre ſibi non ſubditis, valdè controuerſum eſt, & attendenda eſt reſolutio a Sacra Congr. *ibid.* & *tr.* 13. *reſ.* 93. Poſſunt tamen abſque vlla ſuſpenſione concedere dimiſſorias etiam nouitijs. *ibid. reſ.* 43.

Digitized by Google

43 Ordinati cum dimiſſorijs Capituli Sedis vacantis infra annum, incidunt in ſuſpenſionem. *ibid. reſ.* 46.

44 Qui relictis ordinibus minoribus Subdiaconatum recepit, quamuis grauiſſimè peccet, & teneatur ad ſuſcipiendos Ordines minores, probabiliter tamen ſuſtineri poteſt non incurrere ſuſpenſionem. *ibid. reſ.* 47.

45 Ordinatus ſine titulo cum ſola fideiuſſione alimentorum, non eſt ſuſpenſus. *ibid. reſ.* 48.

46 Qui ordinat aliquem accepta ab eo promiſſione, aut iuramento, quod non petet ab eo beneficium, aut alimenta, item cum tali promiſſione eum præſentans ad ordinem, ſuſpenduntur per triennium, ille a collatione; hic ab executione ordinum; & ita ordinatus non poteſt abſolui, niſi a Papa. *ibid. reſ.* 54. Secùs ſi id fiat ignoranter, ſaltem in foro interno. *ibid.*

47 Qui ficto titulo impetrat dimiſſorias, probabile etiam eſt non incurrere ſuſpenſionem latam in eos, qui ſine litteris dimiſſorijs ordinantur. *ibid. reſ.* 55.

48 Qui fuit ordinatus ipſo neſciente per munera, non incurrit ſuſpenſionem, etiamſi poſteà hoc ratum habeat. *ibid. reſ.* 56.

49 Regularis Clericus, qui excommunicatus propter percuſſionem Clerici ordines ſuſcipit, incurrit in ſuſpenſionem; ſi tamen id faciat in contemptum diſciplinæ Eccleſiaſticæ; ſecùs ſi ex ignorantia craſſa, vel etiam ſupina. *ibid. reſ.* 58. Idem dic de eo, qui durante Matrimonio ſuſcipit ordines, excuſabitur enim ignorantia; ſecùs ſi adſit præſumptio. *ibid. reſol.* 59.

50 Quoties dubium occurrit an ordo ſit verè collatus, ſiue quia materia eſt dubia, ſiue quia ſunt rationes ſufficientes dubitandi, certum eſt poſſe tunc, & debere ſub cõditione iterari. Si verò adſint opiniones probabiles pro vali-

validitate, & nullitate ordinis, probabiliter vtrumque ſuſtineri poteſt, & iterandos, & non iterandos ordines ſic collatos. Si tamen ille ordo ſit Sacerdotalis, aut Epiſcopalis, tenetur ſine dubio ſub conditione iterare: ſecùs ſi ſint inferiores ordines. At ad hanc iterationem requiritur verum dubium, non autem opinio, aut obliuio, vel ſolus timor. *ibid. tract.* 13. *reſ.* 47. & *reſ.* 48. & *reſ.* 64.

51 Si quis adminiſtrauit Sacramentum Ordinis Sacerdotalis inualidè, tenetur manifeſtare hunc defectum cum periculo vitæ, aut famæ: ſecùs de reliquis ordinibus, quia virtute cõtinentur in Sacerdotali, & dummodò hic ſit ritè acceptus, validè in alijs miniſtratur. *ibid. tract.* 13. *reſ.* 55.

52 Qui ſcit legere Italicè, quamuis neſciat latinè, poteſt ab Epiſcopo initiari prima tonſura. Itemque, ſi neſciat ſcribere, dummodò characteres formare ſciat. *ibidem tract.* 14. *reſol.* 27.

53 Clericus, qui lapſus eſt in hæreſim, poteſt poſt pœnitentiam, & abiurationem ſuſceptos ordines exercere. 4. *part. tract.* 4. *reſ.* 38.

54 Clerici publicè concubinarij iure nouo non ſunt ſuſpenſi, cùm hæc ſuſpenſio in deſuetudine abierit. 5. *par. tract.* 10. *reſ.* 49. Idem dic de Clericis vtentibus veſtibus prohibitis. *ibid. reſ.* 51.

Sacramentum Matrimonij.

1 ADulterium cum promiſſione ficta contrahendi poſt obitum viri, non eſt impedimentum; nam vt contrahatur impedimentum, opus eſt vt promiſſio matrimonij ſeriò, & ex animo fiat, ſitque mutua, & pura, aut ſaltem ante mortem purificata. 3. *par. tr.* 4. *reſ.* 198.

2 Contrahentes matrimonium in peccato mortali, non committunt duplex peccatũ, quatenus ſuſcipiunt &

Digitized by Google

quatenus miniſtrant hoc Sacramentum indignè : quia non ſunt ad hoc miniſtrandum ſpecialiter deputati. *ibid. reſol.* 199.

3 Non peccat mortaliter coniux ſi voluntariè delectetur in commotione ſenſibili orta ex coniugis abſentis recordatione; quia illa delectatio ex ſe tendit ad opus coniugale; eſt autem per accidens quòd per abſentiam opus non poſſit exerceri; ſupponendum tamen eſt in hoc caſu abeſſe pollutionis periculum. *ibid. reſ.* 200.

4 Quando eſt improportio inter virum, & vxorem, quia vxor eſt nimis arcta, ſi ille defectus eſt naturalis ob extraordinariam arctitudinem, tenetur illa pati inciſionem, modò non ſit periculum ne inde ſequatur mors, vel infirmitas grauis; quia defectus ab ipſa prouenit; & in eas anguſtias mulier ſua culpa ſe coniecit; debuiſſet enim ante nuptias ſibi proſpicere. Si verò defectus non prouenit ex muliere, ſed ex viro, quia ſcilicet membrum habet nimis improportionatum, vel minùs rigidum, vxor non tetur pati inciſionem, etiamſi facili negotio, & abſque periculo fieri poſſit; quia cùm defectus ſit viri, ad ipſum pertinet vti remedio : vxori verò ſufficit offerre debitum more ordinario. At ſi vir poſt trium annorum congreſſum, & conatum, non tamen potuit clauſtra perrumpere, probabile eſt matrimonium eſſe diſſoluendum. Quia in contractu matrimonij fit mutua traditio corporum aptorum ad vſum coniugij; ſi verò vir ineptus fuerit ad vſum corporis quod ex ſe aptum illi in vſum traditur, nullum habet ius ad eius vſum. Itaque vir, qui eſt impotens ad virginem agnoſcendam, niſi illa incidatur, nullum ius habet ad vſum illius corporis : cùm enim hoc ius ſolùm conferri debeat ex vi contractus, non cenſetur contractus validus, niſi ſubintellecta conditione, *modò aptitudo ſit mutua.*

mutua. Neque dixeris matrimonium non eſſe diſſoluendum, niſi ob impedimentum perpetuum; hoc autem non eſſe perpetuum, cùm arte medicorum abſque periculo facilè tolli poſſit. Reſpondeo enim id eſſe verum, quando impedimentum prouenit ex defectu fęminæ, ſed in noſtro caſu impedimentum prouenit ex defectu viri: qui defectus nullo remedio tolli poteſt, mulier autem, vt ſuppono, nullum vitium contraxit à natura, ſed eſt integra, & vegeta: quare ipſi non ſunt remedia adhibenda, ſed viro potiùs, qui defectum patitur. Si qui autem Canones videntur huic noſtræ ſententiæ aduerſari, intelligendi ſunt de defectu, qui prouenit ex muliere, non autem ex viro. *ibid. reſ.* 201. *& in Addit. in fin.* 3. *par. reſ.* 3.

5 Qui poſt votum Religionis, vel caſtitatis, corrupit virginem ſub ſpe, & pacto coniugij, tenetur illam ducere, niſi ea gratis remittat obligationem, aut alia ratione illi ſatisfiat. 3. *par. tract.* 4. *reſ.* 203. Contraria tamen ſententia eſt etiam probabilis: quia promiſſio facta virgini nulla fuit, vtpote promiſſio rei illicitæ contra votum. Igitur qui poſt votum Religionis deflorauit virginem cum promiſſione coniugij, poteſt vtrumlibet, vel matrimonium cum illa contrahere, vel religionem ingredi. *ibidem reſol.* 280. *&* 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 38.

6 In ſponſalibus non ſufficit conſenſus fictus; quia promiſſio, quæ fit animo ficto non obligat, cùm is, qui promittit non habeat intentionem ſe obligandi. *ibid. reſ.* 205.

7 Si is, qui contraxit ſponſalia adimplere nolit, primùm monendus eſt, deinde per cenſuram compellendus; compulſione tamen moderata. *ibid. reſ.* 206.

8 Poſt ſponſalia etiam iuramento confirmata licèt Religionem ingredi; per ingreſſum autem ſponſalia diſſoluentur. *ibidem reſol.* 207.

Digitized by Google

9 Qui contractis ſponſalibus, ſacros ordines ſuſcipit, nullum peccatum committit, ſecundùm quoſdam: quia quando contrahuntur ſponſalia, videtur ſubintellecta conditio (*niſi impediat electio melioris ſtatus*) *ibid. reſ.* 203.

10 Per matrimonium validum diſſoluuntur priora ſponſalia, quoad eum, qui non contraxit matrimonium: Quoad eum verò qui contraxit, eſt probabile obligationem ſponſalium non extingui (ſi alter expectet) ſed ſuſpendi, & ſoluto eo matrimonio teneri ad implenda priora ſponſalia: vt cùm quis votum. Religionis emiſit, & poſteà contraxit coniugium, & conſummauit, non extinguitur voti obligatio, ſed ſuſpenditur; nam diſſoluto matrimonio tenetur Religionem ingredi. *ibid. reſol.* 209.

11 Si poſt ſponſalia cum prima, ſequantur ſponſalia cum ſecunda, vnà cum copula, probabile eſt priora ſponſalia diſſolui; poſterior enim promiſſio eſt fortius vinculum, & ſtrictior obligatio reſarciendi iniuriam, & damnum. *ibid. reſol.* 210.

12 In contractu ſponſaliorum licitè poteſt apponi pęna iniuſtè reſiliēti; tamen excommuni DD. ſententia reſiliens non tenetur pœnam perſoluere, etiamſi iuramento firmetur. *ibidem reſol.* 211.

13 Pactum in contractu ſponſalium, vel matrimonij appoſitum, vt vir perpetuò habitet in domicilio vxoris, eſt validum, niſi noua, eaque iuſta cauſa emergat mutandi domicilij, tunc enim vxor tenebitur virum ſequi. *ibidem reſol.* 212.

14 Sponſalia metu graui contracta, ſunt inualida, nec fiunt valida, accedente iuramento; quia iuramentum metu extortum non confirmat contractum, nec indiget relaxatione. *ibid. reſ.* 278.

15 Quando aliqui non parentes, vel tutores, nec ex man-

mandato, pro alijs præſentibus, & tacentibus contrahunt ſponſalia, horum taciturnitas non eſt ſignum ſufficiens interni conſenſus: neque vrget illa regula iuris: *Qui tacet, conſentire videtur*; tunc enim cenſetur conſentire, quando eſt in ſuum fauorem, non verò in ſuum præiudicium. Contraria tamen ſententia eſt etiam valdè probabilis. *ibid. reſ.* 270.

16 Quando parentes & tutores pro filijs, & pupillis contrahunt ſponſalia, non ſufficit poſteà id ſcientes non contradicere, ſed requiritur vt ſponſalia a parentibus contracta tacitè vel expreſsè aliquo ſigno ſufficienti ratificent. *ibid. reſ.* 271.

17 Ad contrahenda ſponſalia ſufficit ſeptennium eſſe moraliter completum, etiamſi octo vel decem dies deſint; quod intelligendum eſt in foro externo, & quando non conſtat malitiam ſupplere ætatem; nam in foro conſcientiæ valida erunt ſponſalia multò ante contracta, ſi adſit ſufficiens vſus rationis. *ibid. reſ.* 274. Neque peccant pueri ante ſeptennium ſponſalia contrahentes. *ibid. reſ.* 275. Contrahentes autem matrimonium antè legitimam ætatem abſque licentia Epiſcopi, & iuſta interueniente cauſa, peccant mortaliter: id enim iure prohibetur. *ibid. reſ.* 276. Ætas autem legitima completur prima die anni 12. in fœminis, & 14. in viris: & quamuis deſint duo aut tres dies, ſufficit ætatem moraliter eſſe completam. Imò matrimonium ante legitimam ætatem contractum, ſi malitia ſuppleat ætatem, eſt validum. *ibid. reſ.* 277.

18 Poteſt quis puber factus, non expectata alterius pubertate ſtatim reſilire a ſponſalibus. Quia fruſtrà expectatur euentus, cuius nullus eſt effectus. *ibid. reſ.* 282.

19 Sponſa non poteſt reſilire a ſponſalibus, etiamſi ſponſus permittat ſe ab alia impudicè tangi per oſcula, am-

Digitized by Google

amplexus, &c. quia id ſponſæ non eſt dedecus; niſi illa oſcula eſſent ita frequentia, vt indicarent propenſum valdè ſponſi in alteram animum, vt meritò timeri poſſit ne fidem ſponſæ ſit ſeruaturus. *ibid. reſ.* 283.

20 Si vterque ſponſus fornicetur poſt ſponſalia, ſolus vir poteſt a ſponſalibus reſilire: nam delicta ſunt valdè imparia, longeque ignominioſius eſt Sponſo talem ducere, quàm ſponſæ, tali nubere: ad hæc longè grauius damnum imminet ſponſo propter incertitudinem prolis. *ibidem reſol.* 284.

21 Certum eſt ſponſum poſſe reſilire a ſponſalibus, ſi ſponſa oculum, aurem, vel naſum amiſerit, vel ſi morbus contagioſus vel lepra ſuperueniat; item ob graueolentiam oris immedicabilem, aut vehementem morbi gallici ſuſpicionem. Idem dicendum eſt de notabili deformitate, quæ poſt ſponſalia ſuperuenit ſponſæ: tunc enim ſponſus habet ius reſiliendi; non item ſponſa, ſi hæc deformitas accidat ſponſo: quia in viris non admodum requiritur pulchritudo, niſi ſponſus ita fieret deformis, vt ſpectantibus horrorem incuteret, aut ineptus redderetur ad officium, ſeu opificium exercendum. *ibid. reſ.* 285.

22 Quando nulla præceſſit promiſſio dotis, diſſolui poſſunt ſponſalia, ob paupertatem ſponſæ ſuperuenientẽ: hæc enim eſt notabilis mutatio, quæ ſi fuiſſet a principio, ſponſalia non fuiſſent contracta. At ſi ſponſa noua repentè hæreditas obueniat, ita vt ſponſa iam illi ſit inæqualis; non ideò habet ius reſiliendi, quia non fuit deceptus in ſponſæ conditione, in qua nulla facta eſt mutatio. Idem dicendum de ſponſa, ſi noua illi hæreditas accedat. *ibid. reſol.* 286.

23 Contrahens non tenetur aperire ſuos defectus qui reddunt nuptias minimè appetibiles; non tamen perni-

cio-

cioſas; præſertim cùm eiuſmodi defectus aliquam infamiã habent adiunctam. Sic ſponſa vti poteſt aliquo artificio ne vir deprehendat corruptam; imò licet apertè dicere ſe eſſe virginem, non propterea peccaret mortaliter; poſſetque cogere ſponſum huius occulti defectus ignarum, ad ſtandum ſponſalibus, & matrimonium contrahendum. At verò ſi defectus ſunt pernicioſi, vt morbus contagioſus, grauis infamia, &c. non licèt cum horum ignaro contrahere, niſi ſimiles defectus ipſe pateretur. *ibid. reſ.* 287.

24 Sponſalia inter conſanguineos inita cum conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, ſunt nulla; ideòque probabiliter licet vtrique contrahenti ante & poſt impetratam a Pontifice diſpenſationem, altero inuito a ſponſalibus reſilire, etiamſi promiſſio ſit iuramento confirmata. Si tamen factæ ſunt magnæ impenſæ ad impetrandam diſpenſationem, reſiliens tenetur illas reſtituere. *ibid. reſol.* 290.

25 Matrimonium initum per verba de præſenti, ſub conditione aliqua honeſta, non fit validum poſt impletam conditionem, abſque nouo alio conſenſu, ſed habebit tantùm vim ſponſaliorum: perinde enim eſt ac ſi fieret per verba de futuro; neque vllum Sacramentum pendere poteſt à conditione de futuro. Quare ſi duo conſanguinei contrahant coram Parocho, & teſtibus per verba de præſenti, ſub conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, non eſt matrimonium, niſi accedat nouus conſenſus poſt obtentam diſpenſationem. *ibid. reſol.* 291.

26 Ad reualidandum matrimonium fictè contractũ, ſufficit ſi fictè cõſentiens, pòſt verè aſſenſum præbeat, quocumque temporis ſpatio interiecto: alterius enim conſenſus ſemper manet non tantùm virtute, ſed etiam actu, & formaliter; credit enim valere matrimonium, petit & reddit debitum; neque opus eſt vt coram Parocho & teſtibus

iterùm

iterùm celebretur hoc matrimoniũ; ſupplendus eſt enim tantùm defectus conſenſus interni. *ibid. reſ. 292. & 4. par. tr. 4. reſ. 49. verſ. Notandum; & 5. par. tr. 13. reſ. 87.*

27 Quando adeſt ſcientia iuris, error facti, vt quando coniuges falsò credunt adeſſe impedimentum, & tamen contrahunt, quia illis occurrit ſe fortaſſis non teneri illo impedimento, poteſt eſſe conſenſus ſufficiens ad matrimonium, quia eſt quaſi conditionatus, & conditio eſt de præſenti. Si verò planè credunt ſubeſſe impedimentum, etſi reuera non ſubſit, & nihilominùs contrahunt, matrimonium eſt nullum: quia impoſſibile eſt illos habuiſſe intentionem contrahendi, cùm ſciant ſe nullo modo poſſe. *ibid. reſ. 293.*

28 Tenetur Parochus vtrumque ſponſum interrogare de mutuo conſenſu ante contractum: eius tamen omiſſio, quando conſtat vtrumque liberè conſentire, eſt leuis, & tantùm venialis: non tenetur autem interrogare de aliquo impedimento. *ibid. reſ. 294.*

29 Qui bona fide contraxit, ſi poſteà dubitet de valore matrimonij, & poſt adhibitam diligentiam nondum ſit certus, poterit tamen reddere, & petere debitum; quia eſt poſſeſſio bonæ fidei. Neque tenetur coniux regulariter credere alteri aſſerenti etiam ſub iuramento ſe non conſenſiſſe, aut aliud ſubeſſe impedimentum dirimens. *ibid. reſol. 295.*

30 Contrahere cum impedimento dirimente non eſt duplex peccatum, tranſgreſſio ſcilicet iuris, & ſacrilegium, propter nullitatem Sacramenti: quia Sacramentum matrimonij eſt etiam contractus, cuius forma eſt mutuus cõtrahentium conſenſus verbo, nutu, ſcripto, aut alio ſigno expreſſus. vnde cùm ius Eccleſiaſticum aut naturale apponit impedimentum, irritat cõſenſum, & per conſequẽs,

Digitized by Google

Sacramentum; at verò contrahentes quantum in ſe eſt, intendunt validè contrahere. *ibid.reſ.*297.

31 Coniux non reddens debitum, excuſari poteſt a peccato mortali, ſi timet ne ob multiplicationem prolis, parentes & liberi ad extremam inopiam redigantur. Pactum autem inter coniuges initum ſe continendi ne proles multiplicetur, ſecluſo incontinentiæ periculo, eſt validum. *tract.*4.*reſol.*215.

32 Si coniugatus ſeipſum tangat voluptatis cauſa, extra actum coniugij, peccat mortaliter, etiamſi abſit periculum pollutionis: quia non habet dominium ſui corporis in ordine ad venerem ſecum explendam; ſed tantùm in ordine ad illam explendam cum coniuge. *ibid. reſ.*215. & 4.*par.tract.*4.*reſ.*137.

33 Coniuges vtentes copula, voluptatis cauſa, ne venialiter quidem peccant; neque ſi ob pulchritudinem aut diuitias cõtrahant. Fiunt vna caro per ſeminum commixtionem: vnde non cenſetur conſummatum matrimonium nec affinitas contracta, ſi fœmina non etiam ſeminarit. *ibid.reſ.*216. *& in Addit. in fin.*3.*part.reſ.*21.

34 Tactus, oſcula, &c. inter coniugatos non ſemper ſunt peccata mortalia, licèt cum periculo pollutionis, imò etiam cum pollutione, ſi accidat præter intentionẽ. 3.*par. tract.*4.*reſ.*217.

35 Vſus matrimonij eſt licitus tuendæ valetudinis cauſa, licèt ſuppetant alia media ad eum finem accommodata. *ibid.reſ.*218. Necnon vitandæ fornicationis gratia; quia matrimonium poſt lapſum hominis, ordinatum eſt etiam in remedium concupiſcentiæ. *ibid.reſ.*219.

36 Omnia vota vxoris, ſaltem conſtante matrimonio emiſſa, à marito irritari poſſunt, non minùs quàm vota Religioſi à Prælato, & vota impuberis à patre. Item votũ vxo-

vxoris de non petendo debito, vel de ingredienda Religione poſt obitum viri. Item vxoris vota emiſſa ante matrimonium, quod intelligendũ eſt etiam de marito ſecundi matrimonij, qui poteſt irritare vota, quæ fecit vxor tempore prioris matrimonij. *ibid. reſ.* 220. Et hoc procedit, etiam ſi vxor emiſerit vota de licentia viri. 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 110.

37 Nemo ex vi denuntiationis tenetur detegere impedimentum matrimonij occultum, quod ipſe ſolus nouit, neque poteſt probari. *ibid. reſ.* 221.

38 Ex ſponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis, nullum oritur impedimentum publicæ honeſtatis. Id eſt, qui contraxit ſponſalia cum aliqua, ſi poſteà ex communi conſenſu illa diſſoluantur, poteſt cum illius ſorore contrahere. *ibid. reſ.* 222.

39 Eccleſiaſticis legibus non licèt vxorem in adulterio deprehenſam occidere: nam ex contraria ſententia daretur occaſio quemlibet occidendi impunè, fingendo cum vxore illum habuiſſe commercium, & exponeretur manifeſto periculo æterna ſalus ſic interfectorum, qui accuſandi ſunt potiùs, & per Iudicis ſententiam puniendi. *ibidem reſol.* 223.

40 Non eſt peccatum mortale delectari moroſè de copula cogitata tamquàm præſente, dum coniuges ſunt abſentes. Cùm autem copula interdicitur coniugibus ob circumſtantiam aliquam extrinſecam, quæ per ſe neutrum coniugum arcet ab vſu matrimonij, non eſt prohibita delectatio de copula cogitata vt præſenti, vt ſi prohibita ſit copula ob periculum abortus; cùm enim hæc impedimenta opponantur ſoli copulæ, ſolus vſus illius redditur illicitus, non autem delectatio. *ibidem reſol.* 224.

41 Tactus, & oſcula etiam in partibus pudendis, verba impudica, &c. inter coniugatos, non ſunt peccatum mor-

mortale, modò abſit periculum pollutionis. Increpandi ſunt tamen qui hoc faciunt tamquàm nimis molles & libidinoſi. *ibid.reſ.*225. Etiam ſi detur cauſa commotioni membrorum ſeruientium generationi. *ibid.reſ.*226.

42 Poſſunt cõiuges etiam ſine peccato veniali cęptam copulam de mutuo conſenſu abrumpere, ne ſeminatio noceat valetudini, ne proles generetur ob nimiam paupertatem, &c. modò abſit periculum pollutionis. *ibidem reſol.* 227.

43 Si deprehenſus in ſtupro offerat conſanguineis matrimonium cum puella, vel in adulterio deprehenſus offerat matrimonium cum aliqua conſanguinea mariti, ne accuſetur, vel prodatur iuſtitiæ, non obſtante illo metu, tenetur in conſcientia illud matrimonium adimplere; quia metus eſt iuſtè illatus. Secùs autem ſi id faciat metu mortis inferendæ a conſanguineis, vel a viro. Is enim metus eſt iniuſtè illatus, cùm illi non poſſint iuſtè occidere. *ibidem rèſol.*228.

44 Quando matrimonium ex graui metu contractum eſt, poteſt reſilire is qui liber eſt a metu, modò ipſe vim aut metum non intulerit: quia nullam intulit iniuriã quam teneatur per matrimonium reſarcire. *ibid.reſ.*229.

45 Sponſi rus profecti recreationis cauſa, non poſſunt ibi matrimonium contrahere; quia non contraherent coram proprio Parocho, neque de Parochi licentia; atque hæc eſt ſacræ Rotæ deciſio. *ibid.reſ.*231.

46 Matrimonium in Parochia ſponſæ contractum coram Parocho ſponſi eſt validum. An autem hic Parochus qui in aliena Parochia coniungit ſuum Parochianum, peccet mortaliter, & ſit puniendus, in vtramque partem diſceptatur probabiliter. *ibid.reſ.*232.

47 Parochus excommunicatus toleratus aſſiſtens matrimo-

trimonio, non peccat; quia communicat in re neceſſaria ad ſuum munus ſpectante: & licèt benedicens ſponſos videatur peccare, quia exercet actum iuriſdictionis; quia tamen res eſt parui momenti, nec neceſſaria ad Sacramentum, non excedit culpam venialem. Poteſt etiam excommunicatus alteri licentiam dare, vt matrimonio aſſiſtat. *ibid reſ.233.*

48 Non poteſt validè matrimonium contrahi, etiam vrgente neceſſitate, ſine Parocho, & teſtibus; vt ſi morti vicinus vellet concubinam ducere ad legitimandam prolem: poteſt tamen Parochus in hoc caſu omittere denuntiationes. *ibid. reſ.234.& 5.part. tract.3.reſ.98.*

49 Denuntiationes faciendæ ſunt in vtriuſque Parochia, in qua diutius verſati ſunt, & domicilium habuerunt: cùm denuntiationes fiant vt impedimenta detegantur, ibi non poteſt commodè fieri in loco vbi ſponſi ſunt parum noti. *ibid. reſol.235.* Sunt item denuntiationes faciendæ tribus diebus feſtiuis, non tamen continuis; oportet enim duorum vel trium dierum interuallum intercedere inter vnam, & alteram. Omittere autem vnam ex tribus denuntiationibus, non eſt peccatum mortale. *ibid. reſ. 236.*

50 Epiſcopus, eiuſque Vicarius ſi Epiſcopus ſibi non reſeruet, ordinariè diſpenſare poſſunt, ne ex iuſta cauſa denunciationes fiant: Vicarius enim Epiſcopi cenſetur Ordinarius. *ibid. reſol. 237.& 238.* Quando verò contrahentes non ſunt ex eadem diœceſi, ſi Ordinarius vnius diſpenſet in denuntiationibus, poſſunt etiam omitti in alterius diœceſi. *ibid. reſ.239.*

51 Non obſtante copula violenter extorta intra bimeſtre, poteſt mulier, quæ vim paſſa eſt, viro renitente, ad Religionem tranſire: quia ſponſus grauem illi intulit iniuriam, cùm non haberet ius copulam extorquendi ante

bime-

Digitized by Google

bimeſtre conceſſum. *ibidem reſol.* 242.

52 Altero coniuge Religionem ingrediente, debet etiam alter ingredi, ſi ſit iuuenis; ſi verò ſit ſenex, poteſt in ſæculo manere, emiſſo tamen voto caſtitatis *ibid. reſ.* 243.

53 Si alter promittat matrimonium, & alter acceptet, tamen abſque repromiſſione tacita, vel expreſſa, neuter obligatur: quia contractus matrimonij mutuam requirit obligationem, nec vllus vult ſe alteri tradere, niſi ſub conditione, vt alter ſe ei mutuò tradat. Contrarium tamen etiam in praxi tutum eſt. *ibid. reſ.* 244.

54 Qui contraxit ſponſalia nullo præfixo termino, non tenetur promiſſionem implere, niſi requirente eo, cui facta eſt promiſſio: id enim commune eſt omni debito abſque diei præfixione, vt ſolùm teneatur debitor ſoluere a creditore requiſitus. *ibid. reſ.* 245.

55 Qui fictè contraxit matrimonium, non tenetur iterùm verè, & ex animo contrahere, niſi graue damnum vel infamia ſequatur fęminæ, cum qua contraxit. *ibid. reſ.* 247.

56 Qui cùm loqui poſſit, matrimonium contrahit per ſigna, & nutus, venialiter tantum peccat. *ibid. reſ.* 248.

57 Si procuratore miſſo ad contrahendum, mandans in amentiam incidat, valet matrimonium: manet enim virtute prior conſenſus, ſicut baptiſmus petitus ante amentiam, validè confertur in amentia. *ibid. reſ.* 249.

58 Probabilius eſt matrimonium inter abſentes contractum per procuratorem, vel per litteras coram Parocho, & teſtibus, eſſe Sacramentum: quare qui ita contrahunt, debent dare operam, vt ſint in gratia eo tempore quo procuratores eorum nomine contrahunt, ne Sacramentum viuorum ſuſcipiant in peccato mortali: procuratores autem non eſt neceſſe eſſe in gratia, quia ipſi non ſuſcipiunt Sacramentum. *ibid. reſ.* 250.

59 Materia & forma huius Sacramenti ſunt verba ipſa contrahentium: nam quatenus matrimonij contractum inchoant, habent rationem materiæ; quatenus verò eumdem perficiunt, & complent, habent rationem formæ. *ibid. reſ.* 251.

60 Coniux ex infidelitate ad fidem conuerſus, poteſt tranſire ad alias nuptias, quamuis alter in infidelitate perſiſtens, velit pacificè cohabitare: eſt tamen longè tutius petere diſpenſationem. Qui verò non vult petere, tenetur infidelem monere, & inuitare ad fidem: petenti verò certum tempus ad deliberandum debet concedere. *ibidem reſol.* 252.

61 Matrimonium contractum inter infideles, non poteſt fieri verum Sacramentum, etiamſi poſteà baptizentur. Quia matrimonium eſt eſſentialiter contractus inter baptizatos initus; poſt baptiſmum autem non poſſunt de nouo matrimonium contrahere, quia prius matrimonium non irritatur per baptiſmum. Tamen credere par eſt, Deum eiuſmodi coniugatis ad fidem conuerſis maiorem gratiam impertiri ad ferenda onera matrimonij, quàm infidelibus, ratione fidei ac baptiſmi. *ibid. reſ* 253.

62 Inter fideles poteſt eſſe matrimonium, quod non ſit Sacramentum: cùm enim miniſtri huius Sacramenti ſint ipſi contrahentes, & cùm omne Sacramentum perficiatur intentione miniſtri; ſi contrahentes habeant intentionem celebrandi matrimonium, non tamquàm rem ſacram, ſed tantùm vt contractum, reuerà tale matrimonium non erit Sacramentum; valebit tamen contractus, itavt ita contrahens non poſſit alteri nubere. *ibidem reſol.* 255.

63 Quando adulterium eſt occultum, vt probari ab innocente non poſſit, poteſt ille non expectato Eccleſiæ iu-

iudicio, in foro conſcientiæ vxorem dimittere, ſecluſo tamen aliorum ſcandalo: quia vir in foro conſcientiæ poteſt ſibi ius dicere, cùm defectus probationis non proueniat ex ſua culpa. Tamen in foro externo non permittitur ſeparatio niſi adulterium ſit notorium. Facto autem diuortio de ſententia Iudicis Eccleſiaſtici, innocens habet ius reuocandi ad ſe nocentem ſi velit; quare nocens non poteſt inuito, aut inconſulto innocente ad Religionem tranſire, nec votum ſimplex caſtitatis emittere. *ibid. reſ.* 257.

64 Matrimonium contractum ſine præſentia Parochi, & teſtium, ne vim quidem habet ſponſalium, ſeu promiſſionis de futuro, & contrahentes poſſunt diſcedere ab illo contractu non expectata Iudicis ſententia: & ſi interceſſiſſet iuramentum, nihil eſt opus abſolutione; cùm enim ille contractus aduerſetur decreto Conc. Trident. videtur potiùs illuſorius, quàm vllo modo validus. *ibid. reſ.* 258.

65 Impedimenta criminum ſunt per diuturnam deſuetudinem ſublata. Sunt autem hęc; 1. vxoricidium. 2. Presbytericidium. 3. matrimonium cum moniali ſcienter initum. 4. Si quis ſuam prolem de ſacro fonte ſuſcepit. 5. Si quis ob peccatum publicum pœnitentiam agere debuit. 6. Raptus ſponſæ alienæ. 7. Inceſtus cum conſanguineis coniugis adhuc viuentis. Igitur qui hæc crimina admiſerunt, non tenentur petere diſpenſationem antequam contrahant. *ibid. reſ.* 259.

66 Quando infans fuit domi baptizatus, ſi poſteà deferatur ad Eccleſiam, vt cęremoniæ peragantur, qui inſtar patrini tenet infantem, nullam cum eo contrahit cognationem ſpiritualem. *ibid. reſ.* 260.

67 Quando quis rapuit virginem libidinis cauſa abſq; intentione contrahendi matrimonium, poteſt cum ea validè contrahere matrimonium: quia decretum Concil.

Digitized by Google

Trid. tantùm comprehendit raptum, qui fit contrahendi matrimonij cauſa. Imò loquitur de eo raptu, per quem vis infertur puellæ, non autem parentibus. *ibi. reſ.* 261.

68 Affinitas orta ex copula fornicaria non impedit matrimonium poſt baptiſmum contrahendum: quia affinitas ſpiritualis non contrahitur inter infideles. *ibid. reſ.* 262. Nulla verò eſt affinitas ſi fęmina etiam non ſeminauerit; nec conſummatur quidem matrimonium, niſi fiat ſeminum commixtio: *In addit. in fine 3. par. reſ.* 21. *&* 4. *par. tr.* 2. *reſ.* 43.

69 Licet infideli, diſſoluto ſemel matrimonio cum fideli, ad aliud matrimonium tranſire: quia nulla lege prohibetur; non Eccleſiaſtica, nam Eccleſia nihil habet iuriſdictionis in infideles; non naturali diuina, quia prius matrimonium ſupponitur diſſolutum. 3. *par. tr.* 4. *reſol.* 263.

70 Tempore interdicti poteſt licitè contrahi matrimonium, & fieri denuntiationes, etiamſi contrahentes ſint ſpecialiter interdicti; quia in illo interdicto non comprehenditur matrimonium, niſi exprimatur. *ibid. reſ.* 267. *&* 5. *par. tract.* 10. *reſ.* 82.

71 Non peccat qui ſcienter contrahit cum excommunicato, niſi ſit denuntiatus, aut notorius percuſſor clerici. *ibid. reſ.* 268.

72 Matrimonium Catholici cum hęretico etiam cum periculo peruerſionis, eſt aliquando licitum ob grauem aliquam cauſam. *ibid. reſ.* 269.

72 Non tenentur iterùm coram Parocho, & teſtibus contrahere, qui ſemel coram illis contraxerunt, inualidè tamen ex defectu conſenſus, vel propter occultum impedimentum dirimens; ſed ſufficit vt ſecretò conſentiant, impetrata priùs impedimenti diſpenſatione: ſi tamen ſubeſt periculum ne detegatur impedimentum, & probetur

in

in foro externo, celebrandum erit iterùm matrimonium coram Parocho, & teſtibus. 2. *par. tract.* 15. *&* 1. *Miſcell. reſ.* 5. *&* 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 49.

73 Non eſt peccatum mortale ſi per extraordinarium coeundi modum aliqua pars ſeminis elabatur, dummodò retineatur alia, aut ſi non ita certum ſit fore vt proles ſuſcipiatur. Si autem vir in fine copulæ ſemen extra vas effundat, peccat mortaliter. At ſi vxor non conſentiat, non peccat reddendo, aut etiam petendo debitum, quia illi effuſioni non cooperatur. *ibid. reſ.* 64.

74 Poteſt Epiſcopus aliquando diſpenſare ſuper impedimento dirimente: antequàm matrimonium contrahatur, quando vrgentiſſima neceſſitas id exigit: quia impedimentum dirimens eſt de iure humano; ideòque ſicut Epiſcopus poteſt ex magna neceſſitate poſt contractum matrimonium, diſpenſare in impedimento dirimente, ex ſententia omnium DD. cur non poterit anteà? *ibid. tract.* 16. *&* 2. *Miſcell. reſol.* 17. & 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 48. *verſ. Notandum.* Secùs ſi mala fide contractum ſit, & ſequatur ſcandalum, aut periculum. 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 18.

75 Oſcula & tactus modò non ſint impudici, & abſit periculum pollutionis, inter ſponſos de futuro, excuſantur a culpa mortali; quia cohoneſtantur a ſponſalibus. *ibidem tr.* 17. *&* 3. *Miſcell. reſ.* 6.

76 Non tenetur vxor pecunias per adulterium partas, marito, aut alteri reſtituere; quia damnum per adulteriũ illatum non eſt pecunia æſtimabile: neque leges adulterium prohibentes reddunt irritam illam pecuniarum acceptionem. *ibid. reſ.* 7.

77 Delectatio de actu coniugij præterito, abſente coniuge, imò etiam futuro, ac ſi actu eſſet præſens, modò abſit periculum pollutionis, excuſatur a culpa mortali; quia

Digitized by Google

delectatio ſumit malitiam ab obiecto: at obiectum huius delectationis eſt licitum: ergo & licita delectatio. *ibidem reſol.* 36. Abſente tamen coniuge non licet libidinis cauſa ſe ipſum tangere: quia hi tactus cùm neque fiant cum coniuge, nec ad finem coniugij referantur, non poſſunt eſſe coniugales. *ibid. reſol.* 37.

78 Si fęmina, poſtquàm maritus ſemine intra vas emiſſo membrum extraxit, libidine incitata, tactibus ſe prouocet ad ſeminandum, non peccat mortaliter, quia eſt conſummatio, & perfectio actus coniugalis. *ibid. reſ.* 38.

79 Adulter, qui ſuſcepit prolem ex alterius vxore, ſecundùm quoſdam non tenetur ad reſarciendum damnũ legitimis filijs, modò ipſe non fuerit auctor ſuppoſitionis; quia huius dãni ſola adultera eſt cauſa, quæ prolem adulterinam ſupponit marito tamquàm legitimam; adulter autem ſolùm tacendo permittit vt ſupponatur; neque eſt magis cauſa ſuppoſitionis, quàm abortionis ſi adultera procuraret abortum inſcio adultero. Ergo non ipſe, ſed mater tenebitur ad reſtitutionem. Tenetur tamen adulter reſtituere alimenta proli impenſa a tertio ætatis anno, etiam ſi non fuerit cauſa ſuppoſitionis. *ibid. reſol.* 55.

80 Qui rem habet cum muliere in tertio aut quarto gradu coniuncta cum vxore, vel ſibi affini in eodem gradu, non impeditur a petitione debiti: quia nullum ius Eccleſiaſticum hoc ſtatuit. 3. *par. tract.* 5. *Miſcell. reſ.* 19.

81 In dubio an diſpenſatio matrimonij ſit valida, an ſubreptitia, præſumendum eſt eſſe validam: nam in re dubia iudicandum eſt in fauorem actus. *ibid. tract.* 6. *Miſcell. reſol.* 9.

82 Coniugatus, qui delectatur de copula imaginaria cum vxore aliena, non ſolùm peccat contra caſtitatem, ſed etiam contra iuſtitiam: quia coniux per matrimoniũ

non

Digitized by Google

non tantùm corpus, ſed etiam affectus coniugi obligauit. *ibid. reſ. 73.*

83 Qui ſub ſpe, & conditione coniugij corrupit virginem, tenetur eam ducere, etiamſi fictè promiſiſſet; niſi ſit longè nobilior, aut opulentior, aut niſi aliquod legitimum impedimentum interuenerit, aut niſi contingat illam poſteà cum alio fornicari, aut ſi putabat illam eſſe virginem, & in coitu deprehendat reuera non fuiſſe. *ibid. reſol.* 81.

84 Licet contrahere matrimonium cum impedimento dirimente, metu mortis, aut grauis alterius damni, quo in caſu matrimonium erit nullum. *ibid. reſ.* 83.

85 In ætate requiſita ad matrimonium datur paruitas materiæ, nec neceſſe eſt, vt ſit mathematicè completa. 5. *par. tr.* 5. *reſ.* 16.

86 Surdus, & mutus a natura poſſunt contrahere matrimonium; & eorum conſenſus legitimis ex geſtis, & ſignis colligi poteſt. *ibid. tr. 6. reſ. 9.* At ſecùs ſi eſſet mutus, ſurdus, & cæcus ſimul. *reſ.* 10. *ibid.*

87 Qui ex metu cogitur matrimonium contrahere, licèt in genere, ſi poſteà contrahat, inualidè contrahit, quia vt matrimonium ſit liberum, non ſufficit electio huius, vel illius perſonæ, ſed requiritur vt electio talis ſtatus libera plenè ſit, & non coacta. 4. *par. tr.* 4. *reſ.* 33.

88 Matrimonium ex graui metu initum nullum eſt non ſolùm de iure Eccleſiaſtico, ſed etiam inſpecto iure naturali. *ibid. verſ. Notandum.* Idem procedit in conſtitutione procuratoris ad matrimonium, nam ſi ex graui metu id fiat, erit nulla iure naturali, & poſitiuo, & per conſequens matrimonium nullum. *ibid. verſ. Nota etiam.* Itemque nullum erit matrimonium, ſi Iudex cogat matrimonium contrahere ſecundùm allegata, & approbata; vt ſi cogat aliquem contrahere cum fęmina poſt promiſ-

ſionem datam fornicanti. *ibid. verſ. Et tandem.*

89 Parentes cogentes filios ad matrimonium ineundum, non incurrunt excommunicationem latam in *Conc. Trid. ſeſſ.* 24 *cap.* 9. de matrim. quia lata eſt ſolùm contra dominos temporales, & alios habentes iuriſdictionem temporalem in foro exteriori ſæculari. Vnde neque Parochus, neque Epiſcopus, ſi compellerent, incurrerent in dictam excommunicationem; quia non habent iuriſdictionem in foro externo ſæculari. *ibid.* & *reſol.* 132. *verſ. Non deſinam.*

90 Filij non tenentur cõtrahere matrimonium, quod pater promiſit, aut præcepit, & ſi qua lex id videtur iubere, intelligenda eſt debito honeſtatis, non autem præcepti, ſeu obligationis. 4. *part. tr.* 4. *reſ.* 132.

91 Clerici ſacris Ordinibus initiati, & Religioſi matrimonium ineuntes, non ſolùm committunt ſacrilegium, ſed etiam ſunt de hæreſi ſuſpecti. Pęnæ ſunt ordinariè abiuratio de leui, & ad triremes ad minus per quinquenniũ damnatio, niſi talis qualitas perſonæ, & circũſtantiæ concurrerent, vt etiam neceſſe fuerit reum torquere, & abiurationem de vehementi imponere, & augere pęnam ad triremes: vt ſi v. g. Clericus, ſeu Monachus eſſet de prouincia infecta Lutherana hæreſi: nam perſona redditur ſuſpecta reſpectu regionis. 4. *par. tr.* 7. *reſ.* 5.

92 Sicut profeſſi aliarum Religionum, ſic illi, qui in Societate Ieſu vota biennij emiſerunt, ſi matrimonium poſteà contraherent, præterquàm quòd matrimonium eſt irritum, ſubijciuntur ſupradictis pœnis, & abiurant. *ibid. verſ. Notandum etiam.*

93 Cognatio legalis, orta ex adoptione imperfecta, ſeu ſimplici, quæ nomen quidem adoptionis retinet, ſed adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, quia per eam

aſſumi-

aſſumitur in filium ille, qui eſt ſub poteſtate ſui patris carnalis, & non eſt hæres neceſſarius ex teſtamento, ſed tantùm ab inteſtato, & fieri poteſt auctoritate magiſtratus inferioris Principe ex probabiliore non dirimit matrimonium. 4.*part.tract.*4.*reſ.*120.

94 Filij adoptiui ſine vlla prævia diſpenſatione poſſunt inire matrimonium, neque vlla obſtat cognatio legalis inter eos; immò inter adoptiuum, & filiam naturalem adoptantis, ſi ſit illegitima, non procedit impedimentum cognationis legalis. *ibidem reſol.* 121.

95 Impotens cum impotentia perpetua, & cognita non poſſunt inire verè matrimonium, neque in ordine ad caſtè viuendum. Contrarium tamen etiam ſatis probabiliter ſuſtineri poteſt. 4.*par.tract.*4.*reſ.*75.

96 Coniux nullitatis matrimonij conſcia ob impedimentum dirimens, ſiue diuino, ſiue humano iure, in nullo caſu poteſt reddere debitum viro ignoranti, licèt vitæ periculum ipſa ſubeat. 4.*par.tr.*4.*reſ.*48.

97 Non videntur a matrimonio arcendi, qui fidei rudimenta neſciunt, quia nullibi reperitur hoc impedimentum: expedit quidem ſuauiter abſque vi, bono modo, & prudenti ratione ad breue tempus impedire, vt ſic doctrinæ addiſcendæ curam habeant. 4.*par.tract.*4.*reſ.*85.

98 Ad hoc vt licitum ſit alteri coniugi Religionem ingredi, non ſufficit ſolus conſenſus coniugis, ſed requiritur, vt ambo ingrediantur, vel qui in ſæculo manſurus eſt, & votum perpetuæ continentiæ editurus, ea ſit ætate, vt extra periculum incontinentiæ eſſe videatur: & ego puto fœminam quinquagenariã eſſe ſenem, quoad hunc effectum. 4.*par. tract.*4.*reſ.*73.

99 Poteſt vir conſentiente vxore promoueri ad Sacerdotium, quamuis ipſa iuuenis Religionem non ingrediatur,

tur, ſed caſtitatem voueat, ſtando in puncto iuris: & ſi quæ lex id videtur ſtatuere, ea intelligenda eſt ſolùm de promouendo ad Epiſcopatum, tunc enim neceſſaria eſt profeſſio vxoris in Religione, ſiue ſit iuuenis, ſiue ſenex. *ibi, reſ.* 129.

100 Probabile eſt, ſi alter coniux non cogitet intrare Religionem, non poſſe reddere debitum primis duobus menſibus alteri coniugi petenti; coniux autem, qui Religionem ingreditur, non tenetur profiteri bimeſtri completo, ſed ſatisfacit ingrediendo Religionem, & tempore debito profitendo. *ibid. reſ.* 133.

101 Summus Pontifex poteſt diſpenſare, vt ſocer ſumat in vxorem nurum ſuam, & inter cæteros affines in primo gradu lineæ rectæ, quia hæc affinitas non dirimit matrimonium iure naturali, ſed ſolùm ex iure poſitiuo. *4. part. tract. 4. reſ.* 93.

102 Matrimonium item inter fratrem, & ſororem non eſt ita irritum iure naturæ, vt Summus Pontifex non poſſit diſpenſare. *ibid. verſ. Verùm.*

103 Quando vterque coniux caſtitatem vouit ex communi conſenſu, poteſt Epiſcopus propter periculum incôtinentiæ diſpenſare, vt petant, & reddant. Item in voto caſtitatis emiſſo poſt contractum, & conſummatum matrimonium, ſiue hoc votum ſit emiſſum ab vno tantùm coniuge de conſenſu, aut ſine conſenſu alterius, ſiue ab vtroque coniunctim, aut ſeorſim, vel per modum contractus, ſi adeſt periculum incontinentiæ: Immò etiam in voto caſtitatis emiſſo poſt contractum matrimonium ante conſummationem. *ibid. reſ.* 125.

104 Matrimonium non cenſetur conſummatum, ſi ſolus vir intra vas ſeminet naturale, fœmina verò non. Et ſi id partibus conſtet, poſſunt Religionem ingredi, & profiteri, & pars relicta in ſæculo aliud matrimonium inire.

5. part.

Digitized by Google

5.*part.tract.*13.*reſol.*54.

105 Coniugati cum delectãtur moroſè de aliquo obiecto libidinoſo, non tenentur in confeſſione explicare circumſtantiam coniugij, videlicet ſe eſſe coniugatos. 5.*part. tract.*13.*reſ.*99.

106 Graue peccatum eſt inter coniugatos, vel rariſſimè, vel cum magna difficultate reddere debitum ei, qui ſeriò petit illud, & quandoque coniux tenetur illud reddere petenti ſub onere peccati mortalis. 5.*par. tr.* 14. *reſ.*36. Ratione tamen paruitatis materiæ poteſt eſſe veniale. *ibid. tract.*5. *reſ.*14.

107 Dùm alter ex coniugibus, ſi poteſt non expectat alterius ſeminationem, non peccat nihilominus mortaliter; Et mulier ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi viro exigenti præſtet quidem vſum ſui corporis, animum tamen ad alia cõuertat, ita vt natura non excitetur. 5.*par.tract.*14.*reſ.* 37.

108 Coniux tenetur reddere debitum alteri petenti cũ peccato veniali. v.g. quoad ſitum, &c. vnde vxor poteſt ſine ſcrupulo reddere debitum viro petenti, qui inuerſo modo, ſeu præpoſterè ſuccumbens, vult illam intra naturale vas cognoſcere. 3.*par.tr.*4.*reſ.*296. *& reſol.*204. *verſ. Notandum*.

Scandalum.

1 Scandalum duplex eſt, actiuum, & paſſiuum. Actiuũ eſt itẽ duplex; aliud per ſe, aliud per accidens. Paſſiuum quoque duplex eſt, vnum ſcandalum puſillorum, alterum Phariſæorum; de quibus vide 5. *par. tr.*7. *reſ.* 1.

2 Poteſt quis ex triplici intentione alteri ſcandalo eſſe. 1. directè intendendo ipſam ruinam ſpiritualem proximi. 2. directè intendendo eum inducere ad malum, non vt malum, ſed ob alium finem. 3. faciendo aliquod peccatum,

tum, aut ſpeciem peccati habens, quo credit alium inducendum ad peccatum, non tamen id expreſsè intendendo, ſed interpretatiuè. Quilibet inducens alterum aliquo ex dictis modis ad peccandum, peccat, teneturque hoc expreſsè, & diſtinctè confiteri. *ibid. reſ.* 2.

3 Plures peccantes coram alijs excuſantur à peccato ſcandali, vel quia videntes ita ſunt in bono ſtabiles, vt nullo modo peccatis viſis cenſeantur ad peccatum moueri: vel ita ſunt deperditi; vt peccatum aliorum nihil illos immutet. Si verò times à te alios ſcandalizatos eſſe, teneris in confeſſione explicare numerum perſonarum, & ſpeciem peccatorum. *ibid. reſ.* 3. 5. *par.*

4 Licet nonnumquàm pingere concubinam amaſio ex grauiſſima cauſa. *reſ.* 5. Non tamen licet pingere, vel fabricare idolum ad petitionem infidelium, vel conſtruere Synagogas infidelium. *ibid. reſ.* 6.

5 Fœmina ornans ſe more patrio, etiam ſi ſciat fore vt ex hoc ornatu laſciuè ab aliquo ametur, non peccat mortaliter, cùm ſic ornata prodit in publicum: vtitur enim iure ſuo: licèt autem hoc ipſa prę uiderit, tamen hoc non intendit, neque eſt cauſa illius ſcandali, niſi per accidens. 2. *par. tr.* 15. *&* 1. *Miſcell. reſ.* 30.

6 Qui obijcit alicui occaſionem peccandi ab bonum finem, non peccat: v. g. cùm maritus offert vxori occaſionem adulterandi, vt illam in adulterio deprehendat; cùm Dominus dat famulis occaſionem furandi, vt in furto deprehenſi reſipiſcant: quia id non eſt formaliter cooperari ad peccatum, ſed potiùs illud velle impedire. 3. *par. tr.* 5. *Miſcell. reſ.* 18.

7 Abſolutè loquendo, & ſecluſa aliqua praua intentione ſolùmque ſpectata vſurarum ſolutione, nullum videtur nueniri in ea peccatum, aut ſcandalum. 5. *par. tr.* 7. *reſ.* 12.

8 Non

Digitized by Google

8 Non videntur peccare peccato ſcandali famuli, ſi in die ieiunij carnes, vel cibaria in refectiuncula miniſtrent Dominis; quia tunc funguntur ſuo munere, quod alijs diebus, & temporibus obire conſueuerunt, & tantùm deſeruiunt comeſtioni, quatenus naturam nutrit, non quatenus ieiunium ſoluit. 5.*par.tr.*7.*reſ.*13.

9 Non tenetur quis prætermittere præceptum præſertim poſitiuum, ad euitandum aliorum ſcandalum. *ibid. reſol.*21. Vnde mulier, quæ ſcit ſe concupiſcendam ab aliquo laſciuè, non tenetur non exire domo ad audiendum ſacrum. *ibid.reſol.*22.

10 Bona ſpiritualia, & commoda temporalia, quæ non ſunt neceſſaria ad ſalutem, nec debita ex præcepto, non ſunt omninò omittenda propter ſcandalum puſillorum: debent tamen intermitti, & differri, donec puſillis reddatur ſufficiens ratio rectitudinis, vt vitietur eorum ſcandalum. *ibid.reſ.*24.

11 Fœmina nobilis poteſt choreas ducere, quamuis timeat aliquem in particulari accepturum occaſionem peccandi ex malitia. Si verò timet alium commiſſurum peccatum ex paſſione, ſi poteſt commodè abſtineat. *ibidem reſ.*25. Neque tenetur lege charitatis abſtinere ab ornatu, & fuco, ad vitandum aliorum ſcandalum, niſi determinatè intendat ruinam ſpiritualem illorum. Et quamuis ſe ornet cùm peccato veniali oſtentationis inanis, non contrahit malitiam ſcandali. *ibid. reſ.*31.

12 Poſſunt quandoque ex neceſſitate fœminæ ornare ſe, & indui veſtibus virorum abſque peccato: Si autem fiat ex leuitate, & abſit tàm ſcandalum, quàm intentio, periculumque libidinis, erit veniale; mortale verò, ſi ſit intentio, vel periculum laſciuiæ, aut alioquin notabile ſcandalum. *ibid.reſ.*32.

Digitized by Google

Sepultura.

1 QVi moriuntur in peccato mortali notorio, ſeu manifeſto, ſine ſignis pœnitentiæ, vt meretrices, concubinarij, vſurarij, & qui in flagranti delicto occiduntur, ſunt Eccleſiaſtica ſepultura priuandi. Sufficit tamen vnus teſtis fide dignus, qui teſtetur eos dediſſe ſigna contritionis, vt poſſint ſepeliri. 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 99.

2 Si quis reperiatur laqueo ſuſpenſus, vel merſus in puteo, non debet ſepeliri in loco ſacro. Nec qui non communicauit in Paſchate, ſi hoc publicè conſtet, ſecùs ſi ſit occultum. *ibid. reſ.* 100.

3 Religioſus, vel Clericus ſuadens alicui vouere, iurare, vel promittere, quòd ſepelietur apud ſuas Eccleſias, vel mutabit ſepulturam iam alibi ab ipſo electam, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem Bonifacij VIII. *ibidem reſ.* 101.

4 Si moribundus committat vxori, filio, vel alteri electionem ſuæ ſepulturæ, talis electio videtur efficienda eo viuente. *ibid. reſ.* 104.

5 Si quis teſtetur infirmum dixiſſe ſe velle in tali Eccleſia ſepeliri, non eſt in ea ſepeliendus, ſed requiruntur ſaltem duo, vel tres teſtes. *ibidem reſol.* 106.

6 Si filius, & ſeruus impuberes moriendo non elegerũt ſepulturam, non poſſunt pater, vel Dominus illam eligere, ſed ſepeliendi in ſepulcris ſuorum maiorum: licèt quoad hoc potiùs ſtandum ſit conſuetudini locorum. *ibidem reſ.* 107. & 108.

7 Nouitij morientes (licèt ſint extra Monaſterium de licentia Superioris) poſſunt ſepeliri in Monaſterio; poſſunt etiam ſibi eligere ſepulturam. Religioſi verò morientes etiam extra Monaſterium ſepeliendi ſunt in proprijs Mona-

na-

naſterijs, cùm non habeant electionem ſepulturæ. *ibid. reſ.* 109. & 110.

8 Canonicus, ſi non eligat ſepulturam, eſt ſepeliendus in cathedrali. Peregrini verò morientes ſine electione ſepulturæ debent transferri ad ſepulchra maiorum ſuorum, ſi id fieri commodè poſſit; aliàs ſepeliantur in Parochia, in qua mortui ſunt. *ibid. reſ.* 111. & 113.

9 Pueri baptizati in ſecundina, ſi illicò moriantur, ſunt in Eccleſia ſepeliendi. *ibid. reſ.* 112.

10 Si bona hæreditaria non ſufficiant ad ſoluenda debita, poſſunt deduci expenſæ moderatæ neceſſariæ ad funus debitoris iuxta qualitatem ipſius, antequam fiat ſolutio creditoribus, etiamſi creditores habeant hypothecam in bona debitoris, ſepeliendi, ſeu defuncti. *ibid. reſ.* 116.

Simonia.

1 VEndere locum honoratiorem pro ſepultura non eſt ſimonia: non enim petitur pretium pro ſepultura ſimpliciter (nam hoc fieri nequit abſque labe ſimoniæ) ſed pro aptiori, aut honoratiori loco ſepulturæ: cùm enim talis locus non ſit neceſſarius ad ſepulturam, non venditur ſepultura, nec res ſacra, ſed tantùm ſitus aptior, & locus dignior; quippe hic honor poteſt pretio æſtimari: ſic vaſa ſacra, & capellæ venduntur ratione materiæ. 2. *par. tract.* 15. *&* 1. *Miſcell. reſ.* 57. *&* 5. *par. tract.* 3. *reſol.* 102.

2 Non eſt ſimonia ſi aliquid detur pro labore ſuſcepto eundo, & redeundo ad beneficij collationem, vel in compenſationem alicuius damni, quod inde patitur, aut alicuius lucri quod amittit. Si autem aliquid plus vltra æſtimationem laboris detur, videndum eſt vt liberaliter, & gratis detur abſque vlla pactione, quæ a ſpiritualibus eſt planè remo-

remouenda. *ibid.tr.16. & 2.Miſcell.reſ.37.*

3 Permutatio rerum ſpiritualium pro ſpiritualibus, (dummodò non ſint beneficia) licèt non ſit ſimonia, eſt tamen valdè damnabile ex multis inconuenientibus, quæ ſequi poſſunt. *part.4.tract.4.Miſcell.reſ.150.*

4 Dare pretium cuidam tertio vt intercedat apud alterum, vt ipſe intercedat apud collatorem beneficij, probabilius eſt dicere eſſe ſimoniam, quia eſt medium ad obtinendum beneficium Eccleſiaſticum. *ibidem reſ.151.*

5 Si electór inclinet ad eligendum indignum, vel minùs dignum, non poteſt dignior pretio redimere hanc vexationem, quia committeret ſimoniam, nam cùm adhuc beneficium non ſit ſuum, paratur via pecuniaria ad ipſum obtinendum. *ibid.reſol.152.*

6 Penſiones abſque nota ſimoniæ poſſunt pecunia redimi, & vendi, dempta ea, quæ datur in titulum beneficij ob aliquod miniſterium ſpirituale futurum, coadiutori Epiſcopi, vel Parochi ſenis. Penſio etiam, quæ datur Clerico pauperi, poteſt redimi; Et tandem penſio, quæ conceditur in renuntiatione, & commutatione beneficiorum, poteſt ſimiliter redimi, quia hæ penſiones ſunt merè temporales. *ibid. reſ.153.*

7 Pœnas ſimoniæ non incurri in caſu, in quo adeſt tantùm ſimonia iuris poſitiui, & humani eſt probabilis opinio multorum; vt in permutatione beneficiorum inter duos beneficiarios facta propria auctoritate reſeruatione penſionis ſine auctoritate Papę, promiſſione, ſeu donatione pecunię mediatori pro interceſſione beneficij, &c. Vnde iſti tales ſic facientes peccant quidem, non tamen ſunt excommunicati, nec priuãtur beneficijs ſic receptis ipſo iure, nec tenentur fructus reſtituere. *ibid. reſ.155.*

8 Generalatus, Prouincialatus, Correctoriatus, Guardio-

dionatus, Prioratus, &c. includuntur ſub nomine beneficij ad incurrendas pęnas ſimoniæ. Aduerte tamen, quòd ſimonia non eſſet, ſi officium Eccleſiaſticum obtentum ſimoniacè penderet ex arbitrio delegantis, vt ſunt Vicariatus, qui dependent ad libitum ex voluntate ſuperioris. *ibid. reſ.* 156.

9 Nulla ſimonia inducit pęnas iuris ipſo facto, niſi in ordine, beneficijs, & Religionis ingreſſu. Vnde aliæ ſimoniæ etiam reales, & completæ non ſubduntur pęnis ſimoniæ. *ibid. reſol.* 157.

10 Pœnæ ſimoniaci ſunt, excommunicatio, & priuatio beneficiorum ſic acceptorum ipſo iure, & obligatio ad reſtitutionem pretij pro collatione ſimilium accepti. *ibidem reſol.* 155.

11 Emens Vicariatum Epiſcopi, non tenetur reſignare, non enim eſt ſimonia, cùm Vicariatus Epiſcopi non ſit beneficium. 4. *par. tract.* 4. *reſ.* 163.

12 Qui accepit pretium ſimoniacum pro collatione alicuius beneficij, vel ordinis, & qui beneficium accepit, illud reſtituat, poteſt tuta conſcientia reſtituere pretium acceptum vel danti, vel Eccleſię, vel pauperibus, & ideò ſi is, qui recepit pecunias in pretium beneficij, & ordinis ſit pauper, poteſt ſibi retinere dictum pretium datum ſimoniacè pro gratia, & iuſtitia, & pro ingreſſu Religionis; nam in primo caſu reſtituendum eſt pauperibus, in ſecundo ipſi danti. *ibid. verſ. Notandum.*

13 Simonia mentalis non inducit pęnas ſimoniæ; vnde qui ſeruit Epiſcopo cum intentione recipiendi beneficium, vt pretium ſeruitij, non tenetur illud reſignare. *ibid. reſ.* 168.

14 Cancellarius Epiſcopi non poteſt ratione laboris ſumere aliquid pro licentia audiendi confeſſiones, & con-

cionandi. Neque delegatus pro diſpenſationibus matrimonialibus, neque pro executorijs, & licentijs publicandi indulgentias. 5. *par. tract.* 13. *reſol.* 70. & 71.

15 Conſultor caſuum conſcientiæ ſi recipiat pecuniam propter conſilium requiſitum a petente ad pacandam conſcientiam, & in illius foro, non eſt ſimoniacus, ſi conſiſtat in pura inſtructione intellectus. *ibid. tr.* 14. *reſ.* 4.

16 Non videtur ſimonia, ſi Titius promittat v.g. Caio ſe daturum eleemoſynam pauperi, vel loco pio, ſi Caius impetret Titio beneficium Eccleſiaſticum. *ibid. reſol.* 75.

Sodomia.

1 PVeri ſuccubi, & muliebria patientes ante annum 14. non ſubijciuntur reſeruationibus Epiſcoporum: ſicut enim minor ætas in foro exteriori excuſat a pęna ordinaria, ita & in animæ iudicio. 2. *par. tract.* 15. & 1. *Miſcel. reſ.* 1.

2 Probabile eſt Bullam Pij V. contra Clericos ſodomitas non eſſe vſu receptam, neque in foro conſcientiæ obligare. *ibid. tract.* 17. & 3. *Miſcell. reſol.* 61.

3 Etiamſi autem eſſet vſu recepta, Clericus fœminam cognoſcens in vaſe præpoſtero, illius pœnas non incurrit: quia non committit propriè ſodomiam; licèt enim non ſeruet vas debitum, ſeruat tamen ſexum. *ibid. reſ.* 62.

4 Si Clericus rem habens cum maſculo, non emittat ſemen intra vas, non incurrit in pęnas Bullę: quia delictum non eſt conſummatum, neque eſt propriè ſodomia. *ibidem reſol.* 63.

5 Incidunt in pęnas huius Bullæ Clerici tàm agentes, quàm patientes. Quia correlatiuorum eadem eſt ratio; niſi inuiti patiantur. *ibid. reſ.* 64.

6 Clerici, qui non niſi bis aut ter in ſodomiam ſunt la-

pſi,

Digitized by Google

pſi, non incurrerunt pęnas Bullæ: quia Pontifex has pęnas infligit Clericis exercentibus Sodomiam; non dicuntur autem exercere qui ſemel atque iterùm committunt. *ibid.reſ.*65.

7 Clericus vitium beſtialitatis exercens, in pęnas huius Bullæ non incurrit: quia beſtialitas non eſt propriè ſodomia, contra quam edita fuit hæc Bulla: lex autem pęnalis ad alios caſus non expreſſos non eſt extendenda. *ibid. reſ.*66.

8 Ante ſententiam Iudicis declaratoriam Clerici ſodomitæ pęnas Bullæ non incurrunt in foro conſcientiæ: nulla enim lex pęnalis obligat homines ad ſe prodendum, & ad duriſſimam pęnam in ſe exercendum. *ibid.reſ.*67. Vnde ſequitur Clericum exercentem Sodomiam, ſi ſit contritus, etiam retento beneficio, officio, & dignitate omninò eſſe abſoluendum. *ibid.reſ.*68.

9 Clericus Sodomita occultus neque eſt ſuſpenſus, neque ſi celebret incurret in irregularitatem: quia nullum crimen quamuis enorme, inducit irregularitatem niſi ſit notorium. *ibid. reſol.*69.

10 Pęnæ ſodomitarum. Hi non abiurant neque de leui; ſed ſi fuerint conuicti, vel delictum fateantur, Curiæ ſæculari in actu publico relaxentur. Si verò delictum fuerit attentatum, & non conſumatum, flagellis cędantur, & ad triremes mittantur. Quod tamen non intelligas pro vno actu, ſed pro pluribus repetitis, quia quod deficit ad complementum actus ſodomitici, ſuppletur ex repetitione actuum in fraudem legis. 4. *part. tract.* 7. *reſol.*20.

11 Non tenetur quis in confeſſione explicare, vtrum exercuerit peccatum contra naturam cum mare, vel cùm fœmina, niſi fœmina eſſet coniugata, ratione iniuriæ. Nec etiam tenetur explicare, fuerit ne agens, vel patiens.

Digitized by Google

5.*par. tract.* 14.*reſ.* 56.*verſ. Quæro* 1. & 2.

Sterilitas.

1 SI ſterilitas fortuita eſt tanta, vt ex tribus partibus ſolitis colligi non colligantur vix duæ, & non compenſetur ex fertilitate præcedentis & ſequentis anni, facienda eſt agricolæ aliqua remiſſio penſionis ad arbitrium boni viri, ſecùs autem ſi compenſetur. E contra ob fertilitatem fortuitam augenda eſt penſio pro rara aucti fructus. 3.*par. tr.* 6.*Miſcell. reſ.* 17.

2 Quamuis ſubſit aliqua rationabilis, & iuſta cauſa, numquàm tamen licitum eſt ſterilitatem in vxoratis procurare. 5.*par. tract.* 14.*reſol.* 90.

TESTAMENTVM, LEGATVM.

1 POteſt Epiſcopus legatum pium cõmutare in æquale, vel melius, maximè cum conſenſu hæredum: neque in hoc caſu Epiſcopus infringit volũtatem teſtatoris, ſed interpretatur. 2. *par. tr.* 17. & 3.*Miſcell. reſ.* 26.

2 Quando relinquitur alicui legatum ſub conditione, v.g. *ſi non nupſerit*, vel *ſi religionem non ingrediatur*, poteſt legatarius in foro interiori, & exteriori accipere legatum, etiam ſi non impleat has conditiones. Cùm enim hæ conditiones a iure meritò reprobentur, & pro non appoſitis habeantur, non tenetur eas ſeruare in conſcientia: quippe regulanda eſt voluntas teſtatoris ſecundùm ius, a quo ſi deficiat, non eſt ſeruanda. 3.*par. tract.* 5. *Miſcell. reſ.* 57.

3 Quando incertum eſt, cui ex duobus vel pluribus relictum ſit legatum, tenetur hæres in conſcientia illud inter eos diuidere, ſi in id conſentiant. Sin teſtator legatum fecerit Eccleſiæ, v. g. D. Mariæ, & ibi ſint plures Eccleſiæ eiuſ-

Digitized by Google

eiuſdem nominis; tunc cedit Parochiali, ſi ſit eiuſdem nominis, alioqui cedet maiori, vel pauperiori; ſi omnes ſint æquales, dabitur Epiſcopo loci diſtribuendum, vt videbitur. *ibid. reſol.* 58.

4 Tenetur hæres cùm primùm poterit ſoluere legata. In illis autem ſoluendis non eſt locus gratificationi, ſed pro æquis portionibus ſunt ſoluenda. *ibid. reſ.* 59. 60. Idẽ dic de exequutore. 4 *par. tr.* 4. *reſ.* 162.

5 Donationes ad pias cauſas validæ ſunt ſine inſinuatione, neque poſſunt reuocari, etiam ſi ius ciuile illas annullet. *ibid. reſ.* 107.

6 Licèt legatum debeatur in fine anni, tamen in cauſa pia debetur in principio: item legatum factum Eccleſiæ genericè, debet intelligi de optimis, & pretioſiſſimis rebus. *ibid. tr.* 6. *Miſcell. reſ.* 29.

7 Qui ſine vi & fraude curauit aliquod teſtamentum iam factum mutari, & alium hæredem inſtitui, vel aliquid ſibi, vel amicis relinqui, non tenetur ad reſtitutionem. *ibid. reſ.* 33.

8 Si quis vi & fraude impediat ne nepos filius ſpurij inſtituatur hæres ab auo, tenetur ad reſtitutionem: neque enim hic nepos filius ſpurij eſt incapax hæreditatis; quare qui per vim, aut fraudem aliò inflectit voluntatem eius, qui propoſuerat illum ſcribere hæredem, facit illi iniuriam. *ibid.* Qui autem precibus, blanditijs & muneribus impedit ne quis hæres inſtituatur, non tenetur ad reſtitutionem. *ibidem*.

9 Amiſſo teſtamento, aut alio publico inſtrumento, non licet aliud ſimile confingere: quia eiuſmodi falſificationes licèt nemini priuato faciant iniuriam, ſunt tamen Reipubl. pernicioſæ, ideò legibus ſeuerè prohibentur. *ibid. reſol.* 56.

Digitized by Google

10 Exequutor teſtamenti, a teſtatore nominatus, quãdo neque expreſsè, neque tacitè acceptauit officium exequutoris, non poteſt ad illud cogi, neque tenetur acceptare, neque peccabit illud renuntiando, quia aliter hoc officium non eſſet voluntarium. *par. 4. Miſcell. reſ.* 162. Quando autem exequutores nominati a teſtatore nolunt acceptare officium, vel obierunt, tũc Epiſcopus eſt exequutor. *ibid. verſ. Notandum.*

11 Etiam ſi teſtator dicat, vt capellania conferatur Sacerdoti, poteſt conferri Clerico, quia intelligebat, vt ibi fieret ſacrum; ſed Clericus per ſubſtitutum poteſt facere, vt ibi Miſſæ celebrentur, ergo &c. Secùs verò ſi per verba negatiua hoc explicat; imò taliter inſtituta poteſt ab Epiſcopo ſemel, vel bis Clerico 14. annorum conferri. *ibidem reſol.* 227.

12 Si quis moriatur in loco, vbi non poſſit condere teſtamentum, & velit relinquere aliquid Eccleſiæ, valet tale legatum, ſi relinquat ſcripturam ſubſcriptam manu propria. 5. *part. tract.* 3. *reſ.* 119.

13 Damnatus ad mortem propter aliquod facinus, nõ poteſt in foro externo teſtari; in foro tamen conſcientiæ ſi teſtetur coram duobus teſtibus, validum erit teſtamentũ; ideſt poteſt tuta cõſcientia hæres retinere bona, dùm non compellitur per Iudicem ea fiſco tradere. *ibid. reſ.* 120.

14 Quæ liceant, vel non liceant agere cum infirmo tempore mortis, quando conficit teſtamentum, vide 5. *par. tr.* 3. *reſ.* 118. Item quid faciendum ſit, ſi non expediat vt moribundus declaret in Teſtamento aliquas reſtitutiones, vel alimenta filiorum, videbis. *ibid. reſol.* 115. Itemque quid liceat, vel non liceat moribundo in relinquendo aliquid filio ſpurio. *ibid. reſ.* 121. & *reſol.* 131.

15 Teſtamentum malè diſpoſitum, & iniuſtum licèt iura-

iuramento confirmatum, eſt mutandum: Benè verò diſpoſitum, & ex omni parte perfectum, non poteſt abſque peccato a teſtatore reuocari; in foro externo tamen valebit hoc poſterius. Si verò ſit aliqualiter imperfectum, ſed nulla ſubſit cauſa mutandi, licèt valeat mutatio, peccat tamen teſtator; ſecùs ſi ſubſit iuſta cauſa. Et hæc omnia procedunt in teſtamento iuramento obfirmatum. *ibidem reſol.* 122.

16 Confeſſarius tempore peſtis faciat, vt moribundus diſponat ea, quæ in conſcientia tenetur, & quæ vult: validum enim erit teſtamentum, licèt non adſint teſtes requiſiti. *ibid. reſ.* 123.

17 Filius familias Clericus, ſi moriatur, poteſt etiam ſine conſenſu patris teſtari de bonis aduentitijs, etiam ante Clericatum acquiſitis. Et ipſe, & Epiſcopus poſſunt licitè teſtari in fine mortis in vſus non pios, ſi habeant licentiam diſponendi in quoſcumque vſus voluerint. *ibid. reſ.* 124. *&* 125.

18 Si moriturus cępit facere teſtamentum, vel codicillum, & morte præuentus non abſoluit, licèt ſecundùm alia irritum ſit, valet tamen quoad relicta pia: ſicut etiam validum eſt teſtamentum ad pias cauſas, etſi alterius arbitrio committatur. *ibid. reſ.* 126. *&* 127.

19 Non eſt facienda difficultas moribundo, qui velit relinquere vni filio pluſquàm alteri, cùm ſemper adſint iuſtæ cauſæ id faciendi ſine peccato. *ibid. reſ.* 130.

20 Mutus, & ſurdus a natiuitate non poteſt teſtari, niſi talis ſit, qui ſignis percipiat quidquid ei dicitur, & ſeipſum declarare ſciat. Surdus autem, & mutus ex morbo, etſi non poſſit, niſi ad pias cauſas ſolo nutu teſtari, benè tamen poterit per ſcripturam etiam ad alias. Si verò ſit tantùm ſurdus, & non mutus poſſet teſtari. *ibid. tract.* 6. *reſ.* 23. & 24.

Digitized by Google

21 Mutus, & Surdus non poſſunt eſſe executores teſtamenti, vel fideiuſſores, vel curatores. *ibid. reſ.*28. & 29. & *reſol.*35.

22 Cęcus poteſt condere teſtamentum, cum conditionibus tamen appoſitis *in l. hac conſultiſſima C. de teſtam.* quas vide. *ibid. reſ.*26.

23 Ad hoc vt quis pro conſequutione legati dicatur orphanus, ſufficit ſi careat tantùm patre. 4. *par. reſ.*164.

24 Legatum factum Eccleſiæ ſemper & in perpetuum ſeruandum, adhuc tamen finitur circulo centum annorum a die mortis teſtatoris: & hoc quidem probabilius eſt in iure, licèt in praxi contrarium ſeruetur. 5. *par. tract.* 14. *reſol.*84.

25 Qui mutat ſcripturam in aliqua re, quæ tamen innititur veritati, non videtur dicendus falſarius. *ibidem reſol.*40.

26 Legatum relictum non perſona particulari, ſed generaliter pro virginibus maritandis, lucratur etiam puella, quæ ingreditur Religionem. *ibid. tract.* 14. *reſ.*35.

26 Legatum relictum pro orphanis maritandis, poteſt diſtribui habentibus parentes pauperes, & inutiles. Dari etiam poteſt viduis, quando nullæ ſunt puellæ ætate nubiles, quibus poſſit legatum dari. Adde legatum pro fabrica Eccleſiæ relictum poſſe expendi pro ornamentis, & alijs cultui diuino neceſſarijs. Sic etiam legatum relictum pro liberatione incarceratorum, quolibet anno poteſt expendi in impediendo, nequis in carcerem detrudatur, quando certum eſt proximè detrudendum, niſi legato illi ſubueniatur; Et ſi fuerit diſtribuendum pauperibus, poteſt ante tempus deſignatum largiri. Imò ſi legatum fuerit deſignatum naturalibus alicuius Vrbis, poteſt dari ijs, qui ibi habitarunt decennio, licèt aliunde ſint oriundi. Quotieſ-

cum-

cumque verò teſtator non aſſignabit pauperes, quibus legatum ſit dandum, poteſt hæres diſtribuere quibus voluerit. *par.4.tr 4. Miſcell.reſ.*140.

Teſtis.

1 QVando crimen eſt notorium, & publicum, ſed ignoratur auctor, teſtis interrogatas a Iudice non tenetur reſpondere; quia dubium eſt an Iudex iuridicè interroget, & probabilis ſententia aſſerit ipſum non interrogare iuridicè, ac proinde ipſum non eſſe ſuperiorem in hoc caſu: erit igitur teſti integrum vel manifeſtare, vel occultare veritatem. 2.*par.tr.*15.*&* 1.*Miſcell.reſ.*63.

2 Non licet reo falſum crimen obijcere teſti, falſum, aut contra ordinem iuris teſtanti. 3. *par. tract.* 5. *Miſcell. reſ.*4. Non enim habet ius defendendi ſe tali medio. *ibid.*

3 Teſtes priuilegiati tenentur reuelare crimen occultum ſui coniuncti, ſi non adſint alij teſtes, propter excommunicationem latam in aliquo monitorio. *ibid. reſ.*63.

4 Probabile eſt teſtem non teneri denuntiare crimen, quando ſit nullum alium eſſe conteſtem; quia ex ſola ipſius depoſitione non poteſt reus condemnari, ſed tantùm torqueri. Contrarium tamen eſt probabilius. *ibid. reſ.* 100.

5 Teſtis iuridicè interrogatus non tenetur ad reſtitutionem damni, quod ſecutum eſt ex veritate non manifeſtata: quia licèt peccet contra charitatem, & obedientiam, non peccat tamen contra iuſtitiam commutatiuam. *ibid. reſ.*101.

6 Reo iam per alios teſtes conuicto, falſus teſtis ſuperueniens non tenetur ad reſtitutionem: quia non eſt cauſa efficax damni, quod prioribus teſtimonijs iam erat illatum. *ibid. reſol.*105.

7 Teſtis falſus tenetur falſitatem ſuam declarare pro inno-

Digitized by Google

innocente, ſi eius declaratio profutura eſt innocenti. Item ſi poteſt ſe reuocare ex loco tuto non tenetur coram Iudicibus ſe præſentare: ſecùs verò qui falſum teſtimonium dedit ob ignorantiam inuincibilem, etiam ſi damnum tertij ſequutum fuerit: Non tamen deficiunt qui contrarium aſſerant. *par.4.tr.4.Miſcell.reſ.99.*

8 Si quis audiuit a viro optimæ famæ aliquam rem, non videtur poſſe in iudicio deponere, ſe illam certò ſcire; quia ſic omnes teſtes de auditu efficerentur teſtes de cauſa ſcientiæ. *4.par.tr.4.reſ.77.*

9 Mutus tantùm, & Surdus tantùm non prohibentur ferre teſtimonium ſuper re cadente in ſenſum, in quo non eſt impeditus: Mutus verò, qui non caret intellectu, ſed mentem ſuam nutu, & ſignis certis exprimere poteſt, non repellitur a teſtificando in ciuilibus; ſecùs in criminalibus. *5.par.tr.6.reſ.32.*

VIRGO.

1 VIrginis corruptor, qui nullam vim adhibuit, aut dolum, ſed precibus, blanditijs, & perſuaſionibus illam induxit ad conſenſum, non tenetur ad reſtitutionẽ; quia preces, & ſuaſiones augent potiùs, quàm minuunt voluntarium; niſi preces illæ eſſent adhibitæ ab aliquo, cui puella deberet reuerentiam, vt à Domino, vel Principe; preces enim ſuperioris inducunt metum. *2. par.tr.16.reſ.50.& 2.Miſcell.reſ.48.*

2 Circa legata pro virginibus maritandis hæc ſunt obſeruanda: 1. legatum pro virgine maritanda non patitur commutationem cum alio pio opere. 2. legatum alicui puellæ nominatim relictum pro ea maritanda, illam ſequitur ſi ingrediatur religionem. 3. legatum pro virgini-

bus orphanis maritandis poteſt dari habentibus parentes pauperes,& inutiles, niſi concurrerent ſimul virgines verè parentibus orbatæ.4. legatum pro orphanis puellis maritandis,dari poteſt puellis expoſitis,quæ parentes ſuos ignorant.5.legatum relictum pro virginibus maritandis poteſt tuta conſcientia retineri ab ea,quæ habetur virgo, licèt ſit corrupta. 6. legatum relictum pro dotandis puellis,debetur puellis nuptis ſine dote, vel cum tenui dote,quia cauſa pietatis adhuc durat.7.legatum relictum alicui puellæ pro dote, ſi factum ſit pro anima teſtatoris,ſi puella moriatur antequàm nubat,non extinguitur, ſed debetur alteri puellæ pauperi. *ibid. reſ.*50. Si quis legaret puellæ ſi nupſerit mille, ſin monaſterium ingrediatur biſcentum; ſi monaſterium ingreſſa fuerit, mille conſequi debet. 3.*par.tr.*6. *Miſcell.reſ.*29.

Votum.

1 POſt commutationem voti integrum,eſt vouenti redire ad prius votum, etiamſi commutatio facta fuerit in melius:quia illa commutatio facta eſt in fauorem vouentis: ergo poteſt illi renuntiare. Si tamen vouens acceptaret commutationem ad maiorem Dei cultum,& honorem,non poſſet ad prius votum redire; quia commutatio facta eſt in fauorē Dei. 2.*par.tr.*16.*&* 2.*Miſcell.reſ.* 6.

2 Poteſt a vouente fieri commutatio voti in bonum æquale, modò certò conſtet eſſe æquale; nam ſi ſit dubium,non erit licita talis commutatio.*ibidem reſol.*7.

3 Extra Iubilæum,& Bullam Cruciatæ, vota non ſunt commutanda etiam in bonum æquale abſque cauſa. Sufficit tamen vt iſta ſit leuis,& parua, v.g. ſi vouens hilariùs implebit, vel ſi petat. Si verò Sacerdos commutet votum inæquale ſine legitima cauſa, peccabit tantùm venialiter

& va-

Digitized by Google

& valebit commutatio: quia abuſus poteſtatis eſt in re leuiſſima, neque magnum detrimentum infertur cultui diuino. *ibid. reſ.* 8.

4 Poteſt confeſſionis etiam tranſacto Iubilæo commutare vota illius pœnitentis, qui Iubilæum conſecutus eſt: quamuis enim opera in Bulla Iubilæi præſcripta alligentur tempori deſignato, ita vt eo tranſacto fieri nequeant; tamen priuilegium commutandi vota, diſpenſandi, &c. non eſt addictum vlli tempori præfinito, vt conſtat ex tenore ipſius Bullæ, in qua cùm eſt ſermo de priuilegijs additur hæc clauſula (*abſque vlla temporis limitatione.*) *ibid. reſ.* 9.

5 Quando quis virtute Iubilæi obtinuit commutationem voti, ſi poſteà per negligentiam non eſt conſecutus illud Iubilæum, valet commutatio. Quia Summus Pontifex abſolutè concedit poteſtatem abſoluendi a reſeruatis, & commutandi vota; ergo cùm legitimè facta fuerit hęc commutatio, ac proinde votum extinctum, abſurdum eſt dicere poſteà non obtento Iubilæo prius votum reuiuiſcere. *ibid. reſ.* 10. *&* 5. *par. tr.* 12. *reſ.* 40. Neque obligatur is, qui virtute Iubilæi obtinuit commutationem voti, lucrari Iubilæum ſub peccato mortali. *ibid. reſol.* 11. *&* 3. *par. tr.* 5. *reſ.* 25. *&* 5. *par. tr.* 12. *reſ.* 42.

6 Qui fecit votum non ſolùm ingrediendi, ſed etiam profitendi in quadam Religione, ſi tempore nouitiatus videat eam ſibi non eſſe accommodam, poteſt egredi: nam illud votum eſt intelligendum iuxta Canones annum nouitiatus concedentes, vt ſi intra hoc tempus Religio minimè placeat, integrum ſit egredi. *ibid. tr.* 17. *&* 3. *Miſcell. reſol.* 10.

7 Qui vouit B. Virgini *Pater & Aue*, vel *Salue Regina*, quotidie, & non recitat, non videtur peccare mortaliter, quia vouens in materia tàm leui non potuit ſe obligare ad

pec-

Digitized by Google

peccatum mortale. 3. *par. tr.* 5. *Miſcell. reſol.* 24. & 5. *par. tract.* 5. *reſ.* 36.

8 Omnia vota tàm in ſæculo quàm in nouitiatu emiſſa per ſolemne Religionis votum extinguuntur, Idem dic de iuramentis. 3. *par. tract.* 6. *Miſcell. reſol.* 65.

9 Qui ex voto, tenetur recitare v. g. tertiam partem Roſarij, etiam ſi interponatur in recitatione notabilis interruptio, ſatisfacit. 4. *par. tract.* 4. *Miſcell. reſ.* 17

10 Vouens abſolutè Religionem, nil de exeundi libertate determinando, ſi poſteà exierit, ſatisfacit voto, quia votum ingreſſus Religionis intelligitur ad experiendum, quo in iure ſtatutum eſt, ſed annus probationis iure conceditur, vt Nouitius Religionem experiatur cum omnimoda exeundi libertate, ergo, &c. Verificatur tamen hoc, ſi culpa vouentis non expellitur, quia tunc non ſatisfaceret, niſi diligentiam adhibuiſſet ad culpas ſuas corrigendas, & ad Religionis inſtitutum ſe accommodaret. *ibid. reſ.* 25.

11 Superiores Religionum poſſunt irritare vota emiſſa tempore ſubiectionis ſuorum ſubditorum. Probabiliter etiam alij volunt poſſe patrem irritare votum Religionis a filio emiſſum, poſt annos pubertatis exequendum; ſecluſo tamen voto ſerui emiſſo in tempus, quo libertate donatus fuerit. *ibidem reſol.* 29.

12 Qui vouit ingredi Religionem, cum conditione, ſi per annum integrum a fornicatione abſtineat, ſi prædicto tempore ſua culpa inciderit, probabiliter dicendum, non teneri ingredi, quia conditio nō fuit impleta. *ibid. reſ.* 101.

13 Votum caſtitatis, vel non nubendi factum a procliui in Venerem probabilis ſententia eſt, tale votum inualidum eſſe. Auctor verò putat debere illum petere diſpenſationem ab Epiſcopo, quam concedere poteſt, quia votum ab eo fuit factum, cui ob incōuenientiam, & in carnis peccatum

Digitized by Google

catum lapſum, matrimonium ſalubrius ſit. *ibid.reſ.* 102.

14 Vota vxoris, (etiam caſtitatis,) emiſſa abſque viri licentia, imò ex eiuſdem licentia, a marito irritari poſſe, probabilis ſententia DD. eſt; quia concedendo vxori facultatem vouendi, non ademit ſibi poteſtatem irritandi. Aliqui tamen cenſent eo caſu irritantem ſine cauſa mortaliter peccare: ſed probabile eſt quòd peccet ſolùm venialiter. *ibidem reſol.* 110.

15 Per renouationem votorum Regularium, non videtur probabile, quòd obtineatur remiſſio omnium peccatorum. *ibid.reſ.* 180.

16 Votum pœnale ſi poſtquàm emittitur, adhuc tamen vouens eſt in dubio an pro ſemper emiſerit votum, v.g. ſe non luſurum, &c. obligat tantùm prima vice ad pęnam, niſi intendiſſet expreſsè, quoties peccaſſet: quia cùm de obligatione voti agitur, benignior pars in dubio eſt amplectenda. *ibid. reſ.* 181.

17 Datur in voto paruitas materiæ, & ſi materia totalis voti ſit parua, non erit mortale eam totam omittere. *5.par.tract.5.reſol.36.*

18 In voto, vel iuramento non bibendi vinum datur paruitas materiæ; ita vt ad mortale requiratur, vt bibatur tantum vinum, quantum in vno prandio ſufficere poſſet pro potu communiter vtentibus temperato vino. *ibidem reſol.37.* Idem dic de ludo, vel iuramento non ludendi. *reſol.38.*

19 In materia leui non poteſt quis cum mortali vouere. Si verò quis modicum vouerit in honorem diei, & temporis, illius continuata omiſſio non erit mortale. Si non ſit in honorem diei, ſed ſolùm dies præfigatur vt terminus, ne vltra illum executio voti differatur, tunc ſi diutius omittat, erit mortale. *ibid.reſ.50. & 5.par. reſ.53.*

20 Vio-

Digitized by Google

20 Violare eodem die plura vota de materia leui, non eſt mortale. *ibid. reſol.* 55.

21 Superiores poſſunt irritare vota emiſſa tempore ſubiectionis, implenda tempore illius ſoluta, ſi tamen illi ſubditi, quorum vota ſunt irritanda, ſint planè ſubditi Superiori quoad voluntatem, cui ad plenum eius regimen traditi ſunt; vt Religioſi reſpectu ſuorum Prælatorum, & filij impuberes reſpectu patris, & tutoris. 4. *par. tract.* 4. *reſol.* 29.

22 Non quotieſcumque Regulares renouant vota Religionis obtinent remiſſionem peccatorum, ſed in prima tantùm emiſſione; quia opus primæ traditionis difficile eſt, & ex interiore voluntate procedens. 4. *par. tract.* 4. *reſol.* 180.

LAVS DEO

FINIS.

VENETIIS, M. DC. XLII.

APVD IVNTAS.

Digitized by Google

Digitized by Google

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA

GEN. 1973

Digitized by Google